

12856





5  
14

~~John Brown~~

~~37~~  
Ad. volum.

Ob. anno d. 20<sup>o</sup> Salderama otteind<sup>o</sup>  
practice p<sup>o</sup> professoris





*oje*

# FRIDERICI HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,

ET ARCHIATRI,

*Professoris Medicinae Primarii in Academia Halensi,*

# OPERA OMNIA PHYSICO-MEDICA

Denuo revisa, correcta & aucta,

QUIBUS CONTINENTUR


Doctrinæ solidis Principiis Physico-Mechanicis, & anatomicis,  
atque etiam observationibus clinico-practicis superstructæ,

Methodo facilis ac demonstrativa deductæ, & per experientiam  
*LVII. annorum stabilitæ.*

CUM VITA AUCTORIS,

Et ejus PRÆFATIONE de differente Medicinæ & Medicorum statu  
atque conditione, & criteriis boni ac periti Medici.

*Editio Veneta, Lugdunensi postrema emendatior, & auctior.*



VENETIIS, MDCCXLV.

Ex TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

IV. HANHOT  
ALMORAGIO  
THOMAS  
AUTOMOBIL  
CUBA  
PANTHERA  
CAT  
LNUOZGMA

CELSISSIMO POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPI,  
FRIDERICO  
GUILLELMO  
PRUSSORUM REGI.

Marchioni Brandenburgico, Sacri Imp Archicamerario & Novemvir  
Electoris, Pio, Felici, Augusto, Imcomparabili rerum medicarum  
æstimatori, Patri Patriæ Clementissimo felicitatem perpetuam.

SERENISSIME ET POTENTISSIME REX  
Rex. & Domine. Clementissime..



IHI nunc ad illam etatem, divini Numinis gratia, proiecto,  
ut ultimam vite meæ scenam agi sentiam, animum subinde  
sabit illa cogitatio, quibus potissimum, si a Deo discesserim,  
ea omnia debeam, que mihi per hos octoginta, quos tran-  
segi, annos fausta ac felicia acciderunt. Et en! agnosco,  
summorum beneficiorum a Serenissima domo BORUSSICO-  
BRANDENBURGICA acceptorum me debitorem esse gra-  
vissimum. Patere, REX ET DOMINE CLEMENTISSI-  
ME, paucissimis me recensere, que longissimo etatis decursu a TE TUISQUE  
adeptus fuerim beneficia. Inter paucissimos forte supersum, qui gloriofissima mé-  
moria Principi Divo FRIDERICO GUILLELMO avo TUO, honorum for-  
tunaque exordia in acceptis referunt. Tanti enim Principis gratia ante hos  
quinquaginta & sex annos ego in Principatu Mindensi provincie illius physi-  
cus clementissime constitutus, max præsidit ibidem militaris medicus factus,  
honorificam postea aulici medici dignitatem adeptus sum. Quum vero terris ex-  
cessisset magnus hic Princeps, atque imperium denuo suscepisset sapientissimus  
FRIDERICUS, inter ipsa ejus primordia mihi accidii, ut ante hos quadra-  
ginta & novem annos Principatus Halberstadiensis proto-medicus designarer.  
Longe autem misus erat beneficium, quo gaudebam, cum ad novam studiorum  
universitatem, a Suo nomine vocandam, inque ea urbe, cui natales meos de-  
beo, erigendam primus medieine & philosophiae naturalis professor An. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup> xcxi.

# CELSISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI, FRIDERICO GUILLEM PRUSSORUM REGI.

Marchioni Brandenburgico, Sacri Imp<sup>er</sup> Archicamerario & Novemviro Electori, Pio, Felici, Augusto, Imcomparabili rerum medicarum: æstimatori, Patri Patriæ Clementissimo felicitatem perpetuam.

SERENISSIME ET POTENTISSIME REX  
Rex. & Domine Clementissime ..

*TESTIMONIO ad Illuminatum: divini Numinis eratia, proposito.*



vocarer. Accidebat tum post duodecim circiter annos, ut idem SERENISSIMUS PRINCEPS, procurante Illustrissimo Comite de Wartenberg, me rursus in locum D. Weisi, archiatri haud ita pridem defuncti suscipiendum statueret: qua tamen statione, tum ob valetudinem minus firmam, tum ob alias rationes satis urgentes, submisse deprecata, consiliarii & medici aulici dignitate ornabar munificentissime. Nihilominus An. Cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup> CCIX. quum REX SERENISSIMUS graviori decumberet morbo, me ante annum in thermis Carolinis sibi propius cognitum, celeri, ut ajunt, nuncio in consilium vocabat, & curatio ne ex voto peracta jubebat, ut valetudinis tuende procurandeque gratia archiater ordinarius ibi permanerem. Accepi summam gratiam; quamvis probe conscientius, admodum lubricas esse res aulicas, munerique demandato pro viribus satisfactorius, incolumentatem tanti Principis dies noctesque observavi quam diligentissime; donec triennio inter haec exalto, munus academicum, quod mibi reservaveram, ob graves quasdam causas repetii. Ego vero Musis sic restitutus, redintegratis quasi viribus strenue enitebar, ut non solum salubribus doctrinis imbuorem eos, qui studii medici causa huc confluant: verum etiam lucubrationibus in publicum emissis, & in exteris quoque regionibus recusis, famam haud exiguum industria mee reportarem. Non poterant haec latere MAJESTATEM TUAM, REX ET DOMINE CLEMENTISSIME, qui inter curas patre patria dignas, hanc vel maxime refers, ut illos, qui sacras doctrinas propagant, quique corporum salui tuenda idoneos viros formant, probe cognoscas, cognosque exornes. Id quum antea sapius visum sit, maxime tamen ante hos sex annos cluxit, quo tempore gravi valetudine affectus e castris ad Rhenum positis revertebaris. Clementissime enim significabas, quantum & mee fidei tribueres, & peritie tot annorum usu acquisita confideres. Annuit Deus consiliis, & curationem felicissimis ornavit successibus. TU autem, que est clementia TUA, non solum summa gratia me landandum remunerandumque ducebas; verum etiam ostendebas, TE percupere, ut perpetuo TIBI praesens adesse; nisi grandi jam etati mee missiuncel ac immunitatem hanc concedendam clementissime judicasses. Summo senectuti mee praesidio atque solasio est ista CLEMENTISSIMI REGIS erga me benignissima & constans voluntas, quam crebris etiam litteris, regia manu signatis, confirmatam multos per annos experitus sum. Huic itaque otio, quod per TE mihi factum est, debetur hec omnium, que diversis vita temporibus elaboravi, scriptorum in unum fascem collectio, cui AUGUSTUM NOMEN TUUM hac etiam justa causa prescribendum putavi, ut in omnibus Europa locis, ad qua hac volumina perventura sunt, videant prae dicentesque homines FRIDERICI GUILLELMI incredibile studium viros in arte medica peritos astimandi, distinguendi, & quod maximum est, preclare efficiendi, ut, remota omni empiria, res medica & chirurgica in provinciis SUO sceptro subjectis florent, vireant, & nova quotidie incrementa accipiant. Effectum hoc maxime est singulari ista providentia TUA, qua non solum collegium, quod Berolini floret, anatomico-chirurgicum largis instruxisti privilegiis; ibidemque olim fundatam scientiarum societatem bibliotheca satis numerosa splendidoque rerum naturalium apparatu donasti; sed etiam singulis prope annis homines quosdam idoneos liberalitate TUA clementer adjutos, ad cultissimas gentes peregrinatum amandasti, ut si quid in anatomia, chirurgia & historia medica studio perfectius invenirent, id omne sollicita.

cita diligentia domum referrent. Neque minus silentio prætereundum, sed ad omnis posteritatis memoriam propagandum est, quam impense bonarum artium & litterarum studiis faveat CELSISSIMUS omnisque generis virtutum & scientiarum decoribus ornatissimus PRINCEPS HERES, a cuius imperio universæ res publica & litteraria sibi olim promittit pulcherrima. Eodem certe jure SERENISSIMÆ NOSTRÆ REGINÆ incredibilis erga eruditos, maximeque medicos amor, ejusdemque eximium artium curiosarum, atque experimentorum tam physicorum, quam chymicorum studium prædicandum est: quandoquidem cum ceteris sapientie partibus illam præcipue estimat, unde pleniorē naturæ cognitionem nanciscimur. Pulcherrima mineralium ex toto orbe specimina, lapides preiosissimos, ut & herbarum florumque collectiones elegantissimas lettissime SUÆ bibliothecæ, in quam & mea scripta meamque imaginem inter viros clarissimos repositam suscipere dignata est, adjecti; atque de his omnibus tam peritis disserit, ut apertum sit, hac non esse reposita, ut otiosa quiescant, sed ut plane perspicerentur, subinde probe considerata fuisse.

Supereft, ut, REX POTENTISSIME, TE supplex rogem, velis pietatem hanc meam clementissime admittere, nec adsperrnari munus TIBI debitissimum TUIS Divorumque AVI ac PARENTIS TUORUM beneficiis productum, auctum & ad maturitatem proiectum. Equidem dum vivam non desinam piis apud Deum precibus TUAM incolumitatem SERENISSIMÆQUE DOMUS REGIÆ perpetuitatem efflagitare, eroque ad ultimum halitum

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX  
REX ET DOMINE CLEMENTISSIME

REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

humillime devotus servus  
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

# PRÆFATIO AUCTORIS

*De differente artis Medicæ & Medicorum conditione ac statu & Criteriis boni ac periti Medici.*

**M**AGNA sunt elogia, splendidaque tituli, quibus medicinam a multis pa-  
sim condecoratam videmus; nullum tamen, me judge, majori jure  
saluberrimæ huic arti tribuitur, quam quo ab optimo medicinæ paren-  
te *Hippocrate* divina appellatur. Et recte quidem: quia sapientissimus  
universi conditor non modo in tripli naturæ regno, ad valetudinem  
tuendam, omnisque generis morbos profligandos, remedia recondidit aptissima,  
sed & ipsam corporis humani naturam tam sapienti construxit ratione, ut determin-  
nato quodam motuum ordine, se a terra corruptionis labo & imminentे interitus pe-  
riculo vindicare possit quam optime. Quin imo ipse Deus in sacris litteris se medi-  
cum profitetur, & Christus benignissimus generis humani servator, quamdiu inter  
homines egit, nullam magis artem, quam medicam exercuit, ut ideo tum animę,  
tum corporis medicus exstiterit præsentissimus. Et profecto, si benefaciendo, ut  
constans fuit sapientum sententia, homo ad Dei naturam proxime accedit, ego  
certe, an ex ulla doctrina, si cœlestem exceperis, majora in genus humanum be-  
neficia, quam ex medendi scientia possint redundare, non perspicio. Quid enim  
præstantius, quid optabilius, quam corpus humanum, sublime illud immortalis spiritus  
domicilium, diu sanum servare & integrum, & non modo dolores, corporique par-  
ter ac animo infensas ægritudines avertere, sed mortem quoque diutissime arcere?  
Sat graves igitur rationes habuerunt veteres, quibus inducti, medicinæ inventores  
in Deorum numeram retulerunt; & quare primi & præstantissimi heroes, qui po-  
populis præfuerunt, inque gravissimis bellorum tempestatibus fortitudinis docu-  
menta dederunt, ut Chiron Centaurus, Palamedes, Achilles, Mâchaon & Po-  
dalirius vel docenda arte, vel discenda & exercenda eadem occupati ab illis descri-  
buntur, qui plurimum illis adjungere laudis & honoris voluerunt.

At vero, quo nobilior, quo excellentior hæc est scientia, eo magis cum Hippo-  
crate dolendum est, propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & propter eos,  
qui temere de medicis judicant, rem esse vilissimam, omniumque opprobrio expositam;  
siquidem in nulla fere professione, tanta arrificum ignorantia & multitudō conspi-  
citur, quam in medica, dum quisque fere, vel ex infima etiam plebe, se medicum  
profitetur, & medicamentum adversus certum morbum jaestitat; quare scite Plinius  
lib. I. cap. 29. ait: *in hac arte sola evenit, ut cuicunque medicum se profitenti statim*  
*credatur, cum tamen periculum sit in nullo mendacio majus.* Verum enim vero, ut  
ut ignorantum vulgus medici nomine indignum prorsus aestimandum sit: datur tamen  
etiam inter eos, qui medicinæ addiscendæ & faciendæ ex instituto quasi se mancipa-  
runt, ingens admodum differentia, dum auctore gravissimo Hippocrate loc cit. mul-  
ti fama & nomine medici, re autem vera & opere pauci dantur; & lib. de veter. me-  
dic.

PRÆFATI O AUCTORIS, VII

art. ait: sunt ex iis, qui medicina operam dant, alii leves, alii multo præstantes; ut enim aliorum artium opifices plurimum inter se differunt, sic etiam in medica evenit arte. Atque hoc ipsum in omnis generis disciplinis certo observari, satis in propositulo est. Neque enim omnes, qui cœlestem doctrinam profitentur, rerum divinarum cognitione earundemque tradendarum ac tuendarum dexteritate ita æquales sunt, ut ut venerandum nomen theologorum æquo jure mereantur: nec omnes, qui causas in foro agunt, statim jure consultorum nomen merentur; nec denique, qui agros vel turres metiri, aut ædificium exstruere didicerunt, mathematici habent: sed longe utique plura & majora requiruntur, quæ efficiant, ut tam pulchris tamque honorificis appellationibus, quibus exornari plerique gestiunt, peritorum judicio digni existant. Quæ vero cum ita sint, & in medicina, perinde ac in cæteris disciplinis, non omnes, qui per vicos obambulando se fatigant & morborum curationes suscipiunt, veris ac peritis accenseri medicis debeant; opera omnino pretium fore arbitror, paulo accuratius diducere, quænam ad nomen hoc cum laude obtinendum desiderentur; unde pronum intellectu erit, per paucos etiam nostræ ætatis esse medicos, qui jure sibi ac merito hoc nomen possint vindicare.

Primum vero præstantis & periti in arte medica viri criterium, ex ipsa medicinæ definitione, quam *Galenus lib. de præcognit.* prodidit, ubi eam salubrium & insalubrium scientiam denominavit, desumemus; siquidem & præfixus medicinæ scopus & medici officium in eo unice consistit, ut, remotis vanarum opinionum & præjudiciorum commentis, ex fundata, solida, & sufficiente ratione demonstrare ac scilicet adserere possit, cur & quare hoc vel illud alimentum aut medicamentum ad valitudinem conservandam morbosque sanandos, salutare, vel minus tale sit dicendum. Ex quo consequitur, solidam omnium earum rerum cognitionem, quæ tum ad rationalem & demonstrativam explicationem, tum ad æquum rectumque judicium, de propria ægrotantis natura, morbi causa, & de convenienti remediorum applicatione formandum spectant, a medico desiderari. Nam siulla in disciplina, acriori, exquisito & quasi ad exactam lanceam revocato judicio, (quod tamen non adeo facile, sed ipsius *Hippocratis* effato difficillimum esse solet,) opus est, certe illud ad artem medicam requiri arbitror. Quicunque enim ægrotantibus vel salutaria vult propone, vel noxia dissuadere, is non modo propriam ipsius ægrotantis naturam corporisque constitutionem, morbi originem, genium & causas, symptomatumque rationes, sed & innumerabilium aliarum rerum & in primis naturalium, atque remediorum tam a priori; quam a posteriori, vires ac effectus cognitos perspectosque habere debet accuratissime. Quo quis enim meliori rerum naturalium cognitione, quo maturiori judicio, tam ob longiorem usum, quam ob rerum salubrium & insalubrium exquisitus perspectam naturam medicus est instructus, eo certe magis alii est præferendus. Magnifica certe & omnino præclara laus est, qua *Thuanus*, historiorum ille princeps, Hollerium, excellentem quandam medicum & professorem Parisiensem commendat, quando commemorat, quod ipse assidua meditatione aceratum judicium ad medendum attulerit, ut deploratos morbos, & ob festinationem ab aliis medicis per vicos vagacurritatione mulos fatigantibus, minus cognitos, summa felicitate curaverit. Longe vero aliter imperiti medicorum agunt & sentiunt, qui in sola experientia medendi artem repositam existimantes, ex hac unice, quid proficuum corpori, vel noxiun sit, cognosci posse arbitrantur; quam tamen & res ipsa doceat, & ipse antiquissimus artis parens confirmet, experientiam in rebus medicis admodum esse fallacem. Evidem experientiam in nostra arte tum haberi

putamus, quando in morbo ad datum aliquod remedium, non semel, sed aliquoties, faustum vel adversum observavimus effectum, quod quidem cum in sensu incurrat, non fallit: sed in eo fallaciam committi deprehendimus, quod nimis præcipitanter talem effectum ipsi medicamento, seu verae & unicæ cause adscribere non dubitamus, cum plures sœpe aliæ ad talem effectum producendum concurrentes causæ, quas adsequi vel non possumus, vel non studemus, simul debeant considerari. Atque ex hoc falso principio, uti innumeris fere in rem medicam & artis exercitium, errores irreperunt: ita etiam hoc malum maxime deducendum esse arbitror, quod omnis fere generis homines, ut supra jam ostendimus, ad consilia danda artemque exercendam, tam prompti sint atque faciles. Nam medicina empirica tam magnum lateque diffusum, & epidemium quasi malum est, ut vix ullus a summis ad minimos usque ab eo sit immunis, sed quisque ad curandum paratus expertum remedium depraedetur; id vero cum maximo sœpius damno, ex quo eluctari, vel in clariori hujus seculi luce difficillimum est.

Et quoniam medicorum plurimi hanc sibi viam eligunt, nudæque experientia inherendo, morborum curationes moliuntur, fit omnino, ut ne probabilem quidem, multo minus adæquatam & perspicuam rationem, quare haec vel illa suaserint vel disuaserint, possint afferre, quin imo sponte exinde sequitur, ut tantæ inter medentes dissensiones & dissidia circa remediorum efficaciam etiam nunc vigeant, adeo, ut quod unus in certo morbo probat atque extollit, alter penitus improbat atque rejiciat.

Quot enim nostro tempore sunt de venæ sectionis in intermittentibus, inque exanthematicis febribus; de corticis chinæ & cascarillæ ad rebelles intermittentes febres profligandas; de medicamentorum martialium usu in cachexia & malo hypochondriaco; de purgantibus acrioribus in hydrope; de camphoræ usu interno in malignis & deliriis; de lactis usu in phthisi & doloribus podagrlicis; de mannatis laxantibus circa tempus suppurationis variolosæ, quot, inquam, de horum utilitate & noxa plane dissidentes ac prorsus contraria medentum opiniones jactantur, cum tamen omnes & singuli, quo suam sententiam defendant, ad experientiam seu inconcussum veritatis medicæ fundamentum, configuant. Consultum itaque fore dicimus, ut non modo in veras tantarum dissensionum causas paulo accuratius inquiramus, verum etiam, quomodo ex hoc labyrintho emergere possimus, solcite circumspiciamus.

Primum itaque sciendum est, per paucos esse medicorum, qui de remediorum viribus & operandi modo recte judicandi fundamentum norunt. Plurimi sunt in hac sententia, activis rebus, ipsisque medicamentis & alimentis certas, perpetuas & absolutas quasdam juvandi vel nocendi inesse vires, cum tamen eorum operationes & effectus, re paulo altius perspecta, certis tantum relationibus & conditionibus nitantur, ideoque limitatae sint, adeo, ut pro corporum & naturarum differenria, nec non causarum morbificarum diversitate, neque minus pro diverso, quo adhibentur tempore, mensura, ordine & modo, multum inter se varient ac discrepent. Quadrat huc notissima illa philosophorum regula: corpora non agere secundum sphæram activitatis, sed secundum modum receptivitatis.

Ut veritas hujus dicti in re medica paulo clarius innotescat, diversum alimentorum & medicamentorum effectum, pro diversitate rerum & naturarum paulo curius considerabimus. Quid quæso frequentius est, quam ut cibi ad sustentandum optimi, ægrotantibus summo sint detimento? Aqua pura frigida exæstuantibus fere opti-

optima & analeptica est medicina; cum corpori ex nimio labore sudanti paulo largius ingurgitata pro veneno sit. Infusum fabarum coffee senibus insignem vigorem, & corpori, & animo scenerat; juvenibus vero, præsertim fœminis, quorum systema nervorum admodum mobile, non adeo amicum, ut molestum interdum artubus tremorem inducat. Ex medicamentorum classe magnesia alba, ubi prima regio acidis scatet succis, egregie alvum movet, in aliis, ubi primæ viæ obseßæ sunt viscido humore, non nisi ventris tormenta provocat. Mercurius dulcis est præstans in infantibus adversus vermes remedium; sed ubi primarum viarum regio biliosis, æcribus, recrementitiis succis scatet, deleteriam sæpe induit naturam. Suaveolentia, ut ambra & moschus in infantibus sæpius adversus convulsivos & epilepticos motus summo cum fructu adhibentur, cum in fœminis hystericis & animi deliquia, & motus spasticos potius augeant. Medicamenta, quæ nitrum vel opium correctum ingreditur, in illis, qui doloribus & spasmis urguntur, insigniter sudorem & exanthemata expellunt, cum in corporibus phlegmaticis & imbecillioribus, retinendo transpirationem cum exanthematibus, summam perniciem inferant. Vidimus matura venæ sectione juvenes sanguineos ad phthisin valde dispositos, ab ea prorsus immunes redditos, cum aliis, phlegmatici temperamenti, ex repetita venæ sectione in hæmoptysin & phthisin incidere. Spiritus cornu cervi & salis ammoniaci urinosus sanguinis massam omnium consensu nimium commovent; nihilominus sæpius vidi in hæmoptysi, in narium quoque & uteri hemorrhagia optimo cum successu fuisse hæc medicamenta exhibita. Compertissimum porro est, a duobus granis resinx jalappæ solutis vel in pilulam redactis, in quibusdam vel decem posse moveri sedes, cum in aliis vix decem grana eundem effectum producant. In nonnullis mercurius parva dosi pedum malleolis inunctus brevi tempore movet salivationem, cum in aliis & majori dosi id fiat difficillime; idem purgans pluribus unius ejusdemque ætatis oblatum, mirum inter se differentes exserit operationes. Atque hoc ipsum simili ratione de reliquis & magnæ activitatis remedii, quæ vulgo heroica dicuntur, tenendum esse arbitramur; quare recte dictum est ab Hippocrate in Lib. de præscripta medicin. neminem ad medicinam addiscendam animum applicaturum esse, si eadem vita & virtus ratio, & sanis & agris accommodata esset; vel etiam, si idem semper effectus data remedia sequeretur, quod tamen nullo unquam tempore expectare licebit; nam alimenta non minus ac medicamenta tam ad juvandum, quam ad nocendum pro se & sua natura prompta atque parata sunt; sed tum demum proficiunt, quando prudenter, circumspecte, & cum recta ac fundata ratione fuerunt usitata, alias plus nocent quam profundunt.

Jam vero non immerito movetur quæstio: in quonam rectus vel perversus eorum usus consistat, & quomodo hic evitari debeat? Qua de re, ubi antiquissimos & summos in arte nostra viros consulimus, invenimus in primis Hippocratem, Galenum, Celsius unanimi consensu affirmasse: in medicina cum ægrotantium emolumento facienda, non solum ad morbum & ejus symptomata esse respiciendum, sed potissimum requiri, ut ad propriam cuique corpori naturam sive idiosyncrasiam, robur quoque virium, prægressos morbos, dispositionem ad morbum a parentibus, insuper ad æatem, habitum corporis, diætam & vitæ genus, consuetudinem, clima, anni tempora, imo ad ipsius morbi tempus & progressum animum advertamus, quia pro horum diversitate, medendi methodus & remediiorum operationes multum admodum differunt. Ut rem in pauca contrahamus: medicus in curatione morborum & prescribendis remediis, ad completam, si habeti potest, morbi, & ægrotantis historiæ

ante omnia debet advertere; quam si ex sana theoria physico-medica quoad omnes circumstantias, & præcipue quoad causam morbi & symptomatum recte cognoscendam, resolvere satagit, facile perspicet, non cerra & specifica quadam ad morbum sanandum prostat medicamenta, sed plura sæpius, quæ alios juvant, aliis eodem morbo laborantibus nocere. Atque hanc ob rationem clarissime appetet, non meliorem ad medicorum discordiam & dissensiones, quas inter se alunt maxime de diversis in hoc vel illo morbo medicamentorum effectibus, componendas viam dari, ac si semper, ubi faustus vel infaustus in morbis effectus ab iis observatus fuerit, is ad circumstantias in historiis morborum contentas referatur. Verum Vulgus medicorum hæc omnia parum curat, sed auditio tantum morbi titulo, & recensitis quibusdam symptomatis, protinus ad præscribenda remedia properat, quæ ipsi vel per experientiam in simili morbo visa vel audita fuerunt salutaria, vel mox etiam promptus & paratus est ad rejicienda ea, quæ ex perverso quodam præjudicio ipsi vel audita, vel visa fuerunt noxia.

Deinceps præstans & peritus medicus ex vera morbi historia & rebus anteecedentibus, primam morbi originem & fontem, a quo symptomata seu effectus profluunt, curate eruere studet, medendique intentionem ad causam, maxime proximam removendam dirigit. Verum, qui sine ratione artem exercent, symptomatum magis quam causæ rationem habent, & ad illa abigenda omne conferunt studium, & varia atque minus accommodata exhibent. Et vero præcipius sagacis & rationalis medici character, non multis variisque, sed paucis, appropriatis & efficacibus ad morbum profligandum uti remediis. Etenim causæ morborum tam proximæ, quam mediatæ non tam multiplices & diffusæ, sed simplices & paucæ sunt, licet ratione locorum valde dissidentes effectus producant, ad quas abigendas non tanta remediorum copia & varietate opus esse comprehendimus, modo recto ordine, tempore & modo adhibeantur. Longe vero aliter procedit minus rationalis in morborum curatione, utpote qui, si exhibitum medicamentum non statim desideratum exhibit effectum, hoc facile mutat & aliud ordinat; quod si iterum expectationi minus respondeat, rursus aliud substituit. Qua perversa medicamentorum varietate & multitudine tantum abest, ut vim morbi debellet, ut potius ægrotum obruendo, morbum pejorem & contumaciorem saepissime reddat. Quæ cum ita sint, antiquissimi artis nostræ magistri sat graves haberunt cauias, quare crebriorem remediorum mutationem tantopere prohibuerint, eamque tantum non semper insecuram & saluti ægrotantium valde adversam existimaverint. Ea quippe cuiusvis medicamenti indoles atque facultas est, ut corpori inferat mutationem, quæ si non apta, sed aliena, nec abigendæ morbi causæ accommodata est, longe majores sæpe concitat turbas, salutares naturæ motus pervertendo. Scite itaque magnus ille Anglorum philosophus *Verulamius Lib. I. de augment. scient. remediorum copiam & varietatem ignorantiæ filiam appellavit*; & medicos ad præscribenda & mutanda remedia tam faciles justo zelo his verbis reprehendit: *et si ex opera medicorum quotidiana, quam invisendo, assidendo, præscribendo agrotis præstant, putaret quispiam, haud scznter illos curationem persequi, atque in eadem certa quasi via insisteret; tamen, si quis ea que præscribere & administrare solent medici, accurius introspiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconstancia plena, & quæ ex tempore excogitantur, ac in mentem illis veniunt, absque certo aliquo præviso curationis termino.*

Ego sæpius a Principibus etiam viris quæsitus, quomodo peritus & præstans medicus,

dicus, cui fidere tuto possimus, ab imperito discerni possit, responsum dedi, vietandum eum esse, qui, antequam veram morbi indolem & causam, ægrotique naturam paulo penitus cognoverit, mox ad præscribenda & saepius mutanda medicamenta paratus sit; commendandum vero eum esse, qui, priusquam se accingat ad ordinandum remedium, permultis questionibus habitum corporis & animi, robur naturæ, digestionis & excretionis negotium, morbi genium, originem & causas remotas ex diæta, vitæ genere & aliis accuratissime scrutatur, & prægressa seria meditatione, per pauca cum debito vitæ regimine, sed diutius continuanda remedia præscribere confuscat; utpote semper suspecta esse debet nimia medicamentorum mutatio, quam etiam valde improbarunt veteres, id quod *Celsus l.3.e.r.* prodidit his verbis: *oportet, ubi aliquid non responder, non experiri aliud atque aliud; nam in longis morbis, quos tempus ut facit, ita solvit, non statim condemnetur, si quid non statim profuit, minus vero removeatur, si quid paulum saltem juvat, quia profectus tempore expletur.* Nam si ulla in re & arte ad exoptatum consequendum scopum, temporis exspectatione atque beneficio opus est: certe in operibus artis nostræ valet; nam ad certum effectum præstandum, sive ad infensum illud, quod motibus vitalibus obest e corpore removendum, certa proportione, mensura & numero motuum, qui tempore continetur, opus est. Spectat hoc Juvenalis dictum: Cunctator debet esse, qui de salute judicat.

Deinceps prudens medicus in recto administrandi remedia usu, maxime omnium naturam corporis debilem & imbecillem a valida & robusta probe distinguere debet; utpote illa & omnibus morbis & gravioribus symptomatibus obnoxia est, & quam facile a causis atque rebus minus amicis offenditur, imo difficulter sanescit, cum naturæ corporum robustæ morbum, validaque ad nocendum medicamenta facilius ferre, nec non superare possint. Medicis itaque periti est, non modo naturas robustas a debilibus, sed etiam medicamenta valida, & fortiora a debilibus & lenioribus probe discernere; nam *divus senex in Lib. de homin. §. 54.* perite prodidit, *medicamenta a natura fortiora, quibus viis statum corporis transmutandi inest, nec in debilibus morbis, nec debilibus naturis dare oportere;* omnesque saniorum medicorum scholæ quotidie adhuc utilissimo hoc monito personant; sed vulgares practici salubertimum hoc monitum non attendentes, nec morbi vehementiam, nec vires ægrotantis imbecilles, nec medicamenti fortiorum effectum considerant, sed ad contumacem & chronicum occurrentem morbum ut eradicetur, vi quadam & vestibus quasi opus esse existimant, & hinc fortioribus ex purgantium, salivantium, emeticorum, sudoriferorum & diureticorum classe utendum esse, perverse judicant. Sed dicit vix potest, quantum damni malo chronicò laborantes inde experiantur. Ego saepius non sine dolore, a medicis etiam in dignitate constitutis, exitiales a medicamentis fortioribus & saepius repetitis, imbecillimis administratis, errores commissos animadverti, ut splendidæ etiam personæ, quæ securioribus poterant servi, perierint. Ego sancte affirmare possum, me, cum ultra dimidium seculi innumerabilibus ægrotantibus profuerim, nunquam non ab omnibus vehementioribus ex evacuantium, sedantium & alterantium classe, sedulo & follicite tam in morbis acutis, quam chronicis abstinuisse, sive naturæ robustæ, sive imbecilliores fuerint, sed lenioribus, securioribus usu longo exploratis, cum patientia & expectatione temporis, curationes, benedicente Deo, absolvisse felicissime. Hac enim secura & leniori methodo, innumeros affectione hypochondriaca, melancholica, manaca, cacheistica, scorbutica, hydropica, asthmatica, & intermittentium contumacia laborantes, me integerrime sanasse certe profiteor.

Accedimus jam ad alia criteria, quibus peritus ab imperito medico possit distingui: hic quippe firmiter sibi persuasum habet, non modo in quovis morbo, certa dari specifica & salutaria medicamenta, quæceu arcana summe extollit, verum etiam medicinas existare universales, per chymicam artem, ex auro maxime paratas, quarum mirabiles in singulis morbis effectus deprædicando, magnam apud ignarum vulgum famam magnumque lucrum aucupatur. At vero eruditus & candidus medicus phantasmata hæc & ludibria, quæ ex male fana theoris physico-medica proveniunt, ridet, optime gnarus, morborum causas & tempora, ægrotantiumque naturas, multum admodum variare; ideoque nec ullum esse medicamentum, quod his omnibus possit satisfacere, multo minus id, quod aurum ingreditur. Siquidem abunde satis ex chymicis constat, nullum omnino in universa rerum natura existere corpus, quod ad medicum usum ipso auro minus sit idoneum, dum a nullo menstruo li quore, nisi corrosivo, quem ex nitro & sale communi præparare solemus, arctissima ejus compages, a qua gravitas, qua nulla major est, dependet, dissolvitur; & falsissimam est, per insipida, ut falso perhibent, menstrua, intimam hujus metalli solutionem posse obtineri, quæ tamen necessaria sit, quando in corpore humano effectum debet præstare.

Neque minus inter requisita præstantis atque vere rationalis medici, id omnium maxime debet referri, ut de rebus medicis, per experientiam nondum satis cognitis, rectum ferre judicium possit. Occurrit sæpius medenti in artis exercitio, ad consilium dandum, casus plane singularis, & propter varia & mirabilia symptomata nunquam ante annotatus, ubi diligenti circumspectione, meditatione & acri judicio opus est, ut non modo morbi atque symptomatum rationem, sed aptam quoque & tollendis causis accommodatam inveniat methodum. Neque deinceps novum, sed frequenter obvium est, ob peculiarem & extra naturæ ordinem quasi contingenter tempestatum & temporum anni constitutionem nova morborum, maximeque febrium grassantium, prodire schemata, quorum commoda sanandi ratio per experientiam nondum satis constat, sed sollicitam medici de ea invenienda curam omnino postulant. Neque hic labor medicum, rerum medicarum vere peritum, adeo multum fatigat; siquidem hic non minus theoria physico-medica, quam necessario observationum clinicarum apparatu instructus, attenta circumstantiarum ac causarum, tam antecedentium quam consequentium consideratione, facile potest invenire, quenam medendi via sit ineunda; & num per venæ sectionem, per laxantia, & per acida ac nitrosa potius, quam per volatilia & spirituosa institui debeat curatio. Quare perite ab Hippocrate inter præstantis medici notas, hanc præcipue in ejus lib. de prisca medicina relatam legimus, ut aliquid possit invenire, si quando, novus, & ante a non observatus morbus occurreret.

Notum quoque porro est, sub diverso climate, v.g. in regionibus ad septentrionem vel meridiem vergentibus, certa dari morborum genera, a diversa cœli, aeris, victus & vivendi ratione derivanda, quæ pro diversitate sua differentem quoque postulant sanationem, dum, optime notante Celso Lib. I. p. 8. aliud opus est Rome, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Quandounque igitur medicus rationalis, ut sæpius evenit, locum mutare, & ex Dania & Svecia in Italiam, vel ex hac & alijs calidioribus regionibus septentrionem versus debet concedere, facile auguratur, ipsa medicamenta sibi esse permutanda, longeque aliam curandi methodum excogitandam, dum fortiora & potentis indolis remedia, quorum usum septentrionales, ceu robustioris natu ræ incolæ sine noxa commodissime ferunt, calidiorum regionum gentibus, que-

ensibilioris sunt naturæ, nunquam fere non gravissimo solent esse detimento. Accedit adhuc, quod pro temperamentorum varietate, & pro diversa humorum in diversis gentibus conditione, medicamentorum quoque operationes mirum in modum differant. Ita Belgis, quorum corpora rudiiores habent fibras, minus elasticas, & difficulter mobilibus scarent succis, salia volatilia, spirituosa & infusa calida optime conferunt, quæ Italica contra, quorum humores fluxiliores & mobiliores, ac fibræ magistens & elasticæ sunt, graviter ut plurimum nocent; sed his anodynæ, lenientia, nitrofa conducunt. Id quoque circumspectum medicum probe admonet, ut in perlegendis medicorum monumentis diligenter attendat, in quanam regione viscerit, cujus scripta legenda & imitanda sibi sumit, ne forte Belgici auctoris prescriptas formulas, in ista regione optime proficuas, sine discrimine, ægrotantibus in calidioribus locis commendare audeat.

Magnum adhuc est discrimen inter medicum principiis physico-mechanicis probe instruētum, & inter eum, qui in utilissimis hisce doctrinis rudis & quasi hospes est. Ille enim cuiusvis simplicis ex triplici naturæ regno petiti, v.gr. aquarum, maxime que fontium tam calidorum quam frigidorum elementa, principia & vires, licet usu antea nunquam exploraverit, ex odore, sapore & analysi chymica potest cognoscere; & quales in hoc illo morbo, hoc vel alio tempore, & in hac illave corporis constitutione effectus exserere possit, prævidere. Quod ut clarius adhuc pateat, exemplum adducere placet. Satis, ut arbitror, per experientiam notum est, corticem cascarillæ in nimiis alvi fluxibus, tam serosis, quam sanguineis, efficacissimam esse medicinam: quem effectum & operandi modum rationalis medicus, etiamsi nihil unquam de eo audiverit, ex penitiori, & secundum artis leges suscepta hujus medicaminis exploratione, facile poterit cognoscere. Etenim, quum hicce cortex gratum de se spargat odorem, & principium contineat amarum, terreum ac resinofum, optime exinde anodynæ, roborantem & acres humores temperantem colligit virtutem.

Ulterius sagax & peritus medicus in persanandis, maxime acutis passionibus, non solum ad medicamenta eorumque agendi efficaciam, sed ad beneficium quoque & ministerium ipsius naturæ, quæ ab antiquissimis optima morborum medicatrix dicitur, respicit, eo, quod hæc ipsa sola saepius, vel levi tantum arte, aut commoda diæta adjuta, in plebejis, rusticis & iis, qui medico & medicamentis defituti sunt, populis, ægritudines valde periculosas, ut peltem, exanthematicas, variolosas, morbilloosas & inflammatorias febres depellit quam optime.

Per pauci vero ex medicorum numero sunt, qui hanc salutarem artificiosissimæ corporis animalis fabricæ, sive naturæ a Deo insitam therapiam agnoscent recteque intelligunt, cuius tamen ope non modo ipsum corpus animale, in se & sua natura perpetuo corruptioni obnoxium, per omnem vitam a tetra putredine integrum conservatur, verum etiam quod sanitati & vitæ adversum est, per variæ generis emunctoria expellitur, amicum vero & utile intus retinetur. Rectissime hinc prudens medicus in morbis, maximeque acutis sanandis, excretionum motuumque præternaturalium indolem, vim & efficaciam, & tempora quibus fiunt, probe scrutatur, & num ad salutis vitæque tutelam ac sanitatis restitucionem, an potius ad corporis destructionem & interitum tendant, probe examinat, eosque si deficiunt, vel excedunt, commoda medicina moderari inque ordinem redigere studet, præsertim quum in hoc naturæ ministerio recte gubernando, artis nostræ usus & potentia quam maxime consistat. Quum vero naturæ motus ordine & tempore

Sæpius recto fiant, & per convenientia loca materia corpori infensa expellatur; cavit omnino prudens medicus, ne forte salutarem naturæ ordinem inepta & vehementi medicina perturbet.

Minime vero id attendunt imperiti medici, qui naturæ legum in medendo nescii, medicamento vel fortiori, vel leniori singulis fere horis repetito, sæpiusque incongruo hunc laudatissimum naturæ ordinem pessimo ritu intercipiunt, & damnum inferunt præsentissimum.

Verum enim vero surrexerunt hac tempestate celeberrimi nominis viri, qui huic naturæ beneficio nimium pretium tribuerunt, adeo, ut fere rationalis medicina non parum inde decrementi accipiat. Statuant videlicet, per naturam intelligi debere animam, quæ rationis particeps est, & quæ summa sapientia atque arte ipsum corpus formavit; & hinc non dubitandum esse, quin eadem sapientia illud gubernet & conservet; motus videlicet ita administrando & dirigendo, ut in statu tam fano, quam præternaturali, quod noxiun est, & interitum minatur, per convenientia loca expellatur; indeque concludunt, ad artem exercendam non subtili theoria, vel ratione ex principiis physico-mechanicis petita, ad explicandas res medicas, opus esse; utpote quæ in consideratione rerum inanimatarum magis, quam in corporibus, quæ sensu & cognitione interna prædicta sunt, locum sibi vindicet; sed sufficere, ut medicus tantummodo naturam, per medicamenta pauca & selecta, quæ alterandis vitiosis humoribus, & iis per congrua loca blande evacuandis servient, adjuvet. Licet vero hæc simplex & facilis medendi methodus in personandis passionibus levioribus & quæ facile transeunt, & ubi satis virium est, non improbanda sit: minime tamen eam solam tam in acutis quam chronicis avertendis ac vincendis morbis sufficere arbitramur, cum natura & hæc methodus benigna in personandis contumacibus passionibus, ut sunt lues venerea, gonorrhœa, affectio hypochondriaca, melancholica, maniaca, cachectica, scorbutica, hydropica, phthisica, asthmatica & diuturnæ intermittentes & anomalæ febres, atque epileptici, spasmodici motus, parum valeat: & opus hic sit potentioribus, & multo pluribus remediorum generibus, & magno in applicandis remediis judicio, quod plura requirit subsidia.

Verum, ut aperte de hac nova theoria medica nostram interponamus sententiam, afferimus, artis medicæ objectum neutquam esse corpus, a sapiente principio formandum, sed quod jam sapiente & divina semini insita virtute formatum est; cu us motus tantum medicus sua sapientia, per convenientem rerum necessiarum administrationem regere debet; liquidem motus vitales, qui pure mechanici sunt, in formato corpore neutquam amplius a sapiente interno principio fiunt & sustentantur, neque ad salutarem finem in morbis diriguntur; sed a caulis mere externis, evidenteribus, necessariis, puta elementis, & alimentis, medicamentis aliisque remediorum generibus dependent reguntur & conservantur: Siquidem deiformes post vulnera externarum partium relictæ cicatrices abunde docent, nihil adhuc a natura in corpore sapienter formari. Deinceps notandum est, veteres per vocabulum naturæ, vel vires corporis motrices, vel solidarum partium structuram, quæ pro diversa ætate, sexu, vitæ genere, & dispositione nativa ac hæreditaria varia est & mutabilis, tantummodo indigitasse, ideoque has res naturales dixisse. Evidem non negandum est, magnam vim phantasie esse vitales motus non quidem efficiendi, sed duntaxat turbandi & pervertendi, ut videmus in animi affectibus & morbis, qui exinde fiunt; sed hos pravos effectus, ut in ordinem redigat, nec phantasia, nec anima rationalis quicquam valet, sed prudens medicus ac commoda medicina id præstare debet. Neque

que unquam veteribus in mentem incidisse reor, ut in animantibus ens cognitione interna præditum, omnis generis motus certum in finem efficiens, constituerint. *Hippocrates* pluribus in locis id disertis verbis negat, qui lib. I. de diæta §. 6. de naturis hominum inquit, res faciunt, non sciunt; quæ vero faciunt, scire sibi videntur. & quæ quidem vident, non cognoscunt: attamen omnia ipsi sunt per divinam necessitatem. Et lib. de morib. vulgar. Sect. VII. §. 6. ait, natura ipsa sibi per se, non ex consilio, motiones ad actiones subeundas invenit a nullo edotta, citraque disciplinam ea quæ convenient, efficit. *Helmontius*, qui alias multum immaterialibus animæ ideis faveret, ab hac sententia plane etiam est alienus; ut pote in Lib. de mort. introitu in natur. human. lectu dignissimo §. 10. negat, corpus humanum, quale nunc est laporum, a mente ad certum finem agente, immediate regi, quemadmodum fieri viderimus in iis quæ hominum artificio instruuntur & perficiuntur; & ridet hoc in passu ipsum. *Aristotelem* eeu naturæ plane ignarum, quod res naturales cum artificialibus confuderit, dum in his quidem causa finalis locum habeat, & supponatur artifex, qui media dirigat; in illis vero, seu rebus naturalibus locum non inveniat; unde, quicquid in natura fit vel generatur, seminum necessitate fieri, recte arbitratur, adeo, ut semina sint rerum principia & causæ naturales, ac ob fines, non quidem sibi, sed soli Deo cognitas agant. *Aretæus* hinc recte naturam artem Dei appellare videtur. Evidem natura non est unum quid, sive una causa, qua animales functiones reguntur; sed vox est, quæ plures complectitur causas, & non modo organicam solidorum structuram, & peculiarem fluidorum cerasin, sed potissimum mutuum atque alternum solidorum ac fluidorum motum systalticum & diastalticum, nec non progressivum, intestinum, secretorium & excretorium, item undulatorium & tonicum denotat; quo salvo, omnes functiones tam vitales & animales, quam naturales recte se habent.

Et quemadmodum in macrocosmo, animantium & vegetabilium ex seminibus evolutione, nutritio, fœcundatio, maturatio, perfectio & vita per motum atque causas evidentes mere mechanico-physicas, & per elementa, & potissimum per aereo-æthereum fluidum solis calore, quem veteres ignem dixerunt, agitatum producitur: ita etiam in microcosmo id simili modo evenire; certissime colligitur; cum quotidie observemus, quantam mutationem in omnibus corporis humani functionibus vitæ genus, habitus corporis, diæta, aeris, temporum anni, tempestatum, locorum differentia efficient, & quomodo etiam ab hisce rebus animi operationes, mores, inclinationes & ex parte actus rationis varient. Sed non hujus est loci & instituti, diutius hisce immorari; id tantum dico, hanc philosophandi rationem nihil plane ad disciplinam medicam pertinere, ut de ea silere consultius ducamus. Nam omnem rationis in rebus medicis explicandis, & causis morborum investigandis, in quibus tamen omne medicationis momentum consistit, usum adimit, atque etiam rerum non naturalium & medicamentorum virtutem & operationem in corpus humanum dubiam nec non incertam reddit: namque illa non ex arbitrio animæ operantur, sed inviolabili necessitate, si requisitis conditionibus applicantur, certum ac determinatum effectum edunt. Id unicum adhuc in eorum gratiam, qui medicinam principiis physico-mechanicis superstructam quasi insaniare omni conatu student, ad bene expendendum addere volo: ponamus, naturam sive animam rationalem, vitalium etiam & naturalium functionium principium & causam esse, eas in certum firem dirigendo: sed tamen eam ipsam nihil prorsus sine mechanismo, id est, sine certa solidorum structura & fluidorum dispositione efficere posse, certissimum est. Nam hæc, si non conveniente tempore, proportione & ordine sunt constituta, omnia

fiunt præter naturam, & versa vice. Jam vero nihil evidentius est, quam quod medicus arte sua non in animam, sed in causas physico-mechanicas, quibus hæc tanquam instrumentis utitur, tantummodo operationem & effectum habeat.

Per multum quoque interest scire, ad boni medici doctrinam, studia & officium minime pertinere, ut subtiliori rerum obscurarum meditationi & cognitioni indulget, sed ea potissimum, quæ in sensu siccum, quæ usum habent, & de quibus evidens ratio constat & dari potest, sectetur. Ut enim multa in rerum natura sunt difficultatum mæandris involuta, quæ omnem cognitionem & intellectus humani aciem exsuperant; ita etiam in philosophia rerum naturalium & medicarum id contigit: quæ secreta naturæ tutius est mirari, quam rimari velle. Ad hunc censem pertinent, unde vis in quovis semine multiplicativa oriatur, & quomodo formatio partium in utero fiat; qua ratione cogitatio & phantasia in corpus operetur, & rurus, quomodo sanguinis constitutio & motus, mentis usum alterare possit; item, in quoniam stupenda vis miasmatis & contagii in peste aliisque morbis malignis consistat; qualis sit proportio inter naturæ & morbi vires; quomodo sensationes fiant in nervosis partibus; an motus febriles & præternaturales propter causam naturæ infestam, bona intentione & saepius mala inventione, excitentur? Quæ omnia posse sunt tuto a medico ignorari, quia sine his ad sanitatem hominem potest perducere. Sufficit, ut is per frequentem usum, attentamque experientiam & solidam demonstrationem & rationem sciatur discernere pernicioſa a salutaribus, atque rationes physicas, licet non geometricas adferre. Accedit, quod hanc maxime ob causam nimis curiosa harum rerum imperscrutabilium indagatio sit evitanda, quod videlicet non nisi materiam & occasionem pessimarum contentionum, litium & alterationum præbeat, quæ medicorum amicam harmoniam & concordiam, in consultationibus valde necessariam, dirimunt.

Ceterum ad sagacis & præstantis medicæ scientiam atque officium quam maxime pertinet, ut valetudinem integrum, & ab omni morborum insultu liberam idoneis remediis, ex fonte diæteticō potissimum petitis, diutius præstet. Nam inter partes medicinae diætética primas omnium tenet, & olim etiam maximi semper habita fuit, artisque certitudinem in avertendis morbis evidenter demonstrat; cum longe expeditius sit, corpus a morbis defendere, quam illud corruptum & vitiosum restituere. Per remedia vero diætética ea intelligimus, quæ ex sinu rerum non naturale, seu absolute ad vitam necessariarum, cum primis defumta sunt. Nam quemadmodum recto harum rerum usu, vita & sana, & longa, diu persistere potest: ita ex plane perverso & inordinato harum abusu, omnis generis vitia & mala in corpus incidere, certa & attenta observatione edocemur. Est itaque præcipua doctrinæ & scientiæ medicæ pars, harum rerum, quibus omni momento ad vitam opus habemus, ex solidis physicis principiis, intimam cognitionem sibi comparare, ut quid mali ad morbos procreandos, & boni ad eos avertendos ac sanandos efficere queant, dilucide addiscant. Nam & elementorum, aeris potissimum, & alimentorum, præsertim ubi a temperie valde deflectunt & subito mutantur, maxima vis & potestas est in corpus humanum, ejus humores & motus immutandi, imo ipsum animum & rationem alterandi. Ideoque dantur morbi certis locis, regionibus & climatibus propriis, & pro diversa temporum anni, temperatum constitutione, & extraordinaria ac subita mutatione, varii generis mala enascuntur. Non datur itaque certior & securior methodus & præservatoria, & curatoria, quam per ejusdem naturæ & generis auxilia, quia sunt naturæ magis am-

PRÆFATIO AUCTORIS, XVII

amica, temperatoria, nec vehementia, sed per gradus & paulatim operantur. Inde etiam factum, ut nulla pars medicinæ, antiquissimis quoque temporibus, majori pretio, quam diæteta habitæ fuerit. Hippocratis monumenta, quæ posteritati reliquit, *Libri de viœ acutor. de diata, Libri epidemior. de natura aeris, aquar. & locor. de alimentis,* id luculenter declarant. Asclepiadis tota sanandi methodus in recta viœ ratione reposita fuit. Si Cornel. Celsi librum quartum evolvimus, in quo fere de omnium vitiorum, quæ in interioribus corporis partibus sedem suam habent, curatione agit, hanc ipsam maxima ex parte mutatione cœli, locorum, vita generis, varietate ciborum atque potus, item abstinentia, variaque corporis exercitatione & motu, fricationibus, balneis, linimentis hunc viœ præstitisse animadvertisimus. Et inter omnes medicos, qui solidi quicquam & laude dignum memoriae prodiderunt, quos imitari possumus, sunt maxime Itali, ut Sanctorius, Mercurialis, Montanus; & nostro ævo Ramazzinus, Baglivus, Lancisius, quia hanc principem artis nostræ partem, adjuti experimentis physico-mechanicis, quæ optime naturam corporum & motuum causas ac leges explicant, paucilo subtilius, longeque optime excoluerunt. Sique veritatem non dissimulemus, utique non modo in avertendis, sed etiam sanandis, præcipue chronicis passionibus, per remedia & præcepta diæteta, si obseruentur, plus quam per pharmaceutica & secreta tantopere decantata effici posse, certissimum est. Præterea recte ac perite Galenus dixit: *nullum tam efficax remedium medicinam habere, quod auxilium afferre queat, si ei viœ vel resistat, vel non adjuvet.* Neque hujus moniti deficit ratio; siquidem morborum origo a causis evidenteribus, prava diæta, & malo vita regimine, atque sex rerum nonnaturalium perverso usu, in primisque ab imbecilli & sensibili natura, unice dependet; quibus causis permanentibus, omnis medicamenti vis infringitur. Præter hæc optime olim Plutarchus annotavit, *ob novam viœ illustrationem, novos incrudescere morbos, & corporum naturam aliam atque aliam inde temperaturam suscipere.* Purpura chronica, quod Germania incolis, nostro jam tempore, tam familiare sit vitium, nulla mihi videtur alia causa, quam frequentissimus infusorum calidorum, præsertim potus coffeeus, quo viscidi & biliosi recrementi humores accidunt, & ad superficiem corporis propelluntur. Dispositio quoque, quæ inclinat ad hemorrhoides, nostro tempore longe frequentior quam olim est, apud eos potissimum, qui cibis penetrantis saporis per aromata peregrina comparati, & vinis calidioribus ex Gallia, Hungaria, & exteris regionibus petitis, delectantur; quibus sanguis circa lumbarem regionem ebulliens, & per pilulas quas aloe ingreditur, concitatior redditus, ubi per venas sedis exitum non invenit, non modo stagnans cæcas hemorrhoides parit, sed & ad interiora regurgitans, pathema spasmatica sic dicta hypochondriaca excitat, qui morbus nostro tempore nimium solennis est. Ulterius sciendum est, fagacem hominem sibi debere esse medicum, obsermando ea, quæ ex cibo & potu, aliisque rebus ipsi utilia atque salutaria, vel minus talia sint. Quare semper mihi per placuit pulcherrimus *locus,* qui extat in Xenophonte de *dītis & factis Socratis* p. 513. Is monebat suos auditores, ut magnam haberent valetudinis curam, tum aperitis discendo, que commoda sunt, tum etiam totam per vitam de se observando, quis potus, quis cibus, quis uerba labor conferat, quia oblitio, mœror, furor, duritie que animi nonnunquam a mala corporis habitudine oriuntur, & quibus corpora recte valent, nullum inde ad mentem redundant periculum. Et profecto tam mutua & amabilis mentis & corporis communio est atque societas, ut corpus sanum mentis sanitati etiam faveat; & contra sana mens ad corporis sanitatem ser-

## XVIII PRÆFATI<sup>O</sup> AUCTORIS.

vandam multum valeat. Spectat huc insignis locus ex Hippocrate, qui extat lib. de flatibus §. 20. nibil magis, inquit, ad prudentiam confert quam sanguis; hic ergo cum in constanti habitu persistit, consistit etiam prudentia; sanguine vero permutato, concidit simul & prudentia. Et lib. 1. de diæta §. 30. totus in eo est, ut demonstret, anima sapientiam a recto vietu dependere. & si lassa fuerit, restitu posse, illo emendato. Quam utilis vero & necessaria ad tuendam vitam & sanitatem diæteticæ sit scientia, nullibi rectius & clarius, quam in corporibus imbecillibus, appareat; quorum in numero sunt senes & natura debiles, a gravi morbo vix convalescentes, & qui ab immodica sanguinis, ex quaunque etiam causa, profusione, vel a nimis vigiliis, fame, aut diurno mœro languentes redditi, vires amiserunt: iis vel levis in diæta error nocet; si gravis fuerit, vel morbi antecedentis recidivam, vel alium pejorem morbum inginit. Hos itaque ante omnia ordinate agere & leges diæteticas servare oportet: ne in vita, præcipue tabem inferentia incident, quod fit, si convalescentes a morbo, arbitrio suo vivant, & subito rufus inordinato vita genere uantur. Quamyis vero doctrina harum rerum sit longe optima & utilissima, mirandum tamen est, per paucos ex medicinæ studio deditis esse, qui hanc in primis excollendam, sibi persuadent; & sunt præcipue ii, qui non nisi medicamentis & arcans aduersus morbos pugnant, & qui hanc doctrinam imbiberunt, naturam corporis humani satis per se esse sapientem, ut si vitium quoddam in diæta accesserit, illud quod nimium sit, per convenientia emunctoria expellat, sique valde infensum fuerit, aduersus id se armet, imo quandoque auctiori motu in febris expellat; ut non tam curiosa vietus observatione opus sit. Et ea propter etiam doctrinæ & institutio rerum physicarum, quæ per effectus & varia experimenta, tam chymica quam mechanica comparatur, nimis aperte ab his negligitur nec satis estimatur, nec aliis, ut scitu necessaria commendatur. Ego vero omni tempore, quo arti nostræ docendo & exercendo vacavi, nihil prius, nihil posterius habui, quam ut hanc medicinæ partem, quæ nos ad rerum naturalium, elementorum & alimentorum penitorem cognitionem atque peritum usum & applicationem perducit, iis omnibus, quibus sua aliorumque salus curæ cordique est, summopere commendarem; idque in meis de diæta, rerumque physicarum indagatione editis scriptis satis ostendi.

Restat jam, ut etiam de parte medicinæ omnium nobilissima & vetustissima chirurgica, quæ externarum partium vitiis recte medendi precepta tradit, nostram sententiam dicamus; quod videlicet hac ipsa medico scitu sit summe necessaria. Complures quidem in hac perversa versantur opinione, hanc artem, quæ manu sanat, & in sectionibus atque externis remedii applicandis versatur, directe ad medicinam non pertinere; at hi certe nesciunt, totum hominem, tam quoad externas, quam internas partes, medicinæ esse objectum, & has invicem tam mirabilem intercedere consensum, ut vitium, quod externis inhæret, perfacile transferat ad interiores & istæ contra graviter luant, si hæ morbose afficiantur. Præterea sciendum est, vitiæ, quæ externis partibus inhærescant, & quæ chirurgi ope egerint, etiam internas occupare, ut dolores, tumores, extravasationes, scirrhi, inflammations, ulcera, apostemata; & singula non tantum externa, sed etiam interna medicamenta requiri; ut adeo pateat, chirurgi & medici munus non multum differre. Neque prætereundum, topica, pro diversa vitiiorum ratione & natura corporum, insignem, ne qua noxa inferatur, prudentiam desiderare; ex quoclare appareat, nec medicinam a chirurgia, nec chirurgiam rationalem, ut verum dicam, a medicinæ fundamentis nullo modo posse separari. Recte igitur sentiebant veteres, qui ex fami-

familia Æsculapii ortos & arte medica imbuendos, ante omnia chirurgiam edocebant; ideoque in suis de re medica monumentis summum eidem pretium statuebant. Atque etiam olim, & nostra hac tempestate, illi medici, qui paulo curatiorem corporis humani anatomen cum chirurgia excoluerunt, præ omnibus aliis magno honore habiti, summam celebritatis famam consecuti sunt. Sed quam pauci sunt, qui egregiam hunc artem probe intelligunt! Si quoque, quod turpe dictu est, qui unice huic arti operam suam addixerunt, eamque ex instituto tractare volunt, ut plurimum suam in ea ignorantiam palam faciunt, ut ideo & ratio & salus reipublicæ medicum hujus artis pariter gnarum, rerumque in ea obviarum peritum jure postulet, quo inscitiam chirurgorum consilio adjuvare, & modesta admonitione possit corriger. Etenim, quicunque ex chirurgis artem suam non empirice, sed ita, ut decet rationalem, tractare vult, is non modo ex anatomie, corporis humani partium externarum, ut os, solum, musculorum, nervorum, tendinum, membranatum, glandularum, vasorum, fibrarum structuram, situm, connexionem atque usum tenere: sed & insuper doctrinam de circulo sanguinis, de vita & conservatione sanguinis, de viribus & robore partium, de nutritione recte perspectam habere debet, ut deinde eo melius de externis læsionibus, nec non de remediorum usu & noxa, judicium ferre possit.

Præter hæc utique operationes manuales, congruis & aptatis instrumentis, omni dexteritate ac circumspectione, administrandi rectam scientiam possideat, necesse est; quibus subsidiis etiam medicus probe sit instructus, ut chirurgum insciūm consilio juvare, imo sèpius corriger valeat. Ceterum ad medicinam rationalem & illud referri debet, ut quis solidum & rectum judicium de morbi eventu salutari vel periculo, de pernicialibus, quæ supervenire solent, symptomatibus, de medicamentorum operatione, qualis futura sit, proferre sciat. Nihil enim est, quod plus ad existimationem medici cumulandam, ad artis quoque certitudinem demonstrandam confert, quam prudens de dictis rebus prognosis. Praclare ideo Hippocrates in Principio Prænotionis differit: medicum prænotionem adhibere, optimum esse mihi videtur; prænoscens enim & prædicens apud ægrotos & præsentia, & præterita, & futura, fidem utique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoscat; quare gaudebunt homines se ipsos medico committere. At vero, quam excellens hæc præagiendi scientia est, tam infida, incertaque ea deprehenditur, adeo, ut non immerito judicium de morborum eventu recte formandum difficillimum sit. Plurimi medicorum vanis & inanibus suis de futuro eventu prædictionibus, sèpius se & artem ludibrio exponunt, dum subinde ægrum, de cùjus salute spem fecerunt certissimam, interire videamus. Neque alia hujus ignorantiae datur cauła, quam quod non sufficiente accuratarum & completarum observationum clinicarum copia & apparatu instructi sunt; neque, quod maximum est, morborum historias ex senioribus artis principiis rite resolvere, neque de eo, quod per corporis humani vires & effectus, atque per medicamentorum energiam fieri potest, recte dijudicare valent. Veteres hanc partem medicinæ maximi semper æstimarunt; sed quoniam non ex integris morborum historiis & observationibus, sed ex paucis tantum circumstantiis suas regulas prognosticas, quarum ingens copia in Hippocratis variis libris reperitur, deduxerunt, non mirum est, rarius illas respondere, sed maxima ex parte fallere.

Accedit, quod veteres nullas veras causas rebus naturalibus & medicis explicandas idoneas, ob ignorantiam physices universæ & veræ medicæ physiologie afferre pos-

terant; neque in quo vitæ, sanitatis, mortis & morborum ratio posita sit, intelligebant, multo minus, per quæ principia, remedia suas vires exferant, cognoscebant; unde etiam de futuris eventibus vix ullum solidum judicium proferre poterant. Etenim curatior & propria cujusque corporis cognitio ad prognosin multum valet. Pulcher hanc in rem extat locus apud Celsum Lib.5.cap.26. ad prognosin confert aliquid & atas, & corpus, & vita propositum, & anni tempus; quia facilius sanescit puer vel adolescens, quam senior: valens, quam infirmus: neque enim iste tenuis, neque nimis plenus, quam si alterum ex his est: integri habitus, quam corrupti: exercitatus, quam iners: sobrius & temperans, quam vino venezie deditus. Opportu-nissimumque curationi tempus vernum est: aut certe neque fervens, neque frigidum. Siquidem & nimius calor & nimium frigus infestant: maxime tamen horum varietas; ideoque pernicio-sissimus autumnus est. Et porro idem auctor in antecedentibus; ante omnia scire medicus debet, que insanabiliia sint, & quæ difficultem curationem habent, & quæ promptiorem. Est enim prudentis hominis, primo eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus, ut occisi, quem sors ipsius interemit. Deinde, ubi gravis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis, in difficulti rem esse: ne, si via ars malo fuerit, vel ignorasse, vel felli se videatur. Sed uero hoc prudenti viro convenient: sic rursus his trionise est, parvam rem attollere, quo plus præstis se videatur. Sed nolo hisce deducendis diutius immorari, quia hoc argumentum in dissertatione de certo mortis in morbis præfigio fusius persecutus sum.

Denique iniquum judicium, imo potius calumnia non tantum vulgi, sed & eruditorum, quin imo medicorum est, theoreticum malum esse practicum, & eum sapientiorem ac peritiorem esse, qui multos habet ægros tractandos, quam qui paucos, existimant. Erroris hujus illecebra & occasio inde nascitur, quod medicina res existimetur, ut etiam est, multi laboris, temporis ac experientiæ; hinc argumen-tantur, qui multos habet ægros sanandos, eum peritiorem esse eo, qui bene & re-de ratiocinari de morbis solet, sed paucos habet ægrotos. At vero utique experien-tia, id est, accurata observatio earum rerum, quæ nocent, vel proflunt, in invenienda medicina locum præcipuum invenit, & ordine præcedit rationem: sed cum jam dudum medicina inventa sit, & per tot secula, per tot nationes ac climata, in-stituta in tot individuis experientia & observatione eorum, quæ corpori infensa, vel amica sint, a præstantissimis medicis notatum fuerit; jam non tantopere amplius de experientia cogitandum, sed eo nitendum est, ut remedia, quorum noti effectus sunt, ad certa individua, ad certas morbi circumstantias debito ordine, tempore ac loco applicemus, atque prudenter ea accommodemus. Et hæc specialis medendi methodus nil nisi prudentia, consilium ac ratio medici est, & ex morbi cum indole remediorum accuratiore collatione, comparatione & omnium circumstantiarum penitiatione nascitur & acquiritur. Ubi non negandum, quod qui tali prudentia, ratione & habitu judicandi instructus sit, artis continuo exercitio multum proficiat & adhuc confirmetur. Bonus itaque theoreticus saniorum medicorum consensu is est, qui theoriam ac ratiocinationem suam accommodare historiæ morborum, nec non experientiam rationi conformem ac demonstrativam reddere didicerit. Unde bonus theoreticus non potest etiam non esse bonus practicus. Hinc medici ratio vel theoria debitum præsidiis instructa & experientiæ superstructa, magnos in medicina facit pro-gressus, causas ac fontes morborum apte aperit, cur alia corpori noxia sint, alia proficia, incredibili solertia disquirit, veteres cum recentioribus feliciter conciliat,

medendi methodum pro differentia climatum, anni temporum, subjectorum, ætatum, vitæ generis discrepantem probe distinguit; quin & remediorum verum usum ab abuso sedulo discernit; præterea aliorum minus securam curationem per quam facile perspicit, multoque tutorem & expeditiorem curandi viam in novis ingruentiibus affectibus adinvenit. Quibus omnibus ille, qui soli inhiat praxi, utut numerosis adfuerit ægrotis, si insuper theoria bona careat, destituitur. Solenne itaque, sed revera stolidum est, experientiam allegare, ubi deficit ratio, circumstantiarum pensatio, subjecti & causæ morbi & modi agendi in remediosis cognitio. Ceterum tamen non negandum, plures etiam in theoreticis committi errores, ubi nempe quis ad hypotheses inanes, speculativas, ficticias magis, obscuris & nihil significantibus terminis, quam principiis ea remediorum genera rejicere conatur, quæ per omnia secula & nationes usu, aliorumque applausu se commendarunt. Hic valet illud axioma: malum theoreticum esse malum practicum, si videlicet ex theoria hac nulla praxis instruere velit.

Præterea boni & præstantis theoretici est criterium, liberum animatum ad veritatem inspiciendam afferre, nullis præjudiciis, auctoritatibus, opinionibus, scholis & sectis obstrictum: nam libertas philosophandi præstantissimum est mentis humanae ornamentum & munus, qua is maxime utitur, qui a natura judicij acumine instructus est; quicunque vero hoc naturæ beneficio caret, is quam maxime magistrorum suorum, quos amat, & quos audivit, judicio & sententiis firmissime inhæscit, & solos illos, tam in theoria, quam praxi, in eo quod laudant vel vituperant, sequendos esse, existimat. Quare, quam horum scientia tantummodo in notitia placitorum magistralium consistat, minus firmiter de aliorum scientia & dogmatibus judicare possunt.

Ex hisce omnibus abunde jam deductis clarissime apparere arbitror, quam multa præclara & plane eximia, ad artem nostram in ordinem & eonnectionem redigendam, & ad medicinæ rationalis systema, methodo demonstrativa instruendum sint necessaria; atque quam exiguis eorum sit numerus, qui periti & rationalis medici nomen ac dignitatem jure sibi vindicare & tueri possint, cum maxima ex parte undequaque ferme artis medica empirice tractetur, certis fundamentis & solidis rationibus destituta. Evidem in rebus physicis, anatomicis, physiologicis, botanicis, chymicis egregiis & pulcherrimi prostant libri; ast ex præcipuis, qui ad artem faciendam pertinent, quales sunt pathologici, dogmatici & therapeutici, paucissimi sunt, qui laudem merentur; plerique plus opinionibus, nutantibus hypothesis, auctoritatibus ac præjudiciis, quam veritatis utilibus & necessariis superstructi sunt. Prostant quidem nostro tempore a celebribus hinc inde viris conscriptæ pathologiae seu theoriae morborum medicæ, quæ abiis, quibus in verba jurare magistri solenne est, multum laudantur, & supra modum tamquam omnibus suis absolutæ numeris efferuntur; quas tamen si paulo accuratius consideramus, magna ex parte mancas & imperfectas conspicimus; siquidem nec perspicuas virium & imbecillitatis corporis humani, nec veras moriendi necessitatis causas reperire ibi licet: de morborum epidemiorum, qui multum medentibus faciliunt negotii, origine altum est silentium: humorum intemperies & virulentæ qualitates propemodum relegantur: concretionum in vasis, quæ polyporum nomine veniunt, & immedicabiles morbos producunt, nulla est mentio; de mirabili nervosarum partium consensu, sine cuius notitia vix ac  
me

ne vix quidem symptomata explicari possunt, ibi plane non agitur: corruptio partium sphacelosa, quæ plerumque mortis, tam acutis quam chronicis passionibus supervenientis, causam constituit, habetur rarissima: doctrina de pulsibus, magnæ in judicio de eventu morbi ferendo utilitatis, ibi neglecta aut penitus omissa animadvertisit; & si ad rationalem actionum corporis nostræ præternaturalium explicacionem respicimus, operationes animæ cum causis physico-mechanicis, & actiones morales cum physicis mirum quantum invicem confunduntur. Dantur adhuc alii doctissimorum & celebrium virorum pathologici libri, in quibus plus materiarum morbificarum, quam motuum vitiosorum habetur ratio; quandoquidem diversissimæ intemperiei, pro stabiliendis morborum causis adducuntur humores; cum tamen ex motuum inæqualitate & vitio sive errore in locis, dum ex uno loco ad alienum humorum fit transitus, præcipua symptomatum in morbis ratio deduci debeat. Deinceps in therapia recentiorum auctorum curationes morborum, quæ per abstinentiam, quæ per decocta sudorifera & exsiccantia, per aquæ potum & aquas minerales, acidulas & thermas, per balnea, per lac vel serum lactis, per acidulas cum lacte mixtas, per peregrinationes & loci ac cœli mutationes, per varia exercitatio- nes genera, cum primis per fricationes fiunt, penitus silentio involvuntur, cum tamen ad vincendas longas & rebelles passiones, nihil convenientius, nihil efficacius hisce jam dictis, & olim, & nostro jam tempore reperiatur. Præterea innumeros possidemus pharmaceuticos libros, qui immensa medicamentorum simplicium & compositorum, Galenicorum & chymicorum, copia & farragine referri sunt: in quibus proprias & veras eorum facultates & vires, quas vel in hoc, vel in illo casu præstare possint, nullo modo licet reperiire, adeo ut eorum utilitas plane nulla, vel admodum exigua sit; atque inter innumeros libros practicos, maxime observatio- nes & morborum historiæ plenæ & accuratius, cum omnibus scilicet circumstantiis conscriptæ, valde deficiunt, cum tamen hæ ipsæ firmum & inconcussum artis nostræ, tam theoreticæ, quam practicæ, fundamentum constituant.

Cum itaque a multis retro annis, magna illa, quæ artis nostræ successum & incrementum, ac perfectionem huc utque retardarunt, impedimenta animadverte- rim, nihil magis a longo tempore ardentibus mihi in votis fuit, quam ut maturioribus annis, sufficienti observationum copia, & firmiore judicio munitus, artem in systema, & corpus methodo rationali constitutum redigere & digerere possem, quod res, faciendæ medicinæ tantummodo utiles & necessarias complecteretur. Secutus etiam sum salutare *Celsi* consilium, qui in fine præfationis, *rationalem medicinam esse debere*, pronuntiat; *instrui vero ab evidenteribus causis, obscuris omnibus, non a cogitatione artificis, sed ab ipsa arte rejectis*. Inter causas vero evidentes primo loco liber & æquabilis sanguinis & fluidorum in circulum progressus, cum motibus secretoriis & excretoriis ponendum est; ex quo, tanquam fundamento & principio demonstrandi, omne in rebus medicis ratiocinium defumsumus. Deinceps per cau- das evidentes intelligimus quoque rationes ex anatome & philosophia naturali peten- das, sine quibus theoria medica plane manca ac cruda est.

Divina igitur suffultus gratia, sexagesimo ætatis meæ anno, primum medicinæ rationalis tomum evulgare cepi. Postea succendentibus annis, sub ingenti occupatio- num, consultationum, itinerum onere reliqui fecuti sunt, ita ut sub septuagesimo octavo ætatis anno, inter vires utique valde decrecentes, septimus per Dei gratiam, absolutus fuerit tomus. Quod si hoc labore & studio nihil aliud consecutus sum, certe id me prælituisse confido, ut ii, qui artis opus aggredi incipiunt, viam planam

planam atque apertam inveniant; cui si insistent, non facile errare, & nocere, sed perpaucis & efficacibus remediis, accedente præteritum cum usu rerum judicio, misere ægrotantibus opem & levamen afferre poterunt exoptatissimum. Atque, quod nostri labores, & strenui artem juvandi conatus, peritioribus non displicerint, vel exinde dijudicare licet, quod tomi medicinæ systematicæ, simul ac lucem adspexerunt, & consultationes ac dissertationes varii argumenti, non modo in Germania, sed etiam in Belgio, Helvetiis, & Italia variis editionibus in lucem prodierint. Quod vero hæc in unum opus congetta scripta mea, non æquali stili nitore atque cultu compareant, id benevolus lector meditationi & solertiae continuis aliis laboribus saepius interruptæ, & diversæ ætatis tempori, quo concinnata sunt, tribuendum esse, judicabit. Ceterum sermo in toto opere licet non adeo venustus, tamen purus, perspicuus & dilucidus est, rei tradendæ accommodus, & relectis omnibus superfluis, eam præcipue medicinæ partem persequutus sum, in qua proprie & principaliter ars consistit: in allegandis auctoribus non adeo diffusus fui, sed potissimum veteres adeudos & consulendos putavi: quos in iis, quæ ad historiam morborum describendam pertinent, & quæ experientiae respondent dogmata, seq uutus sum fidelissime. Quod superest, Deum immortalem precor, velit arti nostræ quam nobilissimæ, quam ipse mortalium beneficio largitus est, quamque ipsius gratia adiutus, ultra dimidium sæculi exercui & docui, atque his dignitatibus meæ fructibus ad omnem posteritatem propagandis hanc promovere unice cupio, eos progressus largiri, ut, falsis & noxiis omnino profligatis, ejus veritas, certitudo & decor plenissime effulgeat, omnesque, qui se colendæ ipsi consecrant, ex hisce meis laboribus in generis humani utilitatem fructum repetant amplissimum.

# CONSPECTUS GENERALIS TOTIUS OPERIS.

I.

*Medicina Rationalis Systematica in quatuor tomos divisa; quorum quartus in quinque partes iterum subdividitur, & postremē parti adnectitur Supplementum & vita Auctoris.*

II.

*Consultationum & Responsorum Medicorum Centuria tres.*

III.

*Observationum Physico-Chymicarum selectiorum libri tres, quibus accedunt Dissertationum Physico-Chymicarum trias.*

IV.

*Opuscula, Physica varii argumenti, tum de Aquis mineralibus, denique Dietetica.*

V.

*Opuscula Medica varii argumenti; quibus accedunt \* Fundamenta Medicina ex principiis Naturae mechanicis in usum Philiatrorum succincte proposita.*

VI.

*Opuscula Pathologico Practica. Accedit \* Medicus Politicus.*

VII.

*Opuscula Medico-Practica.*

VIII.

\* *Petri Potteri Opera omnia Practica & Chymica cum adnotationibus, & additamentis Friderici Hoffmanni. Accedit hujus nova Doctrina de febribus.*

N.B. Quæ\* asterisco signata sunt, in Lugdunensi editione desunt, præter plures Dissertationes, & indices, quos itidem in eadem Lugdunensi editione frustra requires.

FRIDERICI

F R I D E R I C I  
H O F F M A N N I  
C O N S I L I A R I I M E D I C I

*Et Professoris Regii, nec non Com. Palat. Cæsar.*

M E D I C I N Æ  
R A T I O N A L I S  
S Y S T E M A T I C Æ  
*T O M U S P R I M U S.*

Quo Philosophia Corporis humani vivi & sani ex solidis Phy-  
sico-Mechanicis & Anatomicis principiis methodo plane de-  
monstrativa per certa theorematæ ac Scholia traditur, & Pa-  
thologiæ ac Praxi Medicæ Clinicæ ceu verum fundamentum  
præmittitur in usum docentium & dissentientium.



V E N E T I I S, M D C C X L V.  
Ex TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.  
S U P E R I O R U M P E R M I S S U, AC P R I V I L E G I O.

ERIDERICI  
HOFMANNI  
COSILIARII MEDICI  
T. J. G. M. R. A. C. M. C. L. C. L. C. L.  
MEDICINE  
RATIONALIS  
SYSTEMATICA  
TOMUS TERTIUS.



VENETIIS. MDCCXLV<sup>a</sup>

Ex Typographia Valdroniana.

ZUTERIORUM TERMIS. AC PRIVILEGIIS.

P R A E F A T I O  
A D  
S O L I D I O R I S   D O C T R I N Æ  
E T P E R I T I Æ M E D I C O S .



Edicinæ rationalis systematicæ tomum primum, qui humani corporis, cum vivi, tum sani, philosophiam complectitur, vobis, EXPERIENTISSIMI VIRI, exhibendum constitui, ut judicetis, quænam utilitas & quis fructus, ad artis medendi tam desideratam hucusque certitudinem, ex labore hoc redundare possit. Neque vero adeo facilis, sed intricata potius res est, rationali, id est, demonstrativa methodo, universæ medicinæ doctrinam contexere, atque omnia in tot morborum historiis contenida phœnomena, & quæ valetudini in melius, vel pejus mutandæ, idonea sunt, ad solidas rationes revocare, inque aptum ordinem & nexus digerere. Postquam enim salutifera illa & pene divina ars vix ex incunabulis rudioris experientiæ ab antiquissimo & optimo auctore Hippocrate protracta fuerat, statim quidem non defuerunt, qui de rationis fulcro, ut eam stabilirent, cogitare ceperunt. Sed quam infelici successu id præstitum ab eis fuerit, ipsa res satis abundeque loquitur. Surrexerunt deinceps, qui ex duobus principiis, laxo & stricto, via prorsus brevissima, vite, sanitatis, nec non morborum, & curationis causas explicare laborarunt, ob quam valde compendiosam docendi rationem, ejus dogmatis asseclæ Methodici dicti fuerunt, quorum potiora doctrinæ capita ab unico adhuc superstite *Celio Aureliano*, & ex parte a *Celso* referuntur. Postea inter rationales Medicinæ professores primum fere locum occupavit *Galenus*, qui ex *Aristotelis* schola quatuor qualitates ac temperamenta in Medicinam infelici quidem sidiere introduxit. Hujus deinde vestigia per multa secula universa ferre Medicorum turba, & ex veteribus maxime, *Aetius*, *Oribasius*, *Pausias*, necaon *Arabes*, & tandem præcipui Italiæ, ad quam tunc temporis artes transmigrarunt, Medici, presso pede & uno ore sequuti, ejusque placitis tanquam lasso adhaeserunt. Verum enim vero, ex quo rationalis illa *Galeni* disciplina regnavit, tantum abest, ut ars nostra profecerit quicquam, ut potius majora decrementa experta fuerit. Si quidem ab eo tempore Medici plus speculationibus variisque communitatiis rationibus & inde enatis concertationibus inhærere cœperunt, quam ut morborum historiis & luculentis observationibus, quæ tamen verita-

## P R A E F A T I O.

sum medicarum matrem, experientiam, constituant, Medicinæ dignitatem amplificarint. Posterioribus decimis seculis Chymiz, Anatomes, nec non Philosophia experimentalis Scientia magis agitata, & paulo subtilius exulta est. Et tunc quidem magna lux veritatibus medicis accendi potuisse, sed tamen re paulo accuratius inspecta, parum inde augmenti ad Medicinam accessisse deprehendimus. Si quis enim illas hypotheses, quæ ex Paracelsi, Helmontii, Tachenii, Sylvii, & Cartesianorum, aliorumque scholis prodierunt, intueatur, liquidissime apparebit, pro genuinis rerum medicarum causis, conficta tantum, grande sonantia, ex parte sensu penitus cassa, ut Veterum mos erat, nomina, quæ hoc loco recensere nimis longum foret, esse venditata; observations vero & morborum historias relictas, & penitus oblivione fuisse sepultas. Quot non verborum monstræ & hypotheses ætatis nostra Medici nobis obtruserunt, ad quas morborum & symptomatum, imo curandi rationem, detorquere conati sunt? Reperies quodam, qui cum Helmontio principium vitæ ac omnium motionum in corpore subtiliori sensatione, & cognitione præditum admittunt, quod nocentes intro causas velut ex longinquo prævidens, motu quasi excandescientiae adversus illas exturbandas le armet, & hac ratione febris naturam explicare allaborant. Alii ad causas morborum magis respiciendo, ex pituita, acido & bile, nonnulli ex solo acido & vilculo, plurimi ex dyscrasia humorum salsa, acri, scorbutica, maligna, vel ex obstructionibus, aut putredine, alii rursus ex sola sanguinis abundantia ejusque solennibus excretionibus suppressis, omnium fere morborum originem, symptomatum causas & medendi rationem derivant. Mihi vero semper hæc stetit sententia: hypotheses, quæ non nisi dubiaz & confictæ de rebus opiniones, & genuinæ litigiorum procreatices sunt, a veritate, & quidem pretiosissima, quam Medicina pertractat, esse debere remotissimas. Quod autem non tantum in Medicinæ, verum in ceteris etiam disciplinis, plures hypotheses, quam veritates conspiciantur, ego non in ipsas res, sed in homines, qui de rebus non recte ratiocinantur, culpam transferendam esse judico. Cujus rei ratio est, quod perpauci literis dediti sub primis studiorum annis ea adminicula in pretio habeant, quæ veritatibus concipiendis, inveniendis & bene ordinandis fere unice velificantur; cujus generis sunt sublimior illa numerorum & quantitatum scientia, in qua praxis logica rendet. Nam hisce nihil obscurum admittitur, sed omnia prius convenienti explicatione plana ac perspicua redduntur, postea ignota ex notis debita & syllogistica connexione elicuntur. Quare qui paulo maturius his scientiis animum assuefaciunt, promptissimi inde evadunt ad ea, quæ ex intellectu, vel quæ ex fictionibus proficiuntur, & quæ reales, aut nominales rerum definitiones & invalidæ conclusiones sunt, probe discernenda. Ego sicuti hanc philosophandi rationem, ita etiam Medicinam, qua ex aliorum sententiis bene pensatis optime feliguntur, inque ordinem rediguntur, &

dixer.

P R A E F A T I O :

diversæ sententiæ invicem conciliantur, semper impensis amavi, & magno in pretio habui. Et fateor, me plus operæ ac temporis semper experimentis tam medicis practicis, quam physicis, chymicis, anatomicis, chirurgicis impendisse, quam ut aliorum obscuris speculationibus, confitatis terminis, & sterilibus theoriis, maxima ex parte verbosis, delectatus fui, nihil quicquam, quod non intellectui clarissimum ac plane obvium fuit, in rationibus reddendis admittendo. Animadverti etiam, omnium veritatum principia facillima esse & simplicissima, & divinam sapientiam faciliter & simpliciter via stupendos in rerum natura produxisse effectus. Et hinc merito viam ad veram & rationalem medicinam simplicissimo niti principio conclusi. At vero neutquam inficias ire possum, ad veram theoriam medicam condendam plura desiderari. Primo enim opus est pleniori & accuratiori omnium morborum historia, quæ ex rotantum naturam, morborum, quibus subinde affliguntur, genium, originem, causas, signa, eventus faustos, vel sinistros, aliasque notabiles circumstantias complectatur. Nam historiis morborum theoria medica applicanda est, ut per hanc explicantur. Theoria quippe observationum practicarum quasi clavis est, & vice versa etiam observationes sunt instar lapidis Lydii, quo theorizæ medicæ examinari debent. Quare prius, quam quis incipiat theoriam condere, probe perspectum habere oportet, num omnium phænomenorum in historiis morborum occurrentium explicationi illa respondeat. Si res seculis se habet, de ejusdem veritate omnino dubitandum est. Interior vero morborum notitia potissimum ex propria, deinde quoque ex aliorum fide dignorum experientia, comparanda est. Quem in finem amplissimam laudem, & commendationem merentur ex antiquissimis, Hippocrates, Aretæus, Alexander Trallianus, Celsus, Cælius Aurelianus: ex recentioribus vero Martianus, Hollerius, Duretus, Ballonius, Jacotius, Montanus, Crato, Carolus Pijo, Alpinus, Hildanus, Forestus, Sennertus, Syndenhamus, Riverius, Ramazzini, Malpighius, Baglivus, Wepferus, ceteris aliis palmam præripiunt. Spectant hoc quoque Miscellanea Natura Curiosorum, nec non Acta Uratislaviensium Medicorum &c. Deinde ab bonam theoriam medicam utique rei anatomicae, physicæ experimentalis, mechanicas plenior & exactior notitia necessaria est, quia haec scientiae rerum corporearum, quarum maxima potentia est in corpus humanum, naturam, proprietates ac vires explanatissime aperiunt. Quo igitur omnibus pateat, cui fundamento universæ Medicinæ sistema superstruere hactenus consuerim, non inconsultum duco, hujus rei summam publico conspectui expondere. Ego scilicet definitionem VITÆ universæ medicæ theorizæ, & præceos rationalis fundamentum constituo. Est vero VITA nihil aliud, quam motus sanguinis & humorum in circulum abiens, a systole ac diastro- le cordis & arteriarum omnisque generis canalium ac fibratum, sanguinis & fluidi nervi influxu sustentata, proficisciens, qui secretionibus & excretionibus corpus ab omni vindicat corruptione, & omnes ejus functiones gubernat. Hic enim circulus est ille vitalis motus, qui ipsum san-

P R A E F A T I O.

guinem, in se valde in putredinem prouum, a praesentanea corruptione defendit. Hic est, qui calorem, vires, agilitatem, robur, tonum, nec non sensum ac motum, partibus conciliat, & vita ac sanitati utilissimas secretiones & excretiones moderatur. Ab hoc quoque diversæ hominum inclinationes, mores, ingenii dotes, imo sapientia atque insanias, dependent. Neque minus diversa hominum natura & dispositio, quam veteres temperamentum dixerunt, inde proficiuntur. Hic motus præterea nutrimentum & incrementum præstat corpori, succos calore & motu desperitos reparando, vitamque sic diuturnam homini confert. Hic porro extensus teterimæ penitus corruptioni corpus objicit, & tristissimam mortem accersit. Ab hoc denique sanitatis, & integratatis omnium actionum tam corporis, quam animi, ratio ducenda est, si videlicet is liber, moderatus & æquabilis sit, atque hac ratione excretiones superfluorum, & inutilium succorum recte procedant. Turbato vero hoc sanguinis circuitu, quod sit, si nimis augeatur, vel plus justo impediatur, aut inæqualis reddatur, morbi, tam acuti, quam chronici, præsto sunt. Atque ex hoc sanguinis circuitu de morborum vehementia, periculo, & fausto, vel infasto eorum eventu, firmum in diagnosis & prognosi judicium petimus. Deinde quisquis humana corpora a morbis, doloribus, tristitia, præservare vel defendere velit, eum nihil aliud agere oportet, quam ut salutari consilio & convenientibus auxiliis, præsertim diæteticis, hunc motum cum excretionibus in debita proportione & moderatione conservet. Neque aliam dari medendi viam, vel etiam medentum debere esse intentionem, arbitramur, quam ut motus, & excretiones, a naturali statu descilentes, in ordinem reducantur. Omnia enim remediorum genera id tantum præstant, ut vel nimis auctos motus sedent ac moderentur, vel depresso & impedito excitent, promoveant, & rursus æquales reddant. Quia de causa scitissime ab Hippocrate Medicina definita est Lib. de Fluitibus, quod sit ablatio eorum, quæ excedunt, & appositiō eorum, quæ deficiunt. Qui autem istud optime facere possit, illum optimum medicum censendum, quantumque quis ab hoc præstando deficiat, tantum deficere quoque ab ipsa arte. Est quoque ipse sanguinis auctor circulus illa tantopere a veteribus decantata natura morbo uncuratrix, cujus ope, præsertim acuti, sine Medicis, & medicamentorum apparatu, convenienti ordine ac tempore, sponte sanescunt. Hujus naturæ ductum arte sua sequi & imitari Medicos debere, toties ab antiquitate inculcatum fuit. Hic enim auctor sanguinis & humorum motus, infarctus viscerum & periculosas stases & stagnationes, a quibus plerique morbi proficiuntur, successive removet, atque noxios humores expellit. Quam ob rem, quum tanta beneficia in corpus nostrum ab hoc sanguinis circulo redundant, merito queritur; a quanam causa hic motus proveniat? quum nihil se ipsum movere, vel locum mutare possit. Nam qui eas causas recte callet, illi in proclivi est perspicere, quænam huic motui convenient, vel repugnant, sive quæ salubria sint, & insalubria, in quo maxime Medici officium positum existimamus. Sunt vero duplicitis generis foli-

P R A E F A T I O.

solidorum motus, contractio nempe & dilatatio, quibus omne fluidum in universo corpore moveretur atque propellitur. Hujus itaque causæ sunt inquirendæ, quarum nulla alia, meo quidem judicio, præter sanguinem reperitur. Hic non modo ex solido & humido elemento, sed & ex celerrimæ ad motum promptitudinis sulphurea, aereo & therea materia, quæ in cerebro, quo nullum animal caret, quoad partem, cum tenuissima lympha, quæ ipsius vehiculum, secernitur, compositus est. Jam vero notatu petquam dignum est, nullum motum in parte quadam solida, aut musculosa, aut membranacea, celebrari posse, nisi ejus interior substantia sanguinis & fluidi nervi influxu sufficienter perfusa sit, quo intercepto, omnis movendi facultas, omne robur ac tonus exspirant. Etenim sanguis in convenienti mensura ac temperie & motu bene constitutus, omnium virium ac motuum in corpore nostro fons atque origo mihi videtur. Qui copiosiorem & benignum sanguinem in vasis capacioribus alunt, & nervos robustiores obtinent, ii ceteros vigore, labore, animique acumine antecellunt; quem contra observemus, eos plerumque timidiores & imbecilliores esse, qui exilioribus vasis ac nervis prædicti sunt. Neque incognitum est, omnia ea, quæ sanguinis tenuioris liberiorem in partes influxum promovent, ut sunt, præter animum tranquillum & purum ac sincerum aerem, vinum, motus, exercitatio corporis, bona alimenta & medicamenta penetrantis virtutis & fragrantia, vires ex diurna fame, longiori morbo, aut largiori sanguinis effusione amissa, confessim & mirifice restaurare. Sensibilis quoque & ordinaria virium in senibus vacillatio atque inopia, ut ut legibus diætericis obedientissimi sint, & absoluta atque ineluctabilis morienti necessitas, a nulla alia causa derivari potest, quam principaliter a sanguinis, neconon fluidi nervi in officinas motuum influxu languidiori. Illud enim tenendum est, in decliviori ætate majorem semper fieri fibrarum ac membranarum duritiem ac densitatem, & consequenter vasorum minimorum, quæ ex fibris & membranis contexta sunt, angustiam. Per hæc autem fluidum illud movens & activum, quod cerebrum & nervos incolit, secernitur, tenuior sanguinis portio ad minima fibrarum motricium & membranarum intima penetrat, & per hæc tenuissima quoque emundiorum & glandularum vasa maxima excrementorum pars e corpore exturbatur. Si itaque declinante senio hæc vasa penitus cocunt, non mirum est, insignem utilissimum fluidorum, quæ motum & vigorem partibus præstant, adeoque virium nasci defectum, impuros contra atque corruptos luccos succrescere & accumulari. Nunc vero dicendum est, quemadmodum sanguis cum nervorum fluido vitalem illum contractionis & dilatationis motum in organis motuum efficiat. Fibre videlicet, ex quibus tota organorum compages coagmentata est, magna vi elastica instruetæ sunt, quæ sanguinis appulsi amplius expansæ, non modo le contrahunt, inque pristinum locum restituunt, sed & ominus coarctatæ, in priorem debite expansionis statum sponte resilunt. Si itaque intra cor inventus sanguis calidus ejus parietes extorsum urget, tunc ob potentiam fibrarum,

## B R Æ F A T I O.

quibus constat, elasticam, quæ a sanguine subtiliori & rore nervos, per vasa coronaria & nervos continenter affluente, in magna tensione ac renitur sustentantur, cor rursus se contrahit & systolen patitur, quæ sanguis non modo in arteriam magnam, sed in ipsam quoque cordis substantiam per coronaria vasa refunditur, ut ejus musculos ad novam contractionem & reactionem systolicam stimulare possit. Atque adeo diastro' semper sit causa systoles, ac systole rursus transit in causam diastro', & hac ratione in cordis machina liquidissime conspicitur perpetuum mobile, cuius inventio tot ac tanta hucusque ingenia nimium quantum torcit ac fatigavit. Sanguis enim cor movet, & sanguis a corde movetur, & hoc modo causa producit effectum, qui eundem causam denuo resuscitat. Una ergo motus species alterius causa est, & alterutra cessante, cessat & altera. Quam ob rem fieri non potest, quin sola immoda' auriculæ dextræ, quæ tenerior est ceteris cordis muscularis texturæ, a sanguine copiosiori & rarefacto ibi congetto dilatatio, totum circulum vitalem ad tempus extinguat, & syncopis causa fiat. Neque jam in difficulti posita est ratio, quare vel sola manuum ac pedum fortior agitatio, aut frictio, vel calidum pediluvium, aut crebrior pulmonum per intentam vocem expansio, universum sanguinis circuitum accelerare, ipsumque calorem ac perspirationem intendere possit. Neque ullam aliam causam reperimus, cur in syncope per tempus aliquod extinctus cordis motus, sola venæ sectione, vel vehementiori præcordiorum frictione, solo fortior odore, vel aquæ frigidæ aspersione, reviviscat, & quare modicum salis volatilis oleoli cordis motum & calorem augere, sudorem prolicere, vel pauxillum opii vigilias & dolores levare possit. Quum vero sanguis, quamlibet temperatissimus, tandem jugi ac perenni motu & intestinorum partium agitatione, successive consumatur, inque efficiat & inertem ad sustinendos amplius vitales motus massam fatiscat, idcirco opus est, ut excrementitiae ac rejectaneæ partes a corpore non modo removeantur, sed & in harum locum novi & laudabiles succi surrogentur. Et hos quidem præter aerem, qui impetum facientes partes maxima ex parte suggerit, alimenta, in sinuoso ventriculi & intestinorum canale probe digesta, egregie suppeditant. Ex quo apparet, ad perennandos hos motus vitales opus esse continuis ingestionibus æque, ac egessionibus, utpote sine quibus nec vita, nec sanitas diu salva & illibata persistere potest. Hæ vero ut rite perficiantur, necessaria utique est circumspeta rerum non naturalium observatio, quam salutaria diæteticæ præcepta uberioris docent. Quo magis eorum temeritas inde eluet, qui ad tuendam valetudinem convenientem vivendi rationem & diæteticas regulas non adeo multum momenti habere contendunt, quum tamen in confessu sit, homines ex his rebus vivere, ægrotare, mori, amissamque sanitatem recuperare. Illud autem quam maxime notari velim, quod excretiones, in homine jam adulto, & qui statim ac perspectum corporis robur consequutas est, ipsis ingestis pro-

P R A E F A T I O :

pemodum æquales esse debeat; id quod vel ex hoc unico experimento luceenter patet, quo corporis pondus, ante alimentorum assumptionem lance examinatum, elapsis aliquot diebus, licet vel centum interea alimentorum libræ ingestæ fuerint, plane non pondere increvise observatur. Quicunque igitur in pathologicis ex pravis ingestis, per quæ non modo alimenta, sed & eas nocentis, & activæ indolis materias, quæ aeris vehiculo corpus subeunt, intelligimus, deinde, & excretionibus, tam solennibus, quam extraordinariis sanguinis, nempe per uteri, & ani venas, inæqualibus, aut plane suppressis, morborum primordia, ac natales arcessit, ille a veritatis tramite neutiquam aberrare mihi videtur. Nihil enim est, quod vitali corporis conservationi magis adversetur, quam, præter vehementem animi commotionem, & venenum, superflua sanguinis, & succorum abundantia, qua periculi plenæ stases, vel saltem stagnationes, quarum illæ acutas maxime, hæ vero tardas passiones excitant, gignuntur. Omnis itaque generis morbi, qui nil nisi naturalium motuum læsiones sunt, non secus, ac motus, qui vitæ, ac sanitati præsunt, ad duas potissimum classes, nimirum ad systolen, ac diastolen, sive ad contractionem, ac dilatationem, refeiri possunt. Illa, si nimis, atque intensior est, spasmus appellatur; hæc, si immoda est, & diutius partibus insidet, atoniæ nomine venit. In utroque hoc motu fluidorum circuitus mirum quantum perturbatur; & in illo quidem, ab æuali; in hoc autem, a liberori suo cursu multum deflectit. Est vero hic spasmus, vel universalis, vel particularis. Ille, si cor cum vasis suis, quæ sanguinem, & humores vechunt, hostili contractione aggreditur, febres producit; si vero magis nervorum, ac membranarum systema atfligit, epilepticos, & convulsivos motus excitat. In illo sanguis, in hoc fluidum nervum, in concitatissimam coniunctionem abripitur. Quando vero spasmus certas faltem partes, imprimit membranaceas, quæ exquisito sensu polent, & impressos motus sibi invicem communicant, violenta contorsione afficit, ob inæqualem sanguinis circumflexum, ingentes fiunt alii in partibus, quamlibet remotissimis, sanguinis, & humorum congestiones, quas pro locorum diversitate varia symptomata, plerumque vero dolores, tumores, sanguinis effusiones, serifluxiones, & sæpe etiam inflammations, presso pede insequentur. A tono autem, & robore solidorum dejecto, sanguinis, & humorum stagnationes, viscerum infarctus, obstructiones, scirrhose indurations, & corruptiones, a quibus præcipua chronicorum labes, & causa defluit, proficiuntur. Cæterum ea spasmorum natura, & indoles est, ut noxiæ sæpe materiam, sive in sanguine, sive in humoribus hæreat, intensiori motu felicissime eliminent. Id quod maxime valet de spasmis illis universalibus, qui febris naturam constitunt, utpote qui stases illas inflammatorias, a quibus febrium origo derivanda est, cum tempore propria efficacia resolvant, vel nocentem materiam ab humorum consilio segregant, ac foras propellunt. Qua ratione febres sæpius sunt optimo præsidio, & sponte, sine ulla Medicorum, vel medicamentorum ope, profligantur. Si

quis

P R A E F A T I O.

quis symptomatum, quæ tam acutis, quam chronicis passionibus propriæ, ac familiaria esse solent, rationem commode explicare velit, ille non modo nervorum distributionem, & nervosarum partium consensem, qui non nisi mutua motuum præternaturalium inter se communicatio, sed & fluidorum motum secundum leges hydraulicas, & staticas probe perspectum habere debet. Alias fieri non potest, quin in enodandis historiis morborum, ac phænomenis, nil nisi futilis, & a veritate alienas rationes in medium proferat. Quæ vero morbos motibus producendis idoneæ sunt cauæ, ex ut plurimum, sive a quantitatibz, sive a qualitatibz vitio proveniant, ex segniori sanguinis per viscera abdominis cursu, & excretionibus impeditis, vel non recte procedentibus, resultant, & maxima ex parte intra primarum viarum regionem fixam luam sedem, ac domicilium habent. Neque vero primis in viis tantum consistant, sed pariter, ac venenum intra corpus assumentum, latens grastantur, & vim suam pernicialem per universam vasorum, ac nervorum compaginem longe, lateque disseminant. Qua de causa, maximum, & præservationis, & curationis momentum in eo positum esse omnes solidioris doctrinæ Medici affirmabunt, ut, sperto naturæ negotio, materia morbosa decenti modo correcta, evacuantibus primis ex viis maturius extirbetur. Dici enim vix potest, quam commode graves passiones hac ratione prima statim in herba jugulari, & nascentes primum, vel supervenientes aliis morbis ægritudines, penitus averxi possint. Secus res habet in passionibus acutis, ubi tota motuum, tam sanguinis, quam fluidi nervi œconomia turbata est. In his enim plus quiete temporis exspectatione, & clementiore medicina, quam multiplici, & operosa remediorum varietate, & apparatu, perficitur. Si quid vero agendum est, in morbi intermissione, quam omnis morbus habet, ea potissimum exhibere oportet, quæ materiam nocentem aggrediuntur, eamque foras ejiciunt; quæ medendi ratio etiam inter morbi initia, vel sub ejus declinatione, opportunum maxime locum habere potest. Quando enim natura, ut cum Veteribus loquar, in motu, & omnia emunctoria spasmo consticta sunt, tantum abest, ut commoventia quicquam prosint, ut potius insigne detrimentum afferant. Magnopere vero dolendum est, quod princeps hæc mendendi regula, quo majoris momenti, atque utilitatis est, eo magis a plebisque negligatur, vel plane ignoretur. In morborum autem, qui corpus diutius affligunt, curatione, ubi plus artis, quam naturæ auxilio efficitur, id saltem Medico perito agendum est, ut viscerum atoniam tollat, motus depresso excitet, obstructiones solvat, & nocentem materiam per convenientia emunctoria eliminet. Ad quem scopum obtainendum diuturniori quidem remediorum usu opus est; notandum tamen, quod temperatiora longe plus in hujusmodi morbis valeant, quam nimis activa, & validiora, si modo debitum tempus curationi impeditur. Quemadmodum vero per pauca, & simplices sunt morborum origines, & cauæ, quæ naturalem corporis statum immutant; ita etiam per pauca sunt remediorum genera, causis hisce removendis accommodata. Universus enim remediorum apparatus,

P R A E F A T I O.

tatus, mea quidem tententia, tantummodo ad materiam nocentem emendandam, ac removendam, & perniciales motus tollendos, collineat. Jam quum duo tantum sint motus morbos, intensi nimur, ac depresso; plannissime inde conficitur, duo saltē statuenda esse remediorum genera, quorum alia spasticis illis motibus sedandis, alia tono partium flaccidarum restituendo, dicata sunt. Illa, recepto in scholis loquendi more, antispasmodica, & sedativa, hæc roborantia, & tonica appellantur. Que vero causis morborum amoliendis idonea sunt, ea humorum vel copiam detrahendam, vel pravam qualitatem corrigendam, unice respiciunt. Illa evacuando, hæc alterando, suam operationem exsequuntur. Ex quo clarissimè, ut puto, intelligi potest, Medicum rerum suarum satagentem, ad sanandos omnis generis affectus, non opus habere magna, & multiplici remediorum farragine, vel medicamentis validioribus, aut magno, & labore, & pretio conquisitis. Sufficient enim pauca, simplicia, temperatoria, & quorum virtus longo usu, & experientia probata est, utpote quæ omnibus speciosis compositionibus anteferenda sunt. Et sane, ut *Helmontii* verba mea faciam, pauca sunt, quæ Medicum nobilitant, si quis modo rectam iis utendit rationem, in quo prudentiæ mediceæ, & methodi medendi cardo versatur, cognitam habeat, & exploratam. Tot enim diversæ ratione corporis afficti, & causarum morbificarum, atque symptomatum concurrentes circumstantiae, multum utique difficultatis Medicinæ adjiciunt, eamque ob causam acre judicium, assiduum attentionem, observationem, meditationem, & cibriorem exercitatiōnem desiderant.

Ex his igitur jam dictis, inque medium prolati, universæ Medicinæ, tam theoreticæ rationalis, quam veræ practicæ, fundamentum, nexus & ordinem, cuivis facilissimum erit animo comprehendere, quæ omnia in hoc, quod sub manibus habemus opere, fusori doctrina, & explicatione persequi sumus. Nunc quidem in lucem prodit primus tomus, qui scientiam corporis humani, quatenus vivum est, quam φυσιολογίαν Græci vocant, & alteram, quæ sanitatis tuendæ præcepta tradit, & Hygieine audit, complectitur. Hunc brevi post, sub favore divini Numinis, alter excipiet, in quo philosophia corporis humani morbos, pathologiæ nimirum generalis, mortis, morborum, morbosorumque motuum natura, causæ, ac genesis ex observationibus, solidisque principiis deducentur. Succedet postea tertius, quo vera therapiæ fundamenta, medendi methodus, & leges, tam naturæ, quam artis, neenon selectissima remedia, cum eorundem operandi, & dextre applicandi ratione fideliter tradentur. Postremo autem quartu, sigillatim, & ex professo, quasvis corporis humani internas passiones, artem iis medendi, cum adjunctis rationibus, cautelis, & selectioribus morborum enarrationibus, saluberrimas medendi regulas illustrantibus, pertractare animus est. Neque vero aliquis sinistre mihi hoc interpretabitur, quod in primo hoc tomo Physiologiæ Hygieinen associaverim. Hanc enim illi statim subjungendam putavi, quia rei nexus, & ordo magnopere hoc mihi suadere videntur. Quem enim fugit, omnis generis morbos, ex legibus

## P R A E F A T I O .

his diæticis insuper habitis, ac temere neglectis, suas demum trahere origines? Placuit autem hanc physiologicam, ac diæticam scientiam corporis humani vivi, & sani philosophiam appellare, eo quod artium hæc nobilissima summum sapientiæ gradum constituere mihi videatur. Hæc enim plana, atque aperta nobis reddit opera summi artificis, & egregie declarat stupendum ipsius in corporis nostri constructione ordinem, atque lapientiam, quæ nunquam non devota mente suspicienda est. Neque ego, praeter salutarem hanc scientiam, ullam artem dari arbitror, quæ generi humano magis necessaria sit, vel majora in illud beneficia conferat. Hinc sane prudenter fecit antiquissimus medicinæ pater, Hippocrates, quod hanc aitem divinam, & medicum, philosophum, Deo æqualem, appellaverit. De cætero mihi consultum visum fuit, eam, qua Mathematici utuntur, methodum in scribendo adhibere, quia nihil in arte nostra admittendum puto, nisi quod experientia, & solidis rationibus demonstrari possit. Unde semper in ea fui sententia, omnes rationes, nisi ex scientia anatomica, vel physica, quæ experimentis mechanicis, & chymicis nascitur, deromptæ fuerint, tanto magis hypotheses, & fictiones, explodendas esse, ac penitus e Medicina proscriptas. Qua re impulsus, universum hoc artis systema solidis definitionibus, & axiomatibus, quæ principia demonstrandi sunt, superstruere, omniaque præcepta variis theorematibus, scholiis & observationibus practicis, convenienti nexu, & ordine dispositis, non sine ingenti labore, & meditatione, salva tamen, ubivis judicii, & modesti dissensus libertate, concinnare annis sum. Ex mechanica vero desuntis principiis, & rationibus, in adornando hoc opere, ad explicanda naturæ microcosmica phænomena usus sum. Mechanica enim est motuum scientia, quæ eorum naturam, causas, ac leges tradit, easque postea ad varios usus applicat. Invento autem sanguinis circulo, & structura machinæ humanæ per tot pulcherrima inventa anatomica altius perspecta, quis jam negare ausit, vitæ, mortis, sanitatis, morborum causas, remediorum vires, curandique rationem, optime derivari posse ex sanguinis, & solidorum motu? Quamvis vero hæc nullo modo in dubium vocari possiat, non nullis tamen in eo dissentire placuit, quod motuum, qui in corpore humano celebrantur, causam in intelligentiæ quodam, ac interiori vitali sensu prædicto agente, sive principio, querendam esse putant, eo maxime industi, quod corporum essentiam mere passiva, & ad motum incepta extensione abiolvi, animam vero, ejusque commotiones, tam in regendis animantium artibus, quam sanguinis, & cordis motu pervertendo, magnam vim, ac potentiam exercere, ideoque reliquorum etiam motuum causam esse existiment. Verum enim vero minime quidem diffitendum est, machinæ nostræ institutæ esse adhuc excellentius quoddam principium, sentiendi, & ratiocinandi facultate instructum, quod in motibus, & actionibus spontaneis, quas Veteres animales dixerunt, celebrandis, & vitalibus, ac naturalibus perturbandis, minime vero regendis, ob intimum, quod ipsi cum corpore intercedit, commercium, insigni potentia gaudet. Sed tamen, quod hoc prin-

**T R A E F A T I O :**

principiū omnes motus, præsertim vitales ac naturales, quod præcipuum Medicī & Medicinæ objectum, efficiat, illud est, quod in totum negamus, firmiter statuentes, cetera omnia, quæ in corpore humano secundum natūram contingunt, ex causis mere corporeis, & necessario agentibus, id est mechanico-physicis, proficiunt, si modo animi tranquillus, ac pacatus stātus, qui nihil turbet, accedit. Primo enim penitus rejicienda est Veterum opinio, corporum esse tantam in pure passiva extensione consistere, quum recentiori ætate ab acerrimi judicij viris passim ostensum sit, substantiam, qua corpora operationes suas, quæ nil nisi certæ motuum species sunt, exercēt, in re quadam movente ac mobili, sive vi quadam nitente ac renitente, contineri, & hinc extensionem nihil aliud esse, quam substantiæ hujus agentis ac moventis diffusionem. Deinde quum omnia corpora vi ad motum instruta, illorum phænomena ex hac dependere, magnamque calori, igni, ætheri inesse potentiam movendi & mutandi res, quotidie observemus, equidem non video, quare hisce rebus virtutem movendi in corpore nostro detrahē velimus. Et sane magistra experientia docemur, alimenta, elementa, venena, medicamenta, omnesque res noxiæ, posse animalium motus augere, imminuere, destruere, in ordinem redigere, ita prorsus, ut proveni diversitate diversissimi in corpus nostrum resultent pravi effectus, certis etiam remediorum generibus debellandi. Accedit, quod ipsa hæ res corporeæ & mechanicæ, animæ ac mentis operationes variis modis afficiant, siquidem exinde ad varios affectus dispositio, dissidentes mores, inclinatio-nes, diversaque ingenii vires proveniunt. Si denique iis rebus, quibus tam ad præservandum, quam ad curandum Medicus utitur, & quibus quotidie vitales conservamus motus, vires in corpus nostrum denegare, omniaque ad ad principium quoddam intelligens referre velimus, quid hac ratione aliud continget, ut uno quasi ictu omne, quod in Medicina certum, certa remediorum efficacia, omnis rationalis doctrina, & scientiæ Physics ac Anatomicae usus in Medicina profertur. Neque etiam ego facile intelligo, quomo do omnibus numeris absoluta theoria medica stabiliti possit, si principium, seu causa omnium, qui in corpore nostro fiunt, motuum, nec definiari, nec concipi ullo modo potest. Nihil enim ex ejusmodi metaphysico-principio explicari, nihil etiam inveniri potest, quæ tamen duo veræ theoriarum characteres jure, meritoque haberi debent. Ecquis rerum salubrium virulentæ quoque materiæ morbificæ vires, vel remediorum efficaciam, auctsymptomatum rationes, ex ejusmodi principiis ordine quodam, & nexu deducere poterit? Non dicam, quod ad commodiorem, & certioremedendi methodum nihil exinde inventri possit. Theoriam itaque, quam in opere præsenti profiteor, ex anatomis & physico-mechanicis principiis desumtam, quemadmodum cum praxi cohæreat, & quæ utilitas in certam, & compendiosam medendi methodum inde redundet, non hominum ad judicandam ineptorum, non juvenum, & in praxi plane inexercitatorum, non sectariorum, & qui veras demonstrandi & logicas regulas ignorant, sed vestro, Viri solidissima peritia & doctrina instruti, judicio, candori atque integritati, nec

100

P R A E F A T I O.

non attēniori meditationi atque experientiæ etiam atque etiam commēndo.

Hæc sunt, quæ præfari placuit, quum primum in lucem prodiret primus hic Medicinæ rationalis systematicæ tomus. Nec sine peritiorum applausu ipsum exceptum esse, confirmat reperiunda paſſim, tam in fastis literariis, quam celeberrimorum virorum scriptis, publica testimonia. Multi etiam, & sermones, & literis, me idemtide hortati sunt, ut cœptam pertexerem telam, & reliquos promissos operis tomos in publicum emitterem. Quorum desideriis eo lubentius annui, quo magis nihil antiquius mihi fuit unquam, quam ut, quicquid per assiduam meditationem, & longam experientiam, & didiceram, & confirmatum habebam, ad publicam utilitatem conferrem omne. Eaque propter biennio post secundum, & post hunc tertium quoque tomum, evulgavi, sicque philosophiam corporis humani ægri, necnon generalem medendi methodum perspicue, & candide exposui. Nunc superest adhuc quartus, pathologiam, & therapiam specialem complexurus, in quo confiendo jam, quantum quidem reliqua quotidiana multa negotia permittunt, sum occupatus, ita ut, si Deus vitam, viresque concesserit, eundem pariter brevi luci exponere constituerim. Quia vero interea temporis primus hic tomus avidius coemtus, omniaque exemplaria distracta, maiorem in modum is, cujus impensis primum prodierat, rogavit, ut iteratam ipsius permitterem editionem, &, si quæ emendanda, aut addenda putarem, adjicerem. Denuo igitur ad manus sumsi librum, totum revisi, ac ut emendatior multum, & auctior prodiret, operam dedi. Irreperant nimirum in primam editionem, hypothetæ, an corridentis culpa nescio, innumera fere typographica, sensum etiam subinde turbantia errata, quæ adhibita omni diligentia, expungenda curavi. In numerandis quoque paginis error satis conspicuus erat commissus, qui justam numerorum seriem substituendo, & ubique seryando, curate est correctus. Lima dein passim adhibita, & multa, quæ minus pure, ac terse scripta videbantur, mutata; multa etiam, quæ obscurioris, aut æquivoci intellectus, planiori sermone & verbis magis accommodatis exposita. Potissimum vero insignis, quoad ipsa realia, facta est accessio. Etenim non modo sparsim inferui nova pluri- ma, sed & tractationem de actionibus animalibus integris tribus capitibus adauxi, & tam sensuum rationem, & indolem, quam quinque sic dictorum externorum physiologicam considerationem addidi. Quæ tamen omnia legenti, & facta hujus editionis cum priore collatione, uberiori patescent. Quod itaque superest, tibi, candide, atque perite Lector, novam hanc editionem iterum trado, ac ut eadem cum amplissimo fructu utaris, exopto. Scribi in Fridericiana Hallensi. Idibus Septembris, anni MDCCLXXXIX.

CON-

# CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.

## PROLEGOMENA

*De medicina natura, fundamentis, & principio demonstrandi.*

CAP. I. De medicina, ejusque natura.	pag. 1
II. De artis medicæ fundamentis.	2
III. De variis sectis, & opinionibus medicorum.	3
IV. De optima Hippocratis medica disciplina.	6
V. De incrementis artis medicæ promovendis.	10
VI. De medicina eclectica.	11
VII. De fine medicinæ, & potestate medici.	14
VIII. De vero demonstrandi principio in medicina.	17
	18

## PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI VIVI ET SANI

### L I B E R P R I M U S.

#### S E C T I O I.

*De vita ejus causis, & motibus vitalibus.*

CAP. I. De artificio in structura humani corporis.	23
II. De vita, ac mortis natura, & causis.	29
III. De causis motuum vitalium systoles, atque diastoles.	33
IV. De motu fibrarum vitali elasticō.	38
V. De sanguine humano, ejusque natura.	41
VI. De sanguinis circuito.	45
VII. De sanguinis circulo per pulmones, & respirationis usu.	53
VIII. De sanguinis circulo per viscera, & varias corporis partes.	59
IX. De excellenti circuiti sanguinis ad conservationem corporis usu.	63

#### S E C T I O II.

*De actionibus naturalibus, sive motibus secretoriis, & excretoriis.*

CAP. I. De motibus, & organis lecretoriis, & excretoriis in genere.	69
II. De nutritione, & lucco nutritio.	71
III. De lympha, ejusque motu, & usu.	74
IV. De alimentorum solutione, & salivæ usu.	76
V. De chyli in intestinis perfectione, deque bilis ad hoc negotium usu, ejusque natura, & secretione.	80
VI. De secretione chyli, & motu ventriculi, atque intestinalium peri- staltico.	84

CAP. VII. De excretionibus, in specie ea, quæ fit per alvum.	83
VIII. De sudore, & transpiratione.	91
IX. De excretione urinæ.	93
X. De excretione muci.	98
XI. De excretione sanguinis per uterum.	100
XII. De generatione corporis humani.	104
XIII. De femine humano utriusque sexus.	105
XIV. De nutritione foetus.	108
XV. De secretione lactis.	113

### S E C T I O III.

*De actionibus animalibus, usu cerebri, sensibus, & animæ potentia in corpus.*

CAP. I. De secretione tenuissimi in cerebro, & nervis fluidi.	116
II. De usu fluidi cerebri, & nervorum.	121
III. De sensibus, eorumque ratione, & indole.	125
IV. De visu, & auditu.	127
V. De olfactu, gustu, & tactu.	132
VI. De somno, ac vigilia.	135
VII. De anima, ejusque cum corpore commercio.	137

### PHILOSOPHIÆ CORPORIS HUMANI VIVI ET SANI

#### L I B E R S E C U N D U S.

*De vita & sanitate per salubrem diætam conservandas.*

#### P R O L E G O M E N A.

*De scientia sanitatem, & vitam conservandi.*

CAP. I. De sanitatis natura, ejusque signis, ac causis.	142
II. De animæ conditione motus vitales, vel conservante, vel destruente. 147	
III. De aeris ad sanitatem usu.	149
IV. De salubritate, & insalubritate esculentorum.	154
V. De alimentis aliorum insalubritatem cortigentibus.	160
VI. De potulentorum salubri, ac insalubri natura.	162
VII. De moderatione in viatu optima sanitatis conservatrice.	166
VIII. De excretionibus ad vitæ ac sanitatis tutelam necessariis.	172
IX. De motu optimo sanitatis præsidio.	177
X. De quiete, & somno.	185
XI. De diæta robustiorum, & imbecillium.	192
XII. De diversa, ratione temperamentorum, ætatum ac temporum anni diæta.	195
XIII. De diæta sexui convenienti.	204
XIV. De confuetudinis in tuenda valetudine efficacia.	206
XV. De remediis ad sanitatem tuendam, morbosque præcavendos accom- modatis.	208

P R O.

E

# PROLEGOMENA DE MEDICINÆ NATURA, FUNDAMENTIS; ET PRINCIPIO DEMONSTRANDI.

## CAPUT PRIMUM.

*De Medicina, ejusque natura.*

### §. I.

**A**D prolegomena cujuscunque scientiæ rite, & ordine tractanda pertinet, cum illius rei, de qua agitur, realē definitionem præmittere, tum principia indicare, ex quibus solida scientia hauriri possit.

### §. II.

Medicina est rerum salubrium & insalubrium scientia, qua corporis humani vitam ac sanitatem, quantum fieri potest, conservamus, vel eam amissam convenientibus remediis restituimus.

*Scholion.*

Definitio hæc est realis, quia intimam artis medicæ naturam ac genium explicat, qua scimus, quid medicus, & scire & agere debeat, item in quo ejus officium sit positum. Quæ vulgo afferri solent medicæ artis definitio[n]es, a fine tantummodo desumptæ, minus rem exhaustiunt.

### §. III.

Medicus itaque appellatur is, qui rete, quæ homini ad vitæ ac sanitatis tutelam morborumque curationem salubria, vel vicissim insalubria sunt, judicat.

Tom. I.

### §. IV.

Quia sanitas, & vita hominis res tam magnifica, pretiosa, & optabilis est; medicus in hoc negotio nihil sine solida ratione agere vel moliri debet.

*Scholion.*

Non sufficit, medicum omnia ea, quæ sunt, recensere posse, sed etiam rationes dare ac demonstrare debet, quod, & cur hæc, in hoc, vel illo casu, salubria, vel insalubria sint? Unde apparet, medicinam recte definiri scientiam.

### §. V.

Quia medicina non tantum in scientia eorum, quæ obsunt & prosunt, consistit; verum etiam horum usum, & applicacionem desiderat: hinc recte in theoreticam & practicam dividitur.

### §. VI.

Sicuti theoria est scientia omnium eorum, quæ ad corpus humanum, sive sanum, sive morbis obnoxium, adeoque restituendum, pertinent; ita praxis est prudentia, recto ordine, tempore ac dosi remedia, pro cuiusvis corporis & morbi ejusque caussarum conditione, applicandi.

*Scholion.*

Medicus in theoria magis universalia tractat, functiones partium, causas vitæ ac sanitatis explicat, & quibus remediis, qua ratione vietus, quo vivendi generi hæc tuenda sit, saluberrimas prescribit regulas; tum & in singulorum morborum

A cauf-

## Cap.I. De Medicina ejusque natura.

caussis & symptomatum rationibus inve-  
vestigandis, & quibus remediis tolli de-  
beant, occupatus est. In praxi vero magis  
specialiter & quoad individua agit, & ip-  
sa corpora corporumque naturam, robusta-  
sint, an imbecilla, quæ ætas, quæ con-  
suetudo, quis habitus corporis, qualis fun-  
ctionum & p.n. status? scrutatur, & se-  
cundum has admodum variantes circum-  
stantias, cum judicio & diligentia, tam  
diætetrica, quam pharmaceutica præsidia,  
dos, ordine ac tempore debitiss, adhibet  
atque disponit. In theoria omnes; ad le-  
stum vero pauciores sanitati redduntur.

### §. VII.

Quum medicus nec scïenter, nec pru-  
denter agat, si veras morborum causas,  
rationes symptomatum, & cuiusvis corpo-  
ris naturam ignoret, neque remediiorum  
vires modumque operandi ac medendi or-  
dinem intelligat: hinc videmus, eam de-  
mum theoriam, quæ ex praxi atque ex-  
perientia desumpta est, & quæ historiis  
morborum explicandis accommodari po-  
test, ipsamque experientiam postea reddit  
rationalem, recte dici medicam, & esse  
optimam.

### §. VIII.

Theoria medica, nec solida, nec fun-  
damentalis est absque doctrina physica,  
quæ accurationem omnium rerum natura-  
lium, quibus homo perpetuo ad vitam &  
sanitatem indigit, cognitionem afferit,  
& absque anatomie, quæ intimam corporis  
nostræ structuræ notitiam suppeditat.

#### Scholion.

Alioquin duo medicinæ oculi, anatome  
& astronomia, habiti fuerunt. Hujus ve-  
ro, quia prope nulla in re medica utilitas  
est, hinc rectius ei physicam substituimus,  
sic tamen, ut chymicam, & mechanicam  
scientiam simul complectatur. Quicunque  
itaque medicorum his oculis defituitur, is  
profecto cœcus tantum per caliginem pal-  
pat. Nam omnes rationes, quas medicus  
unquam afferit, nisi physicæ vel anatomi-  
cæ sint, ut nadæ speculationes & cerebri  
figmenta haberi debent. Rectius itaque  
medicus philosophus per cultrum & ignem  
a quibusdam dicitur.

### §. IX.

Per physicam non-veterum scholasticam  
nominalem, qua nihil explicatur, & mera  
nomina grande sonantia pro causis afferun-  
tur; sed realem, & quæ usui est, intelli-  
gimus, quæ vires, proprietates corpo-  
rumque effectus variis experimentis, vi-  
delicet mechanicis, chymicis, anatomicis  
inquirit, eorumque causas non ex prin-  
cipiis abditis & incertis, sed manifestis,  
corporum videlicet dispositione, situ, ne-  
xu & motu natura ac legibus, & mutua  
eorum inter se actione & reactione, deri-  
vat; unde hodierna philosophia merito  
experimentalis appellatur.

### X.

Medicina in quatuor partes rectissime  
dispescitur, I.) in Physiogiam, quæ sci-  
entia est corporis nostri, quatenus vivum  
ac sanum est. II.) in Hygieinen, quæ tra-  
dit præcepta ad vitæ ac sanitatis tutelam  
necessaria. III.) in Pathologiam, quæ sci-  
entia est corporis nostri, quatenus varie  
læditur morbisque fit obnoxium, qui ex  
certis signis & dignoscuntur, & dijudican-  
tur. IV.) in Therapeuticen, quæ regulas,  
leges ac methodum medendi, tam inter-  
nis, quam externis humani corporis vi-  
tiis, docet.

#### Scholion.

Secundum scholas in quinque partes hu-  
usque medicinam divisam esse, atque Hy-  
gieinen quartum inter eas locum occupa-  
se, novimus. At nos, melioris ordinis &  
connexionis causa, quatuor tantum partes  
admittimus, & physiogia, quæ corporis  
humani structuram, ejusque usum, ad vitæ  
& sanitatis negotiū explicat, mox sci-  
entiam tuendæ valetudinis subiectimus, ut  
quomodo & quibus mediis, veluti conve-  
nienti alimentorum, aeris ac eorum, quæ  
excernenda ac retinenda adjuvent, usu, ea  
servanda sit appareat. Quum enim ex ho-  
rum demum neglectu caufarum morbis  
cum origo subnascatur, pathologie præ-  
mittendam hanc doctrinam esse judica-  
mus. Neque semioticam distincke tractan-  
dam censemus, quia symptomata morbo-  
rum, quæ in pathologicis tradi debent, si-  
gna dignoscendi, agritudines & earum e-  
ventus prænoscendi ministrant.

## C A P U T II.

## De Artis medicae Fundamentis.

## §. I.

**D**antur in rerum natura corpori nostro salubria & insalubria, quæ prosum, vel obsunt: & hoc ipso artis medicæ existentia satis probata est.

*Scholion.*

Utitur hoc argumento vetustissimus auctor Hippocrates ad artis nostræ existentiam demonstrandam, in libro de arte §. 6. ubi ita scribit: *Sunt nihil minus ea, quædamno fuerunt, quam ea, quæ opem tulerunt, in testimonium arti, quod ars ipsa sit.* Quæ enim profuerunt, ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt. Atqui ubi rectum & non rectum utrumque suum finem habet, quomodo quis hoc attemesse neget?

## §. II.

Medici itaque præcipuum officium est, ut salubria ab insalubribus, tam quoad sanitatem conservandam, quam restituendam, discernat, iisque recte utatur.

*Scholion.*

Nihil amplius desideratur a medico, quam ut proponat ea, quæ saluti sunt, ad usum: & iis, quæ noxia sunt, interdicat. Quapropter in iis certo niti fundamento oportet, quæ certitudo tamen sine principiis claris, ex quibus ea fluant, haberi nequit. Quæ vero theoria vel hypothesis medicorum ad hunc scopum directe non tendit, & rationes salubritatis & insalubritatis rerum, pro tanta varietate corporum, clare reddere non potest, eam pro ingenii speculabundi scœtu, ac nullius in adjuvanda hominum salute fructus atque momenti agnoscimus; sicuti est illa, quæ non ex principiis physico-mechanicis & anatomical, sed magis ex pneumaticis, & moralibus philosophatur.

## §. III.

Sicut vero omnes vires corporum nunquam absolutæ sunt, sed relative semper, conditionate & limitate se habent; ita et-

Iam nulla dantur ex alimentorum, vel medicamentorum classe, quæ absolute, id est, sua natura ac semper salutaria, vel noxia sunt, sed respectus semper corporis humani & diversa ejus naturæ esse debet. Neque enim certa quædam & eadem semper virtus idemque effectus inest remedii, utpote quæ ad nocendum, & que ac adjuvandum, prompta sunt, sed isdem ex actione, remedii, & reactione, quæ est in corpore ejusque dispositione, resultat.

*Scholion.*

Fundamentum perniciosissimæ empiricæ medicæ est, quod vulgus falsam hanc persuasionem imbibenter, dari certam medicamentorum efficaciam, ad quendam morbum vincendum potentem. Hac ducti opinione, sine ullo respectu ad corporis naturam & vires, illis utuntur. Et delinquent in eo frequenter docti alioquin Medici, quod semel, vel iterum, dextro a dato remedio annotato effectu, specificari & perpetuam adversus hunc morbum efficaciam ei inesse credunt, & simili recurrente morbo, etiam non iisdem plane circumstantis stipato, idem propinant. Ita, quoniam a cortice chinæ salutaris in tollendis intermittentibus aliquoties visus fuerit effectus, mox pro universali remedio, incredibili tamen mortalium damno, is habitus est ad febres fugandas. Idem fieri in ceteris febre omnibus, in dies, non sine gravi dolore & detimento, observamus.

## §. IV.

Solidè igitur & rationalis medicina cardo in eo unice vertitur, ut alimentorum & medicamentorum vires atque effectus, secundum differentiam corporum, quæ maxima est, addiscamus, quæ res non est cuiusvis hominis, nec tam facilis, quam quidem vulgo putatur.

## §. V.

Hanc vero doctrinam longe utilissimam ut assequamur, duobus opus est subsidiis, quæ sola & genuina fundamenta veritatis, & certitudinis in arte medendi sunt, quorum unum **EXPERIENTIA**, alterum **RATIO** appellatur.

## §. VI.

Per experientiam non intellectam volu-

mus illam temerariam & fallacem imperitorum, dum protinus fausti, vel infausti, a remedio assumto observati successus causam dato remedio adscribunt, nullo habito ad individuum, vel ad alias circumstantias, & causas concurrente, respiciuntur.

## Scholion.

Fallit talis experientia, quia nimis præcipitanter annotatus effectus, remedio, tanquam causa adæquatæ & soli, adscribitur: & ab hac judicandi præcipitantia tot tantæque practicorum dissensiones oriuntur, dum quidam certum remedium in morbis ad cœlum extollunt, alii ad orum usque deprimunt, singuli autem ad experientiam confugunt.

## S. VII.

Vera experientia nascitur ex compluribus observationibus, magna diligentia, attentione & cura notatis, quæ integrum morbi historiam, cum omnibus ad rem pertinentibus circumstantiis, complectuntur, unde medicarum observationum summa patet utilitas.

## S. VIII.

Quia vero experientia, quæ observationum copia acquiritur, valde difficilis & longissimi demum temporis filia est, cum corpora humana mirifice, pro diversitate virium, climatum, temporum anni, vietus, consuetudinis, ætatis, temperamentorum innataque dispositionis dissident, ea propter sola experientia insufficiens & difficillimum est artis principium; alterum itaque, seu fulcrum, ut adjungatur, videlicet ratio, necessarium est.

## Scholion.

Spectat hoc seet. I. aphor. I. ars longa, vita brevis, experientia fallax, iudicium difficile.

## S. IX.

Per rationem hoc loco non tam rectum medici iudicium, sive subiectam recte concludendi facultatem, quæ utique semper ut veritas elicitur necessaria est, quam potius veram & realem, non nominalem, quæ scholasticorum est, theoriæ mediæam, intellectam volumus.

## §. X.

Theoria medica vera est rationalis, & demonstrativa explicatio eorum, quæ in historiis morborum continentur, & quæcunque per alimentorum, æque ac medicamentorum & rerum naturalium vires, in sanitas conservetur & morbi propulsentur, possibilia sunt.

## Scholion.

Rationalis ac demonstrativa effectuum per causas explicatio fit, si quis ex indubiosis principiis, ceu primis veritatibus, apta & syllogistica connexione incognita deducit: explicat more ac methodo geometrarum, qua in demonstrationibus suis uti consuecant. Nam geometra, ipse quoque Euclides, si rem probe perpendiculariter, non alia ad demonstrandas veritates usi sunt methodo, quam rerum ordine & syllogismorum serie ac connexione. Sed hanc methodum scribentibus laboriosam & difficultiam, legenti facilimam esse, qui libet harum rerum gnarus noverit.

## S. XI.

Medicus, veram theoriæ callens, ex morborum historiis completis, id est, quæ totum morbi cursus complectuntur, primo morbi origines ac causas ejusque imponit ac symptomatum generationem investigat atque explicat: ex his cognitis deinde indicationes sibi format, quid faciendum vel omittendum sit: tum quæ remedia, ipsi prius probe cognita, quo ordine, qua dos & tempore sint adhibenda, proponit: & posthac rectum de morbi eventu iudicium in medium profert. Et hec methodus maxime locum habet in consiliis dandis.

## S. XII.

Medicus, bonus theoreticus, ex acculturatis observationibus multum sapit, maxime vero ex his medicamentorum vires atque effectus exquisitissime, pro corporum & circumstantiarum diversitate, investigat. Tum ex particularibus & plurius observatis, universalia præcepta ac regulas medendi sibi colligit, neque minus ex documentis documenta & cautiones comparat utilissimas.

## §. XIII.

Vera igitur theoria medica est fundatum ac clavis certæ, securæ, ac facilis praxeos. Hac promte scimus, quid in morbo, etiam novo, & insolito agendum, vel omittendum, aut promittendum sit, ne unquam noceamus, si prodesse non possumus, ac aliorum medicorum errores facile cognoscimus, hac deinceps securiorem medendi viam in difficulterioribus morbis invenimus.

## §. XIV.

Character itaque solidæ ac veræ theoræ medicæ est, si quis ea uti possit ad praxin, quod fit, si historias morborum, quoad omnes circumstantias, rite ac debito ordine ex ea evolvere, explicare, ac demum utilissimas in praxi conclusiones inde derivare, & consilium medicum firmum ac fundatum dare valet.

*Scholion.*

Ex his clare intelligitur, quam erronea sit communis illa sententia, bonum theoreticum esse malum practicum. De perversa theoria valere illud concedimus, vera autem, & solida practicum, & solidissimum, & felicissimum reddit. Et qui caret hac, solidus, & peritus practicus nunquam evaderet, etiamsi per centum annos artis opera exerceat.

## §. XV.

Nemo exquisitam veræ theoræ medicæ cognitionem sibi vendicare potest, nisi corporis humani, ratione structuræ, exactam & intimam habeat notitiam; deinde, nisi rerum, quæ illud motare possunt, vires cognitas ac perspectas habeat. Illud anatome, hoc physica doctrina, quæ potissimum ex mechanicis, & chymicis experimentis depromta est, & maxime omnium annotata experimenta medico-practica, pandunt.

*Scholion.*

Ex diligenti inspectione, & penitiori scrutinio fabricæ corporis nostri, sanitatis, & vitæ causæ, & quare corpus, in se ad corruptionem pronum, internis solidorum ac fluidorum motibus, ab ea vindicetur, manifestæ fiunt, quibus cognitis, longe jam est facilius in mortis & morborum causas hasque præscindendil

Tqm. I.

I rationem penetrare. Accedit, quod medicus, ex frequenti, & circumspecta eorum, qui morbis extincti sunt, sectione, non modo mortis, sed & morborum causas lethales addiscat, quarum instructus cognitione, eas postea convenientibus remedii tanto facilius avertire & amoliri potest. Et quia medicus externis partium vitiis sæpius ipse manum adhiberi debet, utique necesse est, ut, si id cum ratione peragere velit, omnium partium, præfertini nervorum, vasorum, muscularum, tendinum situm, connectionem, usum, atque consensum, tanquam digitos suos, in numerato habeat.

## §. XVI.

Quoniam nemo vivere, vel sanitatem sine alimentis, sine elementis, sine excretis, & retentis, sine somno, & motu tueri, neque sine his aperteque remediis amissam valetudinem recuperare potest; quia porro omnes morbi, ceu perversæ actionum corporis mutationes, externis & non naturalibus rebus suam maxime debent originem: hinc per se patet, medico physicam scientiam summe necessariam, ut hac ipsa vires, proprietates, & effectus rerum corporearum, in murando corporis nostri statu, a priori justa demonstratione ac fundata ratione investiget.

## §. XVII.

Neglectus itaque anatomici & physici studii, causa est indubia omnium errorum ac diversissimarum adeoque incertarum opinionum, sectarum, & dissensionum, tam in theoria, quam in praxi medica.

*Scholion.*

Turpe est, medicinam nonnisi sectis, quæ ex minus certis, imo dubiis opinionibus, & de quibus adhuc disputatur, ortæ sunt, huc usque innixam fuisse: cum tamen vita sit res omnium pretiosissima. Quare eo laborandum est, ut veris, & inconcussis principiis stabiliatur.

6 Cap. III. De variis sectis, & opinionibus Medicorum.

C A P U T III.

De variis sectis, & opinionibus Medicorum.

S. I.

**V**eteres accurata corporis humani & rerum physicarum, quæ illud mutandi facultate pollent, notitia destituti, etiam vera ac rationali theoria medica carebant, unde in varias sentiendi ac mendendi vias discesserunt. Atque adeo anatomæ ac physices veræ ignorantia tot sectarum & opinionum causa omnino genuina fuit.

S. II.

Antiquissimi medicorum, notitia corporis humani & causarum morbi insuper habita, artis certitudinem in sensuali ac evidenti cognitione, sive experientia eorum, quæ in morbis profecerant, vel nocuerant, unice collocabant, evidentes vero morborum causas, ut frigus, calorem, famem, sitim, intemperantiam, animique effectus admittebant, & hi empirici vocababantur.

Scholion.

In eo laudem merentur empirici, quod sensualem ac evidenter caularum cognitionem userunt, abditas potissimum negligendo, quarum nec curior quidem investigatio medico utilis vel necessaria admodum est. Et de his quoque perpetuum inter medicos & philosophos est litigium. Intimæ enim rerum naturæ ac cause, quæ virium & proprietatum in corporibus fontes sunt, intellectus nostri vim ferme in totum transcendunt. Longe itaque facilitior ac tutior philosophandi in rebus medicis via est, proprietates tantum, & vires rerum, mutuis actionibus atque effectibus investigare, idque optime fit experimentis physicis, chymicis, mechanicis, medico-practicis. Sic experientia recte constituta, recte experientissimi nominantur medici. At vero quia veteres & genuinam investigandi vires corporum methodum per experientiam ignorabant, mutuas corporum relationes, ex quibus demum

verus effectus judicandus est, non attendendo: hinc eorum experientia minus solida ac firma, sed fallax & dubia habenda est.

S. III.

Alii, cum viderent, solam experientiam ad certitudinem artis minus sufficere, causarum non modo evidentium, sed & abditarum notitiam atque rationes, in applicandis remediis, urgebant; hinc dilectionem corporum & rerum naturaliora scrutinium in auxilium vocabant, & dicebantur rationales, quorum facile princeps fuit Hippocrates.

Scholion.

Urgebant quidem olim rationales medici, & anatomicum, & physicum studium, tractandæ medicinæ esse utile, horum vero convenientem tractationem ignorabant. Siquidem manifestas & sensu propinquas, quas phænomena & experimenta subministrant, causas negligebant, eas vero, quæ & rationi & sensibus occultæ sunt, prosequi coeperunt. Unde vix alia, quam sterilia nomina & figura in rem medicam atque physicam irreplerunt, & infelicititer, quod pessimum, pro rerum veris causis venditata fuerunt. At vero exquisitor rerum naturæ cognitio est quoque ad verum anatomicum usum per quam necessaria, utpote physica scientia ad miniculæ, ea, quæ sensu cognoscuntur in corporum abditis, explicantur, & usus fabricæ partium corporis investigatur, reæque recluditur. Hinc facile apparet, sine physica doctrina, & anatomicum studium non multum juvare, sed truncum, mancum esse atque olim fuisse.

S. IV.

Quidam, spretis omnibus aliis, notitiam caularum proximarum morbificarum in praxi unice urgebant, & hastriplices esse dicebant, laxum nempe, strictum, & ex utroque mixtum, eamque obcaulam triplices tantum medendi indicationes, & fontes curandi statuebant: strictum scilicet esse laxandum, laxum vero roborandum, &c. si neutrum fuerit, utroque modo faciendum, judicabant. Et hi medici, ob hanc compendiosam & brevem methodum, dicti fuerunt methodici, cu-

eujs seclæ auctores Themison Laodicenus,  
& Theſſalus Trallianus celebrantur.

## Scholion.

Indicationes curandi utique sunt pauca & simplices, quia a paucissimis & simplicissimis causis morbi oriuntur. Hinc vires quoque medicamentorum a paucioribus proprietatibus pendent, exque ad paucas classes reduci possunt. Inque eo laudanda erat methodicorum intentio; sed quia physices ac anatomæ studio carebant, neque vires remediorum experientia practica rite consequi poterant, neque vita, neque mortis, neque sanitatis & morborum naturam, nec veras formare indicationes, ac remediorum vires recte intelligere poterant. Ceterum de origine & auctoribus sectarum in medicina legi merentur Plinius in Hist. Nat. L. 29. C. 2. Celsius Aurelianus L. 1. C. 31. Corn. Celsus in praesatione operis sui & Petrus Castellanus; adde Conringii introductionem in medicinam, necnon Barckhuyzen histriam medicinæ.

## §. V.

Galenus, anno post Christum natum CXL. Aristotelis physica principia, quatuor elementa, & ex his productas temperies ac intemperies, quatuor qualitates ac humores, infelicitatem fidere, in medicinam induxit, quem  $\mu\ddot{\nu}$   $\pi\ddot{\nu}\delta\alpha$ , ad seculum fere decimum sextum, plerique Arabes, Græci, Latini, Itali, Hispani & Germani securti sunt.

## Scholion.

Non incongrue medicina in nominalem & realem distinguenda videtur. Illa, que veterum fuit, in allegandis rerum veris causis, tantum nominibus & compluribus distinctionibus nihil significantibus contenta est, & loco proximarum & sensu ac rationi manifestarum causarum, ad potentias quasdam spirituales, morales, ad ens interno sensu, & cognitione praeditum, vel in occultioribus ad ipsum Deum, vel dæmonem, confugit. Realis vero, qua potissimum nostri seculi est, in ipsis rebus earumque natura indaganda sapere intendit, atque effectuum causas maxime proximas, sensu ac rationi obviis, inquirit, spretis omnibus inanibus

ac nihil significantibus nominibus atque principiis. Sicut vero nominalis medicina, quæ est plurimorum verum, maxime Galeni, jure scholastica & phantasiæ tantum filia est, rebusque explicandis & inventiendis minus idonea, ita recentiorum, magis realis & experimentalis, ad usum & praxin magis accommodata est, magisque observationis, meditationis, judicij ac rationis res existit.

## §. VI.

Circa exitum seculi decimi sexti prodidit in Germania Paracelsus, qui, repudiatis Aristotelicorum elementis, principia chymica, sal, sulphur & mercurium, astrorum quoque potentias & influxus, in medicinam introduxit: chymica quoque, per ignem preparanda pharmaca, in praxin invexit, de quibus mire gloriatus est.

## Scholion.

Neque Paracelsi principia, quæ ignis plus, quam naturæ producta sunt, ullam lucem medicinæ accendeant, siquidem nec vita ac sanitatis, nec morborum negotio, eosque curandi scopo, poterant accommodari. Tacemus insulsa illas superstitiones & miras arcanorum & specificorum, ex minerali potissimum regno peccitorum, jaestationes, quibus plus artis nostræ excellentiæ detrahit, tantum abest, ut eam perfecerit.

## §. VII.

Seculo decimo septimo Helmontius probabat, qui Philosophus per ignem appellari volebat. Hic etiam repudiatis maxime Galenicorum scitis ac placitis, in homine ac animantibus internum motus ac sensus vitalis quoddam principium constituebat, quod archeum nominabat, qui cum vita, tum morborum ac medicationum, omniumque actionum in homine causa auctor esset. Omnes vero alias causas, etiam morborum, neconor remediorum vires, perse mortuas atque desides, comince se, nec aliud quicquam mouere possint, judicabat: sed tantummodo has esse occasioales asseverabat, quibus archeus excitaretur, ut velinde expavesceret, vel excandesceret, aut sedaretur, vel alijs modis afficeretur. Ceterum mol-

tum secutus est *Paracelsum*, & ab eo tradita scriptis suis inferuit. Nimirum tamen paradoxis studuit, nimisque fuit credulus, & loco causarum manifestarum, multa rationis entia, speciosa nomina, ideas, femina, fermenta, occultum animæ regimen, duum viratum & id genus plura, in medicinam introduxit, & jure medicinae idealis & pneumaticæ conditor dicens.

*Scholion.*

In eo quidem non culpandus *Helmontius* est, quod iu corpori humano causam vitæ, mortis, morborum & sanationis, item motuum ac sensuum, quæsiverit, & scholas Galenicorum destruxerit; in hoc tamen aberravit, quod causis morborum, item rebus externis, videlicet alimentis, elementis, remediiisque, omnem actionem, motum & influxum in corpus, denegavit, archeo autem sensum internum vitalem, quo discernat, quasi per occasionem, noxia vita ab innoxiosis, item pavorem, timorem, iram adjudicavit. Nam posito ejusmodi principio, & rejecta rerum externarum & corporearum vi attingiva, corrigit omnis usus anatomici ac physici studii, cum tamen absque eo theoria medica plane sit fictitia minusque rationalis. Neque video, si omnes vires mortuæ sunt, quomodo salubris vel insalubris rerum usus & abusus adstrui, & recte explicari possit. Neque intelligo, quo pacto ignis, frigidis, humidi, aeris, ejusque gravitatis & elateris, nec non salium & sulphureorum, quorum vis in corpus nostrum, ipsius motus & functiones mutandi, summa est, operationes explicare ex hoc fundamento possimus.

*§. VIII.*

Superiori saeculo egregius ex Germanis medicus, & omni laude major *Daniel Sennertus* existit, qui ex Græcis, Arabibus, Italis & Gallis meliora dogmata & salutaria artis præcepta selegit, inque systema universam medicinam redigere, & præcipue consensum Galenicorum cum chymicis stabilire allaboravit: idque non sine magno orbis medici applausu. Is igitur primus inter philosophos, & medicos Germanæ eclecticus merito haberi potest.

*§. IX.*

Eodem etiam saeculo prodidit *Takenius* aliique plures, qui ex sale acido & alcali, quorum proprietates ac vires noxias & utilles primus fere in rem medicam *Helmontius* introduxerat, præcipuas morborum causas ac fundamentum curandi deduxerunt.

*§. X.*

Non multo post in Belgio surrexit *Sylvius*, qui novam medicis scholam aperuit, & ex manifestis causis agere coepit, quum ex acido, bile, & pituita, omnium morborum causas deducere, & remediiorum vires, adversus acidum & bilis acrimoniam, vel inertiam, pugnantes, demonstrare natus est: inque Belgio & Germania plures eius doctrinam, ut fieri in novis rebus assolet, sequuti sunt.

*§. XI.*

Cartesianæ philosophiae addicti medici, quorum principes fuerunt *Craanius*, *Bontekoe*, *Regius*, *Blancardus*, inter Germanos *Waldschmidius*, summa ope anni si sunt acidum & viscidum, & inde enatas obstructions, pro causis morborum universalibus obtrudere, omnemque morbis medendi rationem in fluiditate sanguinis ejusque circulo per congrua medicamenta conservando, posuerunt, contentis fere purgantibus, acidis, sanguinique missiobibus: plethoram quoque ex morbidarum causarum classe ejicere conati sunt.

*Scholion.*

Insufficientiam acidi & alcali, pro stabiliendis rerum naturalium principiis *CL. Bohnius* ostendit. Acidi vero, & viscidii pro assignandis morborum omnium causis, item alcali fluidi, pro iisdem amoliendis, insufficientiam, nos peculiari olim differentiatione epistolari edita anno 1590clxxxix evicimus.

*§. XII.*

Postquam res tam medica quam physica, ob circulum sanguinis, divinum illud & incomparabile ad veritates medicas stabiliendas, & asserendas inventum, item ob philosophiam chymicam & mechanicam experimentalem, necnon ob præstantissima multa alia inventa anatomica,

maxima cepit incrementa: physica etiam corporis humani longe cultior, ac perfectior redditia est, solidior tamen pathologia, & huic superstructa therapia adhuc in desiderio fuerunt. Nam plurimi recentiorum adhuc, in explicandis morborum causis, nimium potentiss materialibus, v.g. salibus, acribus, acidis, causticis, item fermentis, ac texturis materiarum fere inexplicabilibus, spredo motuum, circuli sanguinis, nec non secretionum, atque excretionum, ad recuperandam sanitatem summe proficuarum, & necessariarum, item circuli sanguinis usu, ioharent: adeoque causarum verus nexus cum indicationibus curativis multum hactenus neglectus fuit.

### §. XIII.

Attenta obseruatione discimus, motum omnium mutationum in corporeis causam esse, atque motu quoque vita, ac sanitatis fundamentum contineri, ipsas morborum causas vix alio modo, quam motu, in corporis nostri solidas, & fluidas partes agere, neque medicamenta aliter, quam motu, operationes exercere. Qua de causa in explanandis medicis rebus, inque remediis viribus explicandis, ad motum principaliter, deinde ad mobile, sive dispositionem corporum, ipsasque vias, respicendum esse existimamus. Quoniam vero mechanices scientia dispositionem corporum ad motum, atque hujus naturam, causas, leges, atque effectus clare docet, & explicat, iisdemque principiis, & ratiociniis ex mechanica desumptis, praestantissimi medici in causarum explicatione uti consuecant; ideo, haec tractandi medicinam methodus, hodie mechanica recte appellatur.

### Scholion.

Hanc mechanice medicinam tractandi methodum, quæ quam maxime anatomica, & vera physica scientia superstructa est, præstantissimi ævi nostri medici, in Italia, Bellinus, Borellus, Malpighius, Michelotti, Santorini, Ramazzinus, Baglivius, Lancisius, Bianchi, in Belgio, & Britannie, Pitcaurius, Freindius, Keil, Albinus, Boerhaave, in Germania, Bonnius, Brunnerus, Camerarius, Scheu-

cherus, Bergerus, Vaterus, Zwingerus, Nebelius, Pauli, Schaperus, aliique hinc inde egregii viri, magno cum applausu, artisque incremento amplexi sunt.

### §. XIV.

Mechanicæ medicinæ contrarii videntur ii, qui artificiosam quidem partium in corpore structuram negare nequeunt, sed admittere coguntur, materiam tamen, omniaque corpora in se, & sua natura passiva, & omnis actionis, ac motus experientia, tantum ut instrumenta motuum considerant, unde, ut ab alio movente, quod principium motus in se habeat, actuentur, dijudicant, rebus etiam physis, & externis causalem efficaciam faciendi, immutandi, ac destruendi corporis nostri motus, denegant. In homine vero illud principium, quod vita, sanitati, & morborum curationi præsit, naturam, vel animam vitaliter agentem appellant, cuius actiones non ex principiis, & modis agenti mechanicis, sed rectius ex morali quadam estimatione explicari autuant.

### Scholion.

In felicissimum hoc in philosophicis dogma, materiam in se, & sua natura esse ens mere passivum, & ab alio ente activo actuandum, complures eroneas, in re philosophica pariter, & medica, omni tempore peperit opiniones: siquidem alii credebat, Deum esse motus causam, alii spiritum, animam, vel naturam substituebant. Ex prima assertione multa absurdæ, ipsumque fundamentum Spinozam, fluunt, sicuti id latius deduximus in differende universali agente in corporibus, item in diff. de potentia diaboli in corpora, nec non de natura morborum medicatrice mechanica. Qui vero mera tantum nomina praecausis motuum, nec quicquam reale, vel demonstrativum afferunt; si nihil, quod concipi possit, vel ad praxis utile sit, explicant. Res potius ita se habet. Infinita Dei potentia produxit substantias agentes, seu viribus activis instrutas, quæ sunt fontes operationum, atque effectuum in aliis. Quid enim creatura, vel substantia mere passiva, sine actione, vel operatione est? certe nihil. Sicuti vero substantia, vel in-

intelligentes, & libere agentes, vel in movente, mobiles, sive resistentes, atque ex necessitate agentes, optimè distinguuntur, quarum priores spiritus, posteriores corpora appellantur: ita & vis intelligens, libereque agens, spiritibus, movens autem, & ex necessitate agens, corporibus, substancialis, & essentialis assignatur. Atque adeo non opus est, pro his peculiare agentes fingere, siquidem omne corpus est agens & in perpetuo risu ad motum, vel in motu, unum in alterum agit, vel reagit, & mutationem, licet non semper ratione loci, producit. Has vires ratione effectuum, quos in aliis edunt, observat mechanicus, & mensurat geometra, quia effectus certi semper ex certis causis necessario sequi debent. Igitur res externæ, elementa, alimenta, ac medicamenta, quibus nec ullus hominum, vel medicorum carere potest, agunt in corpus nostrum, ipsique necessarias mutationes inferunt. Non negandum tamen est, mentem quoque in corpus agere, & animam sensitivam illud turbare posse; ex his tamen minime consequitur, omnes actiones, præsertim vitales, & naturales, in corpore nostro amentis, vel animæ directione, dependere.

## C A P U T I V.

## De optima Hippocratis medica disciplina.

## §. I.

**P**restantissimam medicinæ tractandæ disciplinam, primus, isque vetustissimus parens, *Hippocrates*, in monumen-  
tis suis posteritati tradidit.

## §. II.

Gravissimus hic auctor maxime urg-  
bat, ad perficiendam artem in observan-  
do, & annotando diligentiam, ut constat  
ex ejus libris epidemiorum, de morbis, &  
affectionibus.

## §. III.

Ex sapientiis observatis regulas universa-  
les, seu aphorismos concinnabat, ut in  
similibus casibus eximius eorum exstaret  
usus, sicuti testes sunt ejus omni laude ma-  
iores sectione 7. aphorismorum.

## §. IV.

Idem studium anatomicum medicinæ summe necessarium judicabat, de quo libri de corde, ossium natura, venis, humoribus, genitura, principiis, & carnibus, item de glandulis, ac de natura humana, testes sunt.

## §. V.

Exquisitum rerum naturalium studium pensi habebat: cujus testimonium præbent libri de flatibus, de locis in homine, de alimentis, aere, aquis, & locis.

## Scholion.

Siquidem ex variis præcedentibus tem-  
pestibus, temporumque mutationibus,  
regionum situ, soli natura, ac indole,  
terræ exhalationibus, aquarum qualitate,  
& diversa vietus ratione, grassantium,  
ac popularium morborum causas tanta sa-  
gacitate deducebat, ut certis etiam regio-  
nibus, ac naturis hominum imminentes  
morbos potuerit predicere.

## §. VI.

Naturam, & corporum diversitatem  
magna cura commendabat, quare in me-  
dendo circumspicere jubet, imbecilla an  
robusta corpora, quis sexus, quæ artas,  
quæ vires, qualis temperatura, habitus  
corporis, consuetudo, vel hæreditaria di-  
spositio sint?

## §. VII.

Scientiam præservatricem, qua nihil  
aut præstantius, aut optatius est, excusat.

## Scholion.

Unde singulari studio libros tres de die-  
ta, item de alimentis, humidorum usu, &  
salubri dieta, composuit, inque morbo-  
rum curatione multum fuit occupatus, ut  
in quibusvis, pro diversitate naturarum,  
convenientem viatum, ac vivendi ratio-  
nem præscriberet, quod patet ex libro de  
victu auctorum.

## §. VIII.

Quoad studium dignoscendi, ac dijudi-  
candi morbos, nullus ipsi fuit superior.

## Scholion.

Hoc videre est ex aphorismis, libris pra-  
dictiōnēs, prænōtiōnēs, & Coacis,  
quare factum est, ut prudenti prognosi  
magnum sibi famam, nominisque celebra-  
tatem conciliaverit.

## §. IX.

## §. IX.

Neque minorem chirurgicæ studio, quo nihil utilius est, nihilque evidenter, navavit operam.

*Scholion.*

Libri ejus de articulis, fracturis, vulneribus capitis, de fistulis, aliaque documento sunt.

## §. X.

Morum, ac decori doctrinam, & prudentem vivendi rationem, nemo ipso rebus tenuit, & medicis quoque, qui multorum consuetudine eti debent, commendavit.

*Scholion.*

Hujus rei testimonium ejus *jusjurandum*, liber de medico, de decenti habitu, sive ornatu, ejusque præceptiones, ac epistolæ, lectu dignissimæ, exhibent.

## §. XI.

*Hippocrates* omnium primus mechanicas rationibus in difficilioribus explicandis usus est, dum ex justa mensura, proportione, temperie, motuumque æquilibrio, sanitatis natura, & ex his destructis, morborum rationes apte deduxit.

*Scholion.*

Id ex variis locis fit conspicuum, qui extant in libris *de flatibus*, *diætis*, *natura hominis*, item ex definitione medicinæ mechanica, quam optimam dedit in libro *de flatibus*, dum ait, esse additionem eorum, quæ deficiunt, & subtractionem eorum, quæ abundant: quibus loculenter indicat, medicum in eo solum occupari debere, ut mediocritatem inveniat, & veram mensuram motuum, ac humorum, quæ sanitati conservandæ idonea sit.

## §. XII.

Circulum sanguinis, quo non excellenter in medicina inventum est, jam tum cognovisse *Hippocratem*, non obscura in scriptis ejus extant vestigia.

*Scholion.*

Patet hoc ex libro *de alimentis*, *de insomniis* §. 8. & 12. adde librum *de flatibus* §. 21.

## §. XIII.

Laudandus quam maxime in eo est, quod naturæ motus, motuumque ordines, successiones, ductus, vias, tempora ob-

servanda, & motus salutares, a pernicio-  
sios, in medendo distinguendos com-  
mendet, quod ex ejus aphorismis, & iis,  
quæ de crisi, & prognosi passim memoriaræ  
prodidit, clarum ac perspicuum fit.

*Scholion.*

Ex Hippocrate hausturi doctrinam, quod proiectiorum in arte esto, commendatos sibi habeant Fœsti labores, qui optime principem hunc medicorum, & terse inter-  
pretatus est, & in adjectis annotationi-  
bus, & economia etiam seorsim prostante,  
multa lectu non inutilia protulit. Sed nec omittat Mercurialis, & Prosperi Martini  
laudatissima scripta, ad illustrandum  
hunc auctorem in lucem emissa. Denique  
Hollerius, Duretus, & Heurnius pariter  
de eodem sunt præclare meriti.

## C A P U T V.

De incrementis artis medicea  
promovendis.

## §. I.

*Hippocrates*, uti primus optima soli-  
da medicinæ fundamenta jecit: ita  
mirandum est, ab ejus temporibus per  
multa secula non ulterius artem progres-  
sam esse.

*Scholion.*

Id detimenti ars nostra maxime ab  
*Hippocratis* successoribus passa est, qui ob-  
servationibus non ulterius insistentes, per-  
versa potius philosophandi, & quidem se-  
cundum Aristotelis placita, methodo,  
eam plus corruerant, tantum abeant, ut  
observationum copia, atque inventorum  
apparatu, eandem magis perfecerint.

## §. II.

Nostrum est, laudatissimam, quam di-  
vus senex calcavit viam, omni cura profe-  
qui, illudque, quod ipsi defuit, nostra indu-  
stria supplere, augere, variisque inventis  
locupletare, & hac ratione ad maiorem  
perfectionem, quoad theoriam, & exer-  
citationem, artem perducere.

## §. III.

Non meliorem viam id perficiendi in-  
gredi possumus, quam si (...) summa atten-  
tione,

tione, ac diligentia observationes, & historias morborum accuratas, & completas in praxi conscribamus; 2. ) artificioam corporis humani structuram pauculo subtilius, atque curatius diligentem scrutinio, & cultro anatomico investigemus; & 3. ) beneficio solidioris physices experimentalis, quæ mechanica, & chymica experimenta complectitur, abditas rerum, & effectuum causas ulterius scrutemur.

#### Scholion.

Praxis medica incredibile damnum, ac detrimentum olim passa est a tanta ineptarum compositionum pharmaceuticarum farragine, & simplicium lupino neglectu; neque minus, quod medicina tanta ab illo tempore observationum, quæ plenam & exactam morbi historiam complectebantur, inopia laboravit: nostris vero temporibus non parum decrementi artis exercitatio passa est a chymicis, qui validissimas ex mineralium regno medicinas, magnifica arcana & specifica pro expugnandis morbis temere jactarunt, securam vero medendi viam, quæ fit per diatam & parabiliora simplicia, nihil habuerunt. Si quod igitur incrementum arti nostræ accedere, & ad perfectionem proprius pervenire hæc debet; certe in eo maxime laborandum erit, ut thesaurum selectissimum observationum practicarum nobis comparemus, ut paucis, lecuris & probatissimis remedii uti consuecamus, eorumque vires & facultates, in tam differentiis corporibus & morbis, plenus exatisque addiscamus, & tot practicorum compositiones & chymicorum tantopere jactata remedia milla tandem faciamus, hisque repudiatis, plus ex diæta vitæque regimine, quam ex pharmacopolio, saltem ægris afferre laboremus, præsertim in arcendis morbis.

#### §. IV.

Quicquid salutari nostræ arti, tam quoad theoriam, quam quoad solidiorem praxin instituendam, incrementi adhuc accessit, id maxime attentis observationibus practicis, item anatomiae ac physices studio, debemus.

#### §. V.

Post nobilissimum Harvæi sanguinis cir-

culi inventum, longe jam facilius est; vitæ, sanitatis ac mortis causas dare: in pathologicis vero febrium, hemorrhagiarum, inflammationum, plurimumque aliorum morborum, qui a perverso sanguinis motu fiunt, doctrinam exponere.

#### §. VI.

Inventis chyli ex intestinis ad sanguinem viis, nec non detectis variis glandulis & tunicis glandulosis in intestinorum canali, observato quoque duodenii, quod recte ventriculus secundus, seu succentriatus vocatur, in quo bini humores menstruales & fermentales, biliolus nempe & pancreaticus, confluunt, flexuoso situ, longe rectius & melius jam digestiois, chylificationis & sanguificationis negotium explicatur, & morborum, qui prima in regione consistunt, generatio perspicitur.

#### §. VII.

Postquam vasa, quæ lympham vehunt, a Bartholino & Rudbeckio reperta, & a Nuckio, & Ruyshcio amplius explorata fuerunt, glandularum quoque fabrica & usus, præente Whartono, Nic. Stenonis, Nukio, Covvpero, Malpighio, & Morgagni, plenius innovuit; chyli etiam viæ per vasa lactea, & ductum thoracicum per Pecquetum, Bartholinum, Hornium, aliasque detectæ sunt: morborum ex virtute glandularum, & lymphæ, & quæ ex depravata nutritione fiunt, longe clarior est expeditio.

#### §. VIII.

A solerissimo Malpighio viscerum, pulmonum, cerebri, hepatis, ac a Bellino renum structura, & compage perspecta, morborum, qui hisce visceribus inhærent, ut phthiseos, hydropsis, & nephritidis, origines longe rectius intelliguntur: ut & plurimum adjuti sumus illo studio, quod Stenonis, Vieussens, Willius, Ridleius, Leuvenhoeck, Ruyshius, aliisque cerebro, & nervis penitus inspiciendi, hepatis autem Glissonius, Bianchi, Morgagnus, pancreatici Grafius, & Brunnerus impenderunt.

#### §. IX.

Posteaquam mere vasculosam, itemque cellulosam lienis compaginem Cafferius, & Ruy-

*Ruyshius* clarissime oculis exposuerunt, huic visceris vitia, ejusque morbos luculentius jam cognoscere, & curandi rationem, ac modum invenire licet.

## §. X.

Perspecta plane peculiari venæ portæ, arteriæ, & venæ munere fungentis, struetura, & distributione, melius quoque eruto vasorum hæmorrhoidalium numero, ortu, situ, & reputatu; omnes nunc morbi, qui ex hæmorrhoidum vitiis, & motu progressivo sanguinis per viscera abdominis intercepto proficiuntur, quos inter maxime eminet affectio hypochondriaca, in plano sunt, & commode ad rationes revocari possunt, ut quidem a nobis fusius demonstratum in *dissert. de morbis ex virtute hepatis.*

## §. XI.

Admiranda uteri fabrica evoluta, sanguinisque per ipsius contorta vasa cursu cognito, in expedito est morbos, & vitia hujus visceris, nec non affectus ex membris anomaliis pullulantes perquirere, ipsorumque ortum, & symptomata ex claris, & conceptu facilissimis principiis derivare, de quo videatur *dissertatio nostra de ignorantia uteri structura multorum in praxi errorum fonte.*

## §. XII.

Nervorum ex cerebro, & spinali medulla ortu, eorumque admiranda quoad ramifications distributione a *Vieußens*, multisque insecuris optime investigata, nunc in expedito est, morbos convulsivos, spasmaticos, in�ris illud hypochondriacum, & hystericum malum, explicare, sanguinisque symptomatum causas aperi- re, simul quoque consensum partium, præcipue nervosarum, perversorum etiam motuum communicationem, rectius intelligere.

## §. XIII.

Postquam *Suydamus*, & *Graafius*, & post hos, *Couperus*, *Morgagnus*, *Santorinus*, aliquæ infinges viri partes, generationi utriusque sexus inservientes, accuratius perlustrarunt; ab hoc tempore ii morbi, qui sedem suam, ac domicilium ibi habent, sensui, & intellectui jam facillime patent.

## §. XIV.

Admirando auditus organo, a *du Verney*, *Valsalva*, & *Cassebohmio*, eximio professore nostrate, per anatomen accuratiorem investigatis, jam longe rectius auditus vitia intelligentur.

## §. XV.

Glandulis juncturarum in ossibus a *Clapton Haveri* repertis, morborum articulatarum origo, & causæ nunc magis planæ, ac perspicuae sunt.

## §. XVI.

Ex quo a soleritissimo anatomicorum *Friderico Ruyshio*, post multa præclara, ea que non curiosa minus, quam utilia tentamina, per injectiones liquorum coloratorum in vasa, innumerabilis minimorum vasculorum, & diversissimus repratus fuit detectus, organorum secretoriorum, ac glandularum usus, adeoque etiam lœsiones, & vitia, in cognitionem accuratiorem medico oblata sunt.

## §. XVII.

Quantum commodi geometrico-mechanica musculorum structuræ, a *Berello*, & *Nic. Stenonis*, *Winslowio*, *Santorino*, *Albino* descripta, & cordis musculosæ compages a *Lovvero*, & *Lancisio* detecta, in motu artuum determinando, & potentia cordis, ac pressione, & impulsu liquidorum intelligendo, usum præbuerit, res in proposito est.

*Scholion.*

Quantum utilitatis inventa anatomica feliciori medendi arti attrulerint: hoc copiosius exposuimus in *dissertatione de usu anatomie in praxi medica conscripta.*

## §. XVIII.

Neque minorem lucem salutari arti inventa physico-chymica foenerarunt: siquidem aeris gravitate, & elatere variis experimentis cognito, neque minus ignis, caloris, frigoris, gravitatis, ac levitatis causis perspectis, item solidi, ac fluidi natura cognita, fermentationis quoque, & putredinis indole, & causis expositis, ut & effectibus, quos salia, & sulphura diverse indolis in rerum natura, & per se- tem edunt, annotatis, potentias aeris immutandi corporis nostri motus, sive impetus, sive in melius, clare jam cognoscitur,

nec non generatio causarum morbificarum materialium, ipsorumque remediorum vis, & efficacia innotescit, atque perspicua sit.

## §. XIX.

Chymicæ, & pharmaceuticæ nobilissimum studium, nostro tempore præclare excutum, ad efficacissima præparanda, & cōponenda remedia multum contulit.

## §. XX.

Immutabiles motuum leges, ex staticis, mechanicis, hydraulicis inventis, atque experimentis, jam rectius patent, unde etiam vires motrices muscularum, cordis, & fibrarum potentiam elasticam, earum robur, & atoniam, spasticam contractionem, pressionem quoque, ac impetum in fluida, nec non mirificos effetus, ex inæqualitate circuitus sanguinis prodeuentes, multo clarius exponere nobis datum est.

## C A P U T V I.

## De medicina eclectica.

## §. I.

**Q**uemadmodum ii, qui in veritate inquirenda, omni posito præjudicio, nullius opinionis servi sunt, sed libero animo, solidoque judicio cuncta pendunt, de opinionibus prudenter dubitant, & nil, nisi quod clarum, facile, simplex, atque intellectui planum est, amplectuntur, & optima quæque ex omnibus feligunt, laude digni sunt: ita quoque cordati medici est, nulli sectæ, vel hypothesi, in totum se mancipare, sed potius omnia suis examinare ponderibus, &, quæ usui sunt, ac veritati consentiunt, feligere, vanis opinionibus, quæ perniciolarum dissensionum in praxi, & theoria genetrices sunt, rejectis, & profus repudiatis.

## §. II.

Ex Hippocrate, medicorum principe, hæc ad praxia nō inutilia discere licet, quod natura optima sanitatis conservatrix, & morborum quoque medicatrix sit, & quod omne nimium, & subita mutatio corpori

periculum minetur, æquabilitas vero, & moderatio, ac temperies in omnibus naturæ humanae semper, & ubique amicissima, contra vero omne intemperatum, & excessivum, præsertim quoad usum rerum non naturalium, aeris maxime, & ingestorum, ad morbos progignendos aptissimum sit. Tum & hoc discere convenit, quod medicus viam, ac ductum naturæ sequi, tempora, præsertim criseos, exspectare, & observare debeat. Postremo, quod non movere, nisi materia sit mobilis, vel concocta, vel nisi turgeat, expediatur. Eximie quoque peritissimus senex morborum solutionem persequitur, dum vel excretione critica, aut abscessione, sive decubitu in alias partes, materia, quæ invito est, morbum solvi, pluribus locis indicat, & quod valde periculosum sit, si ab interioribus partibus a natura propulsa ad exteriores, inde recedat.

## §. III.

Ex Methodicorum disciplina, illud laxum & strictum in theoria, perquam commode ad fibrarum spasmodum, & atoniā, referre licet, quod etiam in applicatione ad praxin non mediocris usus est. Ad ipsam vero morborum curationem illud decerpere valde utile est, quod Asclepiades, ut Celsus Lib. i. cap. 3. & Lib. 3. cap. 4. prodidit, validiora purgantia, & vomitoria, & quæcunque vehementiora ex medicina expulerit, medica vero abstinentia, motu, exercitatione, gestatione, frictione, voce, balneis, abstinentia a vino, ac convenienti victu, graves, & longos morbos curare præcepere. Quibus addendum, quod primus fuerit, qui febre se tanquam remedio uti professus est..

## §. IV.

Ex Celso, qui de methodicorum schola multa nobis prodidit, hoc sumendum est, quod anodynus, quæ somno dolorem levant, parcus, nisi summa necessitas urget, utendum sit, quia ex velmentibus medicamentis & stomacho aliena sint, & quod in febribus etiam hæc non sine periculo exhibeantur, vid. Libr. 1. cap. 25. Is quoque primus est, qui clysteres ex simplicissimis emollientibus, si opus fuit, parare jussit, vid. Lib. 4. cap. 15. Tum aquæ fri-

frigidæ, tam interne, quam externe, usum, ad multa levanda vitia, commendavit.

## §. V.

*Caius Aurelianus*, *Galenus superior*, & ex methodicorum censu unicus adhuc superstes, multa utilia, & specialia ad morbos dignoscendos proponit, & ad solidorum strictroram, quæ nil nisi spasmus est, solvendam, balnearum, clysterum ex meris oleis præparatorum, venæ sectionis, & cocurbitularum cum ferro usum plurimi facit, in papaveraceis vero, & vehementioribus evacuantibus adhibendis, admundum est circumspectus.

## §. VI.

*Galenus* præclara circa usum rerum non naturalium ad tuendam sanitatem monita ad posteros transmisit. Hic primus alieno elocam miscevit cum aromatibus, & balsamicis gummatibus, ad vitiosos ventriculi humores emendandos. Primus etiam cornu cervi ustum in usum traxit, & magnopere commendavit. Ad hæc, plethoram multorum morborum chronicorum causam conjiciens, venæ sectionis auxilium, aliarumque sanguinis missionum usum, adversus *Erasistratum* egregie defendit.

## §. VII.

*Avicenna*, qui circa medium saeculi 12. floruit, Arabumque generatim medicis conatibus hæc laus debetur, quod Galeniam praxin auxerint, & instruxerint pluribus ex Ægyptiorum antiquissimo usu petitis, & comprobatis. Sequebantur autem maxime tutum illud genus morbis per diætética remedia medendi, & in hunc finem ea fere tantum adhibere, quæ sunt lenissima. Ipsi sicutur debemus, quod in officinas cassia solutiva, manna, tamarindi, rhabarbarum, senna, & id genus plura lenissima, venerunt. Sed & aliqua chymica ab illis ad nos sunt propagata, quorum in Hispania primum notitiam natæti *Arnoldus Villanova*, & *Raymondus Lullus*, deinceps plurium studia, & præcipue *Theophrastum Paracelsum*, excitarunt. Mercurii vivi usus externus primum ab Arabibus est præmonstratus *Jacobo Berengario Carpenso*, a quo deinceps familiarissimus factus est.

## §. VIII.

*Paracelsus* fere fuit primus, qui medicamenta chymica nos docuit, & saluum, tam alcalinorum, quam acidorum mineralium, usum in medicinam introduxit.

## §. IX.

*Helmontium* in eo imitandum censemus, quod multifarias illas, ineptas & maximam partem effœtas veterum compositiones pharmaceuticas exagitaverit, iisque simplicium virtutes, atque vires in medendo longissime anteposuerit. Ceterum, & funestas a purgantibus validissimis illatas noxas commemorat, &, quod virus quoddam soveant, atque adeo magis fugienda sint, non sine magna ratione inculcat. Sed nec prætermittendum est, secundum ipsius experientia haud desitutam sententiam, ea, quæ sedativa, & anodynæ gaudent remedia, magnas in medendo vires possidere, quum certum sit, ex irritatione, pressione, vel rossione sensibilis, & nervosæ partis, gravissima subnasci symptomata, quæ unica dosi anodynæ mature data averti possunt.

## §. X.

*Fernelius* focum, & sedem febrium, tam putridarum, quam intermittentium, in prima corporis regione rectius posuit, earumque causam in sanguine crudo, qui in venis, quæ ad ventriculum, fecur, lie nem, pancreas, omentum abeunt, i. e. vena portæ, vehitur, hærere judicavit. Neque minus a ventriculi, & intestinorum nervis affectis, quia consentiunt cum aliis partibus exquisitius sentientibus, in intermittentibus symptomata, rigorem, horrorem, tussim sicciam, oscitationem, anxietatem, præcordiorum distensionem, nauseam ac vomitum derivavit; quam sententiam etiam *Carolus Piso* plurimis observationibus corroborat.

## §. XI.

*Mantanus*, *Crato*, *Ballonius*, *Holle riusr*, *Foesius*, *Duretus*, *Heurnius*, *Mer curialis*, *Jacotius*, *Joubertus*, inter veteres, qui Hippocratem maxime sequuti sunt, præstantissimi fuerunt medici, atque ex eorum scriptis multa salutaria monita diætica, & cautions in medendo, nec non complura, quæ ad historiam morborum

complendam pertinent, haurire possumus.  
*Scholion.*

*Montanus*, praeceptor *Cratonis*, secundissima methodo in praxi usus est, & leniora tantum evacuantia admisit, plus quoque vietu, quam medicamentis, curate annuis est, inque longis, ac difficilibus morbis medicorum, & medicamentorum copiam maxime damnavit.

### §. XII.

Nec sua laude privandi, qui, antiquorum vestigia relegentes, illustrare illud lenne, & mansuetum medeendi genus annisi sunt. Ex his *Hieronymus Mercurialis* Veterum gymnasticam medicinam ex suis rudiberis excitare coepit, & modum docere, per corporis motum voluntarium, tum roborandi corpora, tum etiam morbos certos profligandi. Ita quoque *Prosper Alpinus*, in utroque volumine de secula methodicorum, & de medicina *Egyptia*, hanc partem incomparabili industria illustravit. Ipse *Cornelius Bontkeoe*, praeceps ille potus aquarum, eo bene meruit, quod hominibus auctor fuit, ut infusa calida libenter hauriant, & medicus ex praestantissimis herbis nostratis necessaria, & efficacissima possit hac forma nunc persuadere agris, & multum boni efficere.

### §. XIII.

Ex *Glaubero*, & qui hujus vestigia preesse sequutus est, *Becchero*, in usum quoque tam pharmaceuticum, quam chymicum, multa praeclara depromere licet, siquidem *Glauberus*, quod sciam, primus fuit, qui spiritum urinosem ex sale ammoniaco elicuit, qui sal enixum, ex sale vitrioli, & communi, purgans, cuius usus hodieque in praxi est amplissimus, confidere docuit. Ex *Becchero* vero, praeter alia laudabilia, hoc unicum ad praxin sufficere potest, quod is primus, calu forte inductus, securum aloes in pilulis usum nobis monstravit, qui eo major est, quo magis aloe amaris extractis, & ballamicis temperatis resinis immiscetur.

### §. XIV.

*Botallus* venæ sectionis, saepius etiam repetitum usum, in morbis, tam acutis, quam chronicis, tam curandis, quam præservandis, mirifice laudavit, plurimisque expe-

rimentis, & observationibus nobis probavit; & *Bellinus* nobilissimum hoc remedii genus, ejusque usum, multis demonstracionibus mathematicis confirmare contendit.

### §. XV.

Ex *Sylvio* id in usum nostrum decerpere possumus, quod plurimorum morborum focum duodenum, & sic dictæ primæ viæ constituant, &, quod iis inhærentes cruditates acidæ, biliosæ, & viscidæ, multorum, maxime chronicorum morborum, & symptomatum causam foveant, & eam ob causam absorbentium, fixorum alcalium, & salium volatilium oleosorum usus, præstantissimus sit.

### §. XVI.

*Willius* plurima in morbis chronicis symptomata, mali in primis hypochondriaci, & hysterici, rectissime ex spasmo, & nervosi generis afflictione, & consensu partium derivavit, postquam nempe struturam cerebri, ac nervorum per anatum accuratius, quam antea investigarat.

### §. XVII.

*Sydenhamus* ad curandas variolas, omnesque febres acutas, temperatissimum externum regimen, nec non interna temperata, & quæ plus sedandi, quam motus excitandi facultate gaudent, repudiatis omnibus calidioribus, & alexipharmacis, egregie commendavit. In chronicis vero passionibus sublevandis chinæ chinæ, latæ, martialium, & equitationis usum amplissimum, non sine ratione, & experientia nobis proposuit.

### §. XVIII.

*Malpighius*, *Vieuensis*, & *Lancisius* ex frequenti dissectione cadaverum hoc plane, & perspicue docuerunt, quod polypose massæ, majoribus cordis, pulmonum, vel etiam uteri vasis inhærentes, subitæ mortis, multorumque insuperabilem morborum, præsertim asthmatis convulsivi, & hydropsis pectoris, necnon ascitis, frequentissimæ causæ sint.

### §. XIX.

*Ludovici* in copia, & indigesta farragine pharmaceuticorum reformanda admodum præclaram navavit operam, nobisque ostendit, quod paucis, selectis, & parabilioribus remedii, sepositis tam variis,

&

& numerosis, nec non pretiosis medicamentis, cum fructu, & commodo luculento uti possimus.

## §. XX.

*Baglivius*, genuinus *Malpighii* discipulus, in pathologicis &que, ac practicis, egregia nobis fragmenta, & experimenta hujus sommi viri tradidit, inque eo maxime laudandus est, quod in morbis explicandis, & curandis, non tam ad fluidorum, quam potius solidorum, constitutionem, labem, ac vitia respiciendum monuerit.

## §. XXI.

*Riverius* ex sagacioribus sui ævi Practicis, Galenica cum chymicis in usum vocanda recte docuit, & primus, uti ex ipsius observationibus patet, nitri puri, & camphoræ internum usum, ad graves inflammations, & hæmorrhagias vincendas, commendavit.

## §. XXII.

*Sanctorio*, fido alibi *Galeni* lectorate, & commentatore, in pereleganti de medicina statica libello, nemo rectius, & accuratius fundamenta, ac leges diæteticas nobis præscripsit, & excretionum, prætermi perspirationis necessitatem, maximamque in tuenda sanitatem, & morbis præcavendi salubritatem, plurimis experimentis staticis docuit, & confirmavit.

## §. XXIII.

Expedit, ad stabilienda fundamenta solidæ, veræ, & eclecticæ medicinæ, theoriam veram, & realem cum praxi, veteres cum recentioribus, & methodum medendi simplicioribus, & facilitioribus, Galenicam, cum validioribus, & efficacioribus chymicorum præparatis, amice conciliare, atque conjungere, multasque salutares veritates ex singulis cum iudicio haurire, postea eas in ordinem, & connexionem attenta meditatione digerere, ut doctrina medica scientiæ demum opus evadat,

*Scholion.*

Ex veterum monumentis ea, quæ experientiæ, facti, & observationis sunt, & quæ ad prognosin, prænotiones, & ad viæ rationem pertinent, quam maxime depromere debemus: ex recentioribus vero egregia anatomica, physica, chymi-

Tom. I.

ca, mechanica inventa, ad perficiendam meliorem theoriam, quæ tutæ, solidæ, & rationalis præxæ basis, atque observatio- num clavis est, accipere oportet.

## C A P U T VII.

*De fine medicinæ, & potestate medici.*

## §. I.

**E**UM in finem addiscitur ars divina, ut vita, & sanitas diu illibata servetur, ut morbos afflictiones, & quæcumque sanitatem lœdunt, quoad fieri potest, avertantur, & depellantur.

*Scholion.*

Eximia sunt, quæ *Hippocrates*, libro de flatibus §. 1. scribit: agrotantes artis beneficio a maximis malis, a morbis, a doloribus, a tristitia, a morte liberantur; omnibus enim his evidens medicina reperitur.

## §. II.

Quia tanta beneficia ab arte medica in genus humanum profluunt, ab omni tempore artium nobilissima, & Deorum inventum habita est. Et profecto medicus, qui eam recte callet, magno honore dignus, ipsius Spiritus sancti testimonio, estimari debet.

## §. III.

Is artis medicæ scopus est, ut hominem a tot, & gravibus malis liberet: ideoque medicus nullo modo nocere, nedum vitam destruere, aut sanitatem lœdere debet, utpote quum medicina non nocendi, sed juvandi sit scientia.

## §. IV.

Medicus, & consilio, & auxilio, graves afflictiones, tam a corpore, quam ab animo avertit, dissuadendo ea, quæ ullo modo nocent, causamque malorum ministrant, & suadendo cuivis corpori, & naturæ salutaria.

*Scholion.*

Non est in potestate medici cuncta pro arbitrio perficere, morbos in totum tollendo, vel vitam prolongando, & sanitatem sine molestiis conservando, quia medicus sine subdio naturæ, quæ viribus, &

B moti-

motibus salutaribus instructa, parum boni arte sua perficere potest, ideoque recte utique a Veteribus naturæ minister dicitur, quum illius motus spectare, imitari, corrigeret, & adjuvare debeat, nullo vero modo magister habendus est naturæ, eo quod vires remediorum non sunt absolutæ, sed variis relationibus naturæ, temperamenti, ætatis, corporis, aliorumque nuntiuntur.

## §. V.

Nam sicuti perpetua est proportio, inter vires causarum, & inter productum ab iis effectum, qui nunquam superior est illis: ita vires remediorum, quando non sufficient tollendo morbo, iste non curatur. Hinc sapienter *Hippocrates libro de arte §.4. Medicorum*, qui a morbis vieti sunt, eurationem non aggredi debet, cum id in confessio sit, quod medicina tales servare non possit.

## §. VI.

Facilius est morbos præcavere, quam eos curare, eo, quod præservatio consilio, dum nocitura dissuadentur, curatio vero auxilio, quod non perpetuo est in potestate medici, perficitur. Facilius quoque est morborum vehementes impetus obtundere, quam morbos in totum tollere, quia subinde morbi causa remedii effectu major est.

## §. VII.

Si medicus vitam, ac sanitatem homini arte sua tueri, & conservare vult, ac debet: necesse est, ut genuinas vias, ac sanitatis causas, & quomodo haæ remediis sustineri debeant, & remediorum, quibus succurrere potest, vires perspectas habeat.

## §. VIII.

Quandocunque medicus præmaturam mortem, & graves morbos intendit a corpore arcere, tunc utique eorum primordia, ac generationem, item veras causas, & proximas, exquisite pernoscere debet, ut quomodo tam convenienti auxilio, quam prudenti consilio, hæc mala avertera sint, judicare possit.

## §. IX.

Medicus est, aut morbos in totum tollere, aut insanabiles dumtaxat mitigare: hinc morborum veras causas, & quibus re-

mediis haæ tollenda sint, & quare alii morbi sanabiles, alii non sint, intelligere debet.

## Scholion.

Nihil in rerum natura fit sine causa, atque omnis effectus, omnis mutatio in homine, ex necessariis, & adæquatis causis proficiscitur, quibus positis, ponitur effectus, quibus remotis, & ipse removetur. Quare etiam medicus, si non cœco impetu agere, vel quicquam in negotio viæ, ac sanitatis temere moliri velit, in causis investigandis omnium mutationum, quæ sunt in corpore humano, sedulo occupatus sit necesse est.

## §. X.

Cum vero genuinas rerum cognoscere causas non cujusvis hominis, sed sapientiæ, ac scientiæ opus sit, quæ principia indubia, atque ex his claras demonstrationes & conclusiones desiderant: oportet medicum quoque, si cum demonstratione res suas gerere velit, de veris, & perspicuis principiis, quæ commode rebus medicis applicari possint, sollicitum esse.

## Scholion.

Veritatem doctrinæ recte cognoscere, est eam ex evidenteribus principiis, clara connexione demonstrare. Qui vero in disciplina quadam nihil probat, & demonstrat, is facile fallit, & fallitur, nec quicquam cum certitudine statuit, & aggreditur, sed semper hæsitantis est animi, tam paratus ad juvandum, quam ad nocendum: quod tamen ab arte salutari debet esse alienissimum.

## C A P U T VIII.

De vero demonstrandi principio  
in medicina.

## §. I.

**S**icuti methodus mathematica, quæ vere logica est, qua utuntur geometræ, in demonstrationibus ad veritates, & inventandas, & docendas, omnium est optima: ita quoque medicus, & philosophus secundum hanc demonstrationes veritatum suæ disciplinæ adornare debet. Sicuti vero geometræ ex principiis, & propositionibus

fin.

simplicibus, facilibus, ac claris, & manifestis, aptas conclusiones, & connexiones, debito ordine, ac serie efformant, & sic difficultia explicant, deducunt, ac incognita detegunt: ita etiam medicus, & philosophus in omnibus, quæ circa corpus humanum eveniunt, mutationibus, ex claris principiis veras conclusiones, & connexiones confidere, & elicere debet.

*Scholion.*

Commendamus maxime eximiis medicis cultoribus methodum mathematicam addiscendam, quæ ad veritates cognoscendas, ac detegendas aptissima, inque omnibus disciplinis maximæ utilitatis est, eo quod firmis demonstrationibus nititur, siue quibus nulla veritas intelligi, & cognosci potest: quod etiam suo jam tempore divinæ scientiæ princeps cognovit, hincque ad *Theſſalum* filium ita scribit: *ad cognoscendam geometriam, & numerorum scientiam, mi fili, multum studii adhibeto.* Non solum enim vitam tuam illūſtem, & ad multa commodam in humanarum rerum statu efficient, sed etiam animam acutiorēm & clariorēm reddient, ad omnium, quorum usus in medicina expetitur, utilitatem consequendam. Etenim geometriæ cognitio, quæ multis formis, ac varia est, & omnia cum demonstratione transigit, utilis erit, quapropter ad hujusmodi experientia facultatem pervenire sedulo stude.

*§. II.*

In omni disciplina scientifica tractanda principia ante omnia inquirenda sunt, ut cum iis subalternae causæ connectantur: ideo in medica scientia quoque ejusmodi investiganda sunt omnium subalternarum causarum, atque effectuum fontes, ex quibus omnia demonstrari, & in quæ omnia demum resolvi debent.

*§. III.*

Principium in medicina debet esse perspicuum, quod concipi, quod rebus medicis, præsertim observationibus, & morborum historiis, applicari potest, quo experientia rationalis, certa & minus fallax efficiatur, quo etiam omnia difficultia evidentur, & explicentur.

*Scholion.*

Justa demonstratione, quia res difficiles

faciles, incognitæ notæ, obscuræ perspicuae redduntur: hinc principium plane obscurum, quod nec definiri, nec concipi potest, demonstrationibus est ineptum. Ex dictis jam clare patet, quid sit sentendum de principiis veterum, videlicet calido innato, humido radicali, temperie, & intemperie quatuor humorum, de facultatibus animæ, de natura morali, ac sensu vitali interno prædicta, siue quod idem de archeo *Helmontii*, flammula, vel luce vitali. Quæ nonnisi speciosa nomina sunt, quæ nec explicari possunt, & quæ nūnil explicant, adeoque in causis, & effectibus rerum medicarum investigandis, nullius sunt: ponderis, ac momenti, & mea quidem sententia, pigrorum ingeniorum solatia, & asyla.

*§. IV.*

Principium, quo maxime medicus in cognoscendis, & indagandis veritatibus utatur, debet esse proxima causa omnium eorum, quæ existunt, & eveniunt in corpore humano, siue ad negotium vitæ, & sanitatis, siue ad morborum ortum, & causas, eorumque curationem, siue ad vitam sanam, & longam tuendam pertinent: vel etiam quatenus corporis conservationi ullo modo noxia sint, & contraria.

*§. V.*

Quia principium demonstrationum medicarum, omnium actionum, motuum, & mutationum, quæ sunt in nobis, causa esse debet, facile intelligitur, id ipsum in corpore nostro existere, & contineri debere.

*Scholion.*

Vulgaris, sed pessima, philosophandi est ratio, non ex ipsis rebus, earumque natura sapere, neque ipsas illas veras causas, quæ etiam nobis non cogitantibus operantur, & effectus suos secundum eorum vires proportionatos proferunt, investigare, sed pro lubitu fingere actionum naturalium principia, & causas, de quibus nondum constat, ac certum est, an realiter ita existant, in p. ipsorum corporum natura contineantur. Quo pertinent illa vocabula, quibus, in non mediocre artis nostræ detrimentum, adhuc plares,

loco principiorum , & causarum , & quidem nostra ætate celebres viri , uti non ventur . Cujus generis sunt naturæ bona , vel erronea directio , sensus naturæ , sensus vitalis , moralis rerum noxiarum æstimationis , & effectio motuum rationalis ad elidendam morbi causam in certo gradu , tenore agendi , item certo tempore , & ad certa loca , naturæ in negotiis vitalibus , inque curando error , ejus bona intentio , sed mala inventio , & hujus generis ad nauseam usque plura . Quæ omnia feliciter quidem fingi , sed infeliciter in corpore humano , quoad ipsam rei existentiam , inveniri , vel demonstrari possunt .

## §. VI.

Neque ad principium demonstrandi res medicas , anima rationis particeps , vel pro arbitrio agens , vis , aut alia substantia , referri debet , siquidem tali admisso principio , neque in theoria , neque in praxi medica , aliquid sciri , vel explicari potest , eo , quod concipi , vel demonstrari nequeat , quod , & quomodo res intelligens , & libere agens vires motrices rerum omnium corporearum , quæ præser-tim ad negotium vitale spectant , disponat , immutet , vel dirigat .

## Scholion.

Sicut enim distinctissima est essentia , & operatio corporis , ab essentia , & operationibus spiritus : ita spiritus sine corpore , & corpus sine spiritu , subsistit , & operatur . Et cum in universo omnia ordinatis- simae , certo numero , mensura , proportione , & certo denique fine , ac tempore , sine mente , vel spiritu rationali , fieri conspiciamus , cum non etiam sine ejusmo-di substantia intelligenti , & pro arbitrio agente , vita , sanitas , morbus , mors , sanatio , & sanitatis conservatio , a causis mere necessariis , & physicis , quarum maxi-ma , teste experientia , in hisce omnibus immutandis est potentia , contingent ? equidem non video , quamvis intellectus noster non omnes æque facile assequatur vel demonstrare valeat .

## §. VII.

Neque ad explicandas res medicas indi-gemus principio quodam sensitivo , quod noxias vel causas nocentes prævideat , per-

cipiat & motus ad noxiū emoliendum dirigat . Nam ubi solo motu , qui est ope-ratio corporum , quippiam explicari pot-est , non opus est , ut peculiarem sensum , sive perceptionem in auxilium vocemus ; siquidem aliud est motus , aliud motum perceptio , deinde etiam ad certas leges & regulas motus fiunt , quæ in perceptionibus neutiquam observantur .

## §. VIII.

Medicus , in reddendis effectuum cau-sis & conficiendis demonstrationibus , con-tentus sit , si causas proximas effectus , & phænomenorum invenerit , quibus positis , ponantur , & quibus remotis , ipsa quoque removeantur ; quandoquidem in rebus contingentibus causarum progressio fit in infinitum .

## Scholion.

Nam una causa semper est effectus alterius causæ , & ita porro . Quantumvis vero has omnes , & earum progressum igno-remus , tamen ad artem & scientiam latiss erit , causas adæquatas , & proximas effec-tuum investigasse . Ut rem clariorem faciamus exemplo , vegetationis , & fœcun-ditatis in plantis causæ sunt temperate calidum cœlum , humidum subtile , propor-tionatum , ut est aqua pluvialis , & solum leve , probe identidem temperatum , quibus praesentibus arbor fert optimos fructus , his autem remotis , exoptata illa fœcunditas perit . Hæ causæ sufficiunt pro plantarum vegetatione : neque enim amplius refert seire , unde temperatus ille calor , quæ aquæ pluvialis origo , qualis ejus natura & essentia , quænam sit causa hu-jus essentiæ , & quæ porro quæri de his possent .

## §. IX.

Sicut nullius corporis , & omnium ma-xime humani , productio , conservatio , auctio , vel etiam destrutio , corruptio , imminatio aut reparatio , sine motu fieri nequit : ita quoque vita , sanitas , morbo-rum productio , eorundem curatio , mortis quoque genesis , sine motu , nec fit , neque intelligi potest . Itaque horum om-nium causa proxima debet esse motus , qui principium est physicum , atque mecha-nicum & que ac medicum .

## Schol.

## Scholion.

Equidem novi odiosum esse quibusdam mechanics vocabulum in medicina, & causas has reddi, quod non omnia, quæ in corpore nostro sunt, ex causis necessariis corporis proveniant: deinde quia motus sit res incorporea, adeoque a corpore non derivanda: tandem quod scientia mechanica tantummodo rerum mobilium, & dispositionis corporum ad motum scientia sit. His pauca reponimus: nos scilicet ultra largimur, mentem, & quod in nobis sentit, ac percipit, res non esse corporeas, sed quodammodo, ex lege unionis, quia partes sunt hominis, motus vitales conservatorios afficere, vel potius turbare, manifesto affectuum animi, & phantasie testimonio; ex hoc tamen non consequitur, nullas mechanicas causas alias dari in corpore. Et ut phantasia non sit res corporalia, non tamen sine mechanicis causis, quales sunt partium fluidarum, & solidarum debita dispositio, & conformatio, agere potest. Omnes quoque effectus, quos anima præter naturam producit in corpore, sunt non alii, quam mechanici, siquidem a vehementi terrore spastice extimæ partes constringuntur, sanguis ad interiora pellitur, & versus cor, ac pulmones stagnans, ingentes anxietates, & palpitationes efficit, adversus quos pravos effectus, si eos removere velit medicus, vix aliud agere potest, quam ut mechanice, remedii convenientibus, stagnantem sanguinem discutiat, & versus ambitum corporis eundem propellat. Quod vero maximum est, ipse varius motus sanguinis, & remedia ac alimenta, ipsam mentem, & animam afficere, eamque vel sapientiorem, vel dementiorem reddere, valent. Pulchra sunt, quæ hac de re prodidit *Hippocrates Lib. I. de dieta §. 34.* melior redditur anima rectæ dietæ usi. & pejor prava. Et in fine hujus §. Si sanum fuerit corpus, & non ab aliquo alio perturbetur, animi temperamentum sapiens existit. Quod vero in corpore animalium vita, ac sanitas, non fecus, ac mors, & morbus, a causis etiam pure corporeis mechanicis dependeant, vel ex eo unico liquidissime conficitur, quod alimentis & elementis vivamus, & moveamur, viresq;

Tom. I.

accipiamus, iis vero detractis, omnis vis & agilitas corporis pereat, & mors in propinquuo sit: item, quod convenienti, & recto aeris, alimentorum, rerumque non naturalium usu, diu illibata valetudine frui possimus, quæ minus provido horum usu, protinus sic labefactatur, ut morborum, imo brevioris vitæ, & mortis origo ac causa inde nascatur. Neque etiam ulius ponderis, eorum, qui mechanica disciplinæ medicorum adversantur, erit ratio, quod mechanica mobilitatis, non vero motuum, sit scientia, & motus potius res sit incorporea. Enim vero, cui obscurum amplius esse poterit, mechanicam minime tantum pro objecto habere machinas, sed potius in eo esse occupatam, ut vires motrices, quæ cum massa corporea cohaerent, in mutua actione, atque reactione observet, atque mensuret, & ita immutabiles motuum leges, tam in elasticis solidis, quam fluidis corporibus condat, quæ ad effectus naturæ alios explicando magno usui sint. Postremo vero absconum erit dicere, motum rem incorpoream esse, cum motus non res ipsa sit, sed mutationem rei, sive mutatio status corporum.

## §. X.

Principium itaque, seu causa prima, & proxima omnium actionum in corpore humano, erit motus: is vero cum varius in natura sit, plenus omnino, & exactius ejus speciem determinare juvabit.

## §. XI.

Motus itaque, quo omne, quicquid sit, & evenit in corpore nostro, perficitur, & quo etiam medicus in demonstrando uti debet, nullus alius est, quam contractio & expansio, sive, secundum Græcos, systole, ac diastole fibrarum nervearum, & musculosarum, & quæ ex his contexti sunt, cordis, atque arteriarum, omniumque ductuum, cujus beneficio omnis generis fluida, per innumerabiles, & varios canales, in orbem moventur, atque utilia seernantur, usuique asservantur, inutilia autem secreta excernuntur.

## Scholion.

Vix ulla datur simplicior motus species, quam contractio, & dilatatio; hæc ipsa tamen est causa unica, quæ omnes vitales

motus tuetur, quæ totum corpus a putredine vindicat, quæ universum secretionis, & excretionis negotium moderatur, hac salva, & recte sese habente, omnes functiones, omnis vigor, tam animi, quam corporis, recte sese habent, haclæſa, vel turbata, omnia præter naturæ ordinem & morbi fiunt, eademque deſtructa, mors fit. Circulus itaque ſanguinis eſt primum & præcipuum fundamentum, ſeu principium, ex quo, tanquam ex fonte, ea, quæ fiunt in corpore noſtro, explicatæ, & diſſicilia per omnes medicinæ partes enodare, obſcura perſpicua reddere, & veras curandi rationes, ac vias derivare, ac invenire, propitio Numine, in hoc opere conſtituimus.

## §. XII.

Circulus hic ſanguinis eſt cauſa vitæ. Nam quamdiu ſanguis, & humores, per ductus, & canales corporis noſtri in orbe moventur, tamdiu corpus dicitur vi- vere. Si vero ſanguinis circuitus penitus deſinit, atque extinguitur, mors adeſt. Si ſanguinis circuitus liber, moderatus & aquabilis eſt, corpus ſanum, atque vegetum eſt: in omni vero morbo idem circuitus, vel immo deratus, vel inæqualis, aut impeditus, exiſtit. Et morbiſicæ cauſæ non aliter ſuam exercent operationem, quam quod œconomiam motuum vitalium turbant, atque ſecretiones, excretionesque pervertunt. Morbi quidem acuti ſtati ſanguinis, chronici vero ejus stagnatione, atque viſcerum, & emunctoriorum obſtru- ctione, continentur. Neque medicus in præſervando aliud intendere debet, quam ut per convenientia remedia, & quam ma- xime prudens rerum non naturalium regi- men, ſtales, stagnationes, & obſtruc- tiones impediendo, liberum ſanguini, & humoribus motum, per universam corporis compagem vaſculosam, præſeret. Neque aliud in ſanandis morbis querere debet me- dicus, quam, ut cauſas morbiſicas, ea- rumque noxios effectus per congrua reme- dia removendo, liberum ſanguinis motum, atque circuitum reſtituat.

## §. XIII.

Uut progressivus per innumerabiles va- forum myriades ſanguinis, & humorum abiens motus, cum ſecretionibus, & excretionibus, immediata, & proxima omniū, quæ in corpore humano eveniunt actionum, & functionum, cauſa ſit; ni- hilominus tamen, quia progreſſio omnis generis fluidorum, non modo in cordis muſculo, & arteriis, ſed & in omnibus tu- bulis ſecretoriis, & excretoriis nervoſo- muſcularibus, beneficio reciprocæ contra- ctionis, & dilatationis, perficitur, hec autem ab influxu liquidi ſpirituosi, arte- rioli, & nervoſi convenientiſt, quam fa- cile patet, omnia ea, quæ motum hunc ſolidorum ulla ratione turbandi, perver- tendi, vel deſtruendi facultate pollent, genuinas morborum cauſas subministrare.

## §. XIV.

Certa, indubia, ac constanti experientia confirmata regula, ſeu lex motus micro- colmici eſt: quod omnia, quæ nervoſas partes ullo modo, vel lancinando, arro- dendo, irritando, aut diſtendendo, vel conſtrinendo, lədunt, & violenter affi- ciunt, universam motuum vitalium œco- nomiam perturbare, & pervertere poſſint.

## §. XV.

Certa pariter, & immutabilis lex motus microcolmici eſt: motum violentum, præter naturam in parte quadam nervoſa concitatum, quam maxime cum vicinis, & connexis nervoſis partibus, immo quandoque cum toto ſystemate nervorum, & nervoſarum partium, communicari, quod veteres conſenſum partium appellauint.

## Scholion.

Accuratioñ notitia conſenſus, quem partes nervoſæ inter ſe alunt, in patholo- gicis, & therapeuticis ſumma eſt utilita- tis. Nam plurimerum ſympotatum ra- tio inde clare peti potheſt, & erui, eamque in rem legi meretur, præter ea, quæ nos in tom. 3. med. ſyſtemat. ſect. 1. cap. 5. attuli- muſ, doctiſſiſmuſ cl. Regæ de ſympathia corporis humani traſtatuſ.

PHILOSOPHIÆ  
CORPORIS HUMANI  
VIVI ET SANI  
LIBER PRIMUS.

SECTIO I.

*De vita, ejus causis, & motibus vitalibus, sanguinisque, & humorum circulo.*

CAPUT PRIMUM.

*De artificio in structura humani corporis.*

§. I.

**V**itam, mortem, sanitatem, morborum sanationem, & horum omnium causas, in corpore humano constire, & perfici, extra dubium positum est: quare medicus, ad meliorem horum intelligentiam, corporis humani naturam plenius, atque exactius cognoscere debet.

*Scholion.*

Scitissime Hippocrates libr. de loc. in homine §. 4. pronunciat: *naturam corporis humani omnis sermonis, & rationicationis in medicina esse principium.* Hic gravis auctor in morborum curatione, naturarum differentiam, robustæ ac imbecillæ sint, & quomodo fœse ad has, vel illas res externas, item medicamenta habeant, passim & sedulo in monumentis suis inculcat. Quia vero accuratiorem corporis humani cognitionem ob ingentem anatomes, & veræ scientiæ physicæ id temporis defectum, non habuit: proinde quoque de natura, quatenus illa sanitatis, & morborum productrix, eorundemque medicatrix est, ex omni parte, ac numero rectissime, & præclarissime sentire, ac differere non potuit.

§. II.

Homo rectius definitur, quod sit mens, sive substantia intelligens, & libere agens, unita cum corpore organico, artificiosissime constructo, vivo.

*Scholion.*

Essentia humanæ naturæ in eo potissimum consistit, quod ex duplice substantia, una immortali, quæ rationis, & libertatis agendi, item conscientiæ capax est, ac spiritus appellatur; altera corruptibili, & destructibili corpore, scilicet, sit coalitus: & quamdiu haec unio, utriusque principii, inter se distinctissimi, perdurat, tamdiu homo dicitur, simul ac vero haec unio perit, spiritus abit ad altiora, corpus autem cadaver evadit.

§. III.

Neque vero mens est subjectum medicinæ, quia est naturæ indivisibilis, & immutabilis, adeoque in eam directe medicina non ullam habet potestatem; sed subjectum medicinæ est vivum corpus, quod mentis tantisper instrumentum est, ejusque operationibus interfit.

§. IV.

Corpus humanum dupli modo a medico considerandum venit, primo quatenus est mixtum, deinde quatenus est structum.

§. V.

Totum corpus nostrum ex summe corruptibili materiam mixtum est.

## §. VI.

Materia corruptibilis constat ex partibus diversæ indolis, minus coherentibus, sed facile a se invicem secedentibus.

## Scholion.

Corruptio recte opponitur durationi, quæ in unione partium, mixtum constituentium, consistit. Tamdiu enim corpus durat, quamdiu unio partium, quæ corpus constituant, salva, as integra permanet: simul ac vero hæc dissolvitur, partesque a se invicem secedunt, ac separantur, protinus tota textura, & forma corporis mutatur, atque in animantibus corruptio ingruit. Praelare hinc Hippocrates lib. I. de diæta §. 6. inquit: generari idem est, quod commisceri: perire, corrumpi, ac minui, idem est, quod secerni.

## §. VII.

Corpus humanum, quia ex materia admodum differenti, & minus coherenti, & hinc facile disjungibilis indolis, aqua nempe, pingui & inflammabili, item terra solubili, sive salina, & fixiori insolubili, constat; ideo celerrimæ corruptioni obnoxium est.

## Scholion.

Experientia quotidiana edocemur, nulla corpora tam subito in secedam, & putridam corruptionem ruere, quam animantium ipsiusque hominis, sub humido praesertim & calido cœlo. Quum vero corpus nostrum tam corruptibilis sit naturæ, mirandum non immerito est, quare, si vita adest, tamdiu duret, & immune a corruptione praestetur. Quia tamen nihil sit sine causa, hinc medico maxime incumbit, hanc ipsam perscrutari; siquidem universi medici studii cardo in eo potissimum vertitur, ut corpus diutissime maneat vivum, & a corruptione vindicetur. Oportet itaque scire causas, quare corpus humanum in se tam corruptibile, a corruptione tamdiu immune praestetur, quibus cognitis, postea facilius est vitam diutius conservare, ac tristissimam mortem avertere.

## §. VIII.

Est quoque corpus humanum ratione strata a medico spectandum, quæ est longe artificiosissima, ad ordinatos motus producendos comparata, & hoc respectu rectissime dicitur *machina*.

## §. IX.

Machina est corpus, ex variis partibus, singulæ artificiis ingenio inter se unitis, constructum, eo consilio, ut certos, ac ordinatos motus producat.

## Scholion.

Operationes quas machinæ edunt consistunt in motibus, qui ex structura, situ, cohaesione, varia figuræ, & magnitudinis partium, secundum immutabiles leges, consequuntur, & structuræ sunt perpetuo convenientes sunt. Artificium vero illud structuraræ, sive ingeniosa partium unio, & coordinatio, ad motum producendum disposita & apta, & recentiorib. dici solet mechanismus.

## §. X.

Id machinarum, & mechanismi præcipuum est requisitum, ut partes inter se juncte coherant, atque connexæ sint, ita prorsus, ut vitium unam partem afficiens, & cohaesione turbans, celeras statim omnes partes in consensem trahat, & inde regulares machinæ motus pervertantur.

## Scholion.

Clarissime id pater in machinis arte humana fabrefactis, ut horologiis, molendinis, ubi vitium unam partem afficiens, & cohaesione turbans, celeras statim omnes partes in consensem trahat, & inde regulares machinæ motus pervertantur.

## §. XI.

In corpore humano ita sunt inter se partes solidæ unitæ, ac coordinatae, ut hujus vel alterius notabilis lesio, hanc cum omnibus reliquis statim communicet, indeq; motus regulares turbentur, & inordinati fiant.

## Scholion.

Praelare Hippocrates L. de locis in homine §. 3. hanc in rem scribit: Si quis minimam corporis partem male afficeret velit, totum corpus affectionem sentiet, qualisunque tandem ea fuerit, propterea quod minima corporis pars omnia habet, quæcumque & maxima.

## §. XII.

Machina quævis id habet, ut ex diversæ naturæ partibus mobilibus, moventibus, ac instrumentis motuum composita sit, si quidem hac omnia ad producendos motus necessaria sunt.

## §. XIII.

Constat machina corporis humani ex partibus solidis, ac fluidis.

## §. XIV.

## §. XIV.

Solidæ sunt duræ & renitentes, quarum nonnullæ continent & vehunt liquida, ut sunt omnis generis canales & cavitates: aliae sunt motus instrumenta, ut musculi, & ex tunicis muscularis & nerveis contextæ partes; quedam continuo moventur, & non quiescent, ut cor & arteriæ, quedam firmamentum toti machinæ præbent, ut sunt ossa, cartilaginiæ, ligamenta.

## §. XV.

Fluida corporis nostri duplicitis generis sunt; alia sunt crassiora, quæ sensibus patent, ut sanguis, chylus, lymphæ, & quæcunque lecernuntur & excernuntur, & hæc omnia per tubos magis obvios, & ampliores circumvehuntur; alia sunt subtiliora, agiliora, & maxima vi ac potentia motus instruota, quæ ab Hippocrate impetum facientia, & a veteribus, quos natura tenuissimorum corporum lauit, spiritus vocari solent, eo, quod hæc tenuiora fluida motum præstant ac impetum faciant in solidis, atque adeo fluidorum cursum regant ac moderentur.

## §. XVI.

Fluida tenuiora, quæ impetum faciunt, & motum machinæ præstant, sunt nihil aliud, quam subtilissima & agilißima pars optimi sanguinis & lymphæ, quæ non tantum ex alimentis, sed & ex puriori aeris ac ætheris & ignis solaris parte, magna potentia elæstica agente, originem habet.

## Scholion.

Quantumvis propter summam tenuitatem suam spirituosa hæc partes sensus fugiant, ex effectibus tamen earum origo & efficacia cognoscitur: siquidem certum est, bono & laudabili nutrimento, aere quoque sereno ac temperato, vires egregie retici, cum ex alimento pravo, intemperato, vesaere vitiose, insinuantur ac labefactentur, adeo, ut ex aliumenti, vel aeris plenario defectu, omnes vires cum vita penitus extinguantur.

## §. XVII.

Est structura corporis humani maxime hydraulica, cum tota fere ejus compages vasculata sit, sive ex innumeris diversæ magnitudinis, & stupenda exiguitatis, & angustiæ tubis conflata, per quos

variæ generis fluida jugi, & perenni motu circumvehuntur, vel secernuntur.

## Scholion.

Recentiorum anatomicorum inventis id maxime debemus, compagem ferme omnium viscerum, ut lienis, hepatis, renum, neque minus emundiorum, glandularum, testium quoque, & ipsius cerebri corticalis substantiæ, item placenta utrinæ, in totum canaliculosam esse, & quod nulla corporis pars vel membrana sit, quæ non tubulis, per quos fluida feruntur, minimis sit instructa. Et hæc maxima angustia vasorum in pathologia & praxi medica magna est considerationis; siquidem ob hanc tot frequentes stases, stagnationes, & obstructiones sunt secundæ morborum matricæ.

## §. XVIII.

Quemadmodum in machina hydraulica fluida impulsu ac pressione per variæ generis tubos pelluntur, ac motu agitantur; ita quoque corpus nostrum, præter tot & tam inumerabiles variæ generis & magnitudinis tubos, & diversa indolis fluida, etiam fibris, potentis motricibus instructis, quæ quasi vectes ac elateres sunt, gaudet, quarum motu constrictorio & dilatatorio liquida indesinenter propellantur.

## Scholion.

Princeps & præcipua vis motrix est in corde, deinde in arteriis, quarum motus in perpetua coarctatione, & expansione consistit, ut liquida & impellantur, & recipiantur. Præterea omnes ductus atque canales, qui liquida diversæ generis vehunt, tandem etiam omnes partes, tam moleculose, quam membranaceæ, ex fibris elæsticis conflatae sunt, quibus potentia dilatandi se & contrahendi inest.

## §. XIX.

Quemadmodum mechanicus, quando construit machinam, semper sibi præfixus habet certum finem: sic Dei insinuata sapientia voluit, ut machina tam artificiose instrumentum ac domicilium esset spiritus, sive substantiæ ad imaginem Dei conditæ.

## §. XX.

Quia vero ex materia valde flexibili, lega-

dissolubili, adeoque corruptibili, universa corporis compages constat: hinc utique primus & principalis structuræ scopus & ratio fuit corporis duratio, sive ejus a corruptiva putredine præservatio, & hic scopus merito vitalis dicitur, & quam maxime considerationis medicæ est.

## §. XXI.

Firma edocemur observatione, corpora liquida diversæ indolis in putredinem admodum prona esse, solida vero, & dura nequitam.

## Scholion.

Nam quia corruptio est dissolutio unionis partium mixtum constituentium, qua se invicem separantur; humida vero ad disjunctionem partium, dum poros invadunt eosque relaxant, plurimum faciunt, proinde liquido appetet, duras & exsucas partes ab ejusmodi corruptiva celeri solutione esse immunes, liquida vero, quo plus ex diversæ indolis partibus constant, eo ad corruptionem existere proniora, cujus generis sunt sanguis & animantium reliqui succi.

## §. XXII.

Constat certa & firma experientia, humida quiete ad putredinem maxime disponi, motu vero continuo, tam intestino, quam locali, ab ea libera permanere.

## Scholion.

Etenim, quia in putredine secessio & separatio fit partium inter se valde dissimilium, hæc vero sub quiete peropportune perficitur, qua crassiores, fixiores & graviores coeunt, subtiliores vero, & fluidæ avolant: ex eo facile sequitur, motum optime corpora a putredine defendere, quia hoc ipso partes, utut dissimilis indolis, inter se arctius ac intime uniuntur, miscentur, atque combinantur.

## §. XXIII.

Mirabilis itaque structuræ animantium ratio in eo consistit, ut partes fluidæ jugi & perenni motu ac libero cursu agitantur, inque orbem moveantur.

## §. XXIV.

Temperatis quoque succis & moderato corum motu opus est, ut animantia nutritantur, augeantur. Atque adeo temperies vita ac sanitati est accommodatissi-

ma: nam sub intemperie humorum & motuum, nutritionem, vitam, ac sanitatem diu persistere non posse, animadvertemus.

## §. XXV.

Cum vero continua & intestina agitatio & motu attritivo, humores temperata & blanda indole gaudentes, successive intemperati, falsi, impuri, adeoque servationi vitali corporis minus idonei redundantur: ideo, ne perniciem inferant corpori, hi ipsi eliminandi sunt.

## Scholion.

Quæ cum ita sint, jam facile peti potest ratio, quare tot colatoria & emunctoria, pro alienis diversæ naturæ particulis & separandis, & evehendis, a sapienti architecto constructa conspiciantur, & cur sine excretionibus vita ac sanitas diu salva esse nequeat.

## §. XXVI.

Tota humorum massa contusuo motu in excrementa successive fatiscit; hinc utique opus est, ut benigni, insipidi, tempeste gaudentes succi, ut sunt lactei & gelatinoli, in eorum locum rursus succedant.

## Scholion.

Vita & conservatio corporis non modo continuis egestionibus, sed & perpetuis ingestionibus opus habet. Et quum humorum massa benignis succis subinde renovanda sit: ideo in hunc finem divina sapientia tot officinis & organis pro alimentorum digestione, dissolutione & bonorum succorum præparatione, animantium corporibus prospexit.

## §. XXVII.

Corporis itaque nostri, in se summe corruptibilis, duratio & conservatio perpetuis in circulum abeuntibus liquidorum motibus, neque minus inutilium excretionibus & utilium ingestionibus, & appositionibus, optime, immo unice, impetratur atque absolvitur.

## Scholion.

Ex hisce jam perenda venit ratio, quare, circulo sanguinis, vel in parte, vel in toto corpore, destructo, cesset vita & presto pede corruptio sequatur, & quare inge-

ingestionibus & egestionibus non recte se habentibus, vita & sanitas periclitetur, & morbosæ affectiones corpus invadant.

## §. XXVIII.

Machina itaque corporis nostri admodum corruptibilis, solo artificio mechanico, sive motuum coordinatione, qua instructa ipsa est, a presentaneo interit, & corruptione optime vindicatur.

## Scholion.

Hoc præstantissimum naturæ, quo utitur in conservando corpore, mysterium & artificium, cognoscere utique debet medicus, & hoc est, quod veteres nature nomine insigniverunt, cui tam mirabiles in vita tuenda & morbis sanandis vires adscriperunt, cujus ductum, vias, ac motum, ut sequatur & imitetur medicus, passim in monumentis suis magna cum sedulitate inculcarunt.

## §. XXIX.

Corpus nostrum quia est machina, hinc ejus partes mirifice inter se conspirant & consentiunt, & hujus consensus, quo partes, tam fluidæ, quam solidæ, inter se communicant, plenior cognitio medico in praxi & pathologicis scitu summe est necessaria.

## Scholion.

Consensum partium cum describere vult Hippocrates lib. de aliment. ita loquitur; confluxus unus, conspiratio una, consensientia omnia.

## §. XXX.

Consensio, quæ inter partes mutua intercedit, quam maxime consiliit in communicatione motuum.

## Scholion.

Quemadmodum in machina, cujus effectus sunt motus, vitium parti illatum, ludit ejus motum, eumque cum aliis sibi connexis communicat: siad dissimili ratione in corpore humano, lœsio partis cuiusdam notabilis, aliarum sibi connexarum motum statim quoque interturbat.

## §. XXXI.

Est primo magna consensio motus fluidorum sanguinisque circuli in partibus,

## Scholion.

Ita videmus vasis cuiusdam majoris in corde orificio a polypo concreto obturato, omnes corporis partes, & functione sua, & vita privari. Auricula dextera, omniam ibi sanguinis congestionem vehementius expandit, ejus contractio minuitur, hinc tam animi, quam corporis vis incipit deficere. Deinceps quandocunque in certa corporis parte, v. g. in pulmone, vehementi vocis exercitio, in manibus per harum fortiorem agitationem, aut in pedibus, facta ibi diuturniori frictione, sanguinis progressio acceleratur, tunc universa sanguinis & humorum massa incalescere incipit, a motu, & circulo intensiori facto. Quando exigua sanguinis pars, in tenuissimis vasibus immota hæret, universum inde corpus graviter lauit, siquidem non modo pars affecta tumet, rubet, dolet, sed & febris accenditur cum siti & vigilia. Sanguinis in hepate aut liene stagnatio, universi corporis functionibus turbandis idonea est, quandoquidem inde non modo digestio & alvi excretionis vitium contrahit, sed & intestina cum ventriculo & partibus annexis, vehementer spasmis & flatibus excentur, qui morbus vulgo mali hypochondriaci nomine insignitur.

## §. XXXII.

Mirabilis quoque est consensio & mutua communicatio partium, quæ exquisitiiori motu ac sensu gaudent, ut sunt nervosæ ac membranosæ.

## Scholion.

Ex omnibus partibus nulla maiorem communicationem cum capite & universo nervorum genere habet, quam ventriculus ac intestina. Nam is flatibus vehementer distensus, ut fieri solet in affectione, quæ dicitur hypochondriaca, maximas in præcordiis anxietates, in spirando angustias, in functionibus animalibus turbationes concitat. Exigua partis ventriculi vel intestinorum a veneno erosio tantum vallet, ut summa anxietas & continuus vomendi conatus, convulsiones, sudores frigidi, vehementes nervorum spasmi, animi deliquia, fatalem catastrophen non raro inducant. Similiter vel levis tantum lan-

Lancinatio a lombrico in intestinis, quas non convulsiones & artuum stupendas agitations horrendo spectaculo excitare vallet? In infantibus sola distensio, & lancinatio gingivalis carnis ab erupcio dente, complures interficit, non alia ratione, quam quod exinde febres, deliria, convulsiones, tormina, asthmata consequuntur. Levissima, in exstinctione clavi pedum, aut in male administrata venæctione tendinis, aut nervi puncio, funestam inflammationem cum febre ac delirio haud adeo raro induxit visa est.

### §. XXXIII.

Magna quoque in corpore nostro est consensio inter systema nervorum, & fluidorum progressum ac circulum, ita prorsus, ut laesia vel male affectis nervis, libera sanguinis & humorum progressio inde vitium trahat, quemadmodum etiam in circuitu humorum apparet labes, protinus nervosarum partium statum, & actionem perturbat.

### Scholion.

Hæc mutua consensio & conspiratio sanguinis circuit in vasis, & fluidi tenuissimi in nervis, in pathologicis ad morborum, & symptomatum generationem intelligentiam maximi est usus, atque considerationis. Animadvertisimus enim, sanguine in viscere vel vasum partium stagnante, aut immobili redito, protinus genus nervosum præter naturam affici & spasmodice costrahi, ut exinde dolores, febres, hæmorrhagiae, excretionum suppressiones, ciboriantur. Animadvertisimus quoque, a nimia distensione, vel lancinatione, aut erosione partium nervosarum, protinus pulsus mutari, vascula minima constringi, comprimi, hinc sanguinis libero ac equabilis cursu intercepto, inflammatoria & periculose stases, vel copiosioris sanguinis ad alias partes, & vascula ampliora morbosæ congestiones, emergunt.

### §. XXXIV.

Datur adhuc longe nobilior & sublimior harmonia atque consensio inter oeconomicam motuum vitalium, & animalium, ita prorsus, ut vitium in circulo sanguinis conspicuum, protinus animales functiones alteret, sicut rursus depravata phantasia,

universi corporis functiones vitiare potest.

### Scholion.

Hæc veritas innumeris exemplis confirmari posset, sed pauca tantum adduxisse sufficerit. Quiescente cordis motu, anima protinus in operationibus suis cessat, & omnis sapientia ac cogitatio expirat. Moderatus sanguinis per cerebrum motus animi & ingenii vires in vigore conservat, simul ac vero hic motus turbatur, ut vel retardetur, vel æquo celerior fiat, statim ad inordinatos motus & rationis alienationes etiam anima disponitur. Ex eodem fluit fundamento, quod animi mores ac propensiones sequantur corporis temperamentum, sive rectius sanguinis motum per cerebrum. Vinum, vel aliud quodvis assumentum, quod sanguini motum ac viorem addit, ingenii quoque vim acvere & excitare solet. Medicamentum, quod graveolenti vapore succos contaminat, ut et narcoticum, omnem rationis, ingenii, memoriae, & sensus vim minuit, & quandoque enecat. Quantam vim perversa phantasia, & impressio in partium motibus alterrandis possidet, & vehementes animi affectus, & melancholicorum perversa phantasia, aliaque prava desideria & aversiones luculenter testantur.

### §. XXXV.

Ex quibus omnibus elicetur, rectissime corpus nostrum machinam omnium perfectissimam appellari, eo, quod infinitam DEI artem pro auctore agnoscit, quam nulla humana ratio imitari poterit & quod perfectissimæ regule ac leges hydraulicæ, staticæ, opticae, hydrostaticæ, mechanicae ibi reperiuntur, & inde addisci possunt, denique, quod tam mirabiles effectus & conspirationes mutuæ partium in humana machina conspicuntur, que omnia longissime quamcunque excellentissimam ulius hominis artem exsuperant.

### Scholion.

Ex quo jam facile liquet, perperam eos judicare, qui pro crimine habent, corpus nostrum machinam vocare, dum sibi persuadent, machinas tantum esse artis humanæ opera. Quasi vero intellectus humani imbecillitas regula & norma divini &

sapientissimi artificii esse debeat. Quapropter & desinant obtrestarte ii, qui non erubescunt afferere, ejusmodi doctrinas saniora medicinæ principia labefactare. Sed aliud est dicere, aliud probare.

### §. XXXVI.

Infinitæ licet sapientiæ machina corpus humanum sit; nihilominus ratione materiaæ est summe corruptibilis, & ratione structuræ & nexus partium est mutabilis valde & tandem destructibilis, id est, facile integritate, mobilitate, ac denique vita privari potest.

### §. XXXVII.

Ut ut homo purissimo aere ac temperatissimo & corpori congruo alimento fratur, & secundum saluberrimæ dietæ præcepta vitæ rationem instituat, ipsi tam en est moriendum: ergo causa absolute moriendi necessitatis non tam in fluidis, quam potius in solidis partibus quærenda est.

### §. XXXVIII.

Experiencia constat, animantia, quo annosiora sunt, eo duriores & compactiores solidas illorum/partes fieri. Hinc quoque carnes vetustiores diuturniori coctione egent, & cartilaginiæ in decrepitis in ossa transiunt, hæc vero solidiora in vetustis, quam juvenibus offenduntur.

#### Scholion.

Quum siccitas & durities ab appositione materiæ majori, quæ minimos poros & ductus replet, fiat; facile apparet, per hos fluida amplius ferri non possit, & tenuissima vascula evanescere, id quod etiam in emundatoriis & secretoriis organis, quæ ex copia minimorum ductulorum coagmentata sunt, evenit. Quare in senibus, ob vasorum angustiam & minimorum plenariam occlusionem, succi utilissimi, lympha nutritia, fluidum nerveum, non tam prompte & in tanta copia secernuntur, in que partes influunt, sed & inutiles, quæ retentæ sanguinem impurum reddunt, non recte separantur; hinc non mirum est, in nutrante & extrema astate, nutritionem partium solidarum deficere, vires quoque & potentiam movendi, item animi vigorem, corporisque agilitatem cum calore decrescere, & succos vasorum val-

de impuros fieri, ut senectus ipsa morbus evadat, & mors certo nec tardo pede, subsequatur.

### §. XXXIX.

Ob viarum angustiam & partium solidarum majorem duritiem, nec bene humoræ amplius influunt, nec satis promere effluunt, unde consequitur, nec machinam amplius functionibus recte obeundis aptam esse, sed cum tempore eam magis magisque reddi ad motus edendos ineptam, plane tandem faticere.

#### Scholion.

Ductuum & vasorum tenuitas & angustia, ad nutritionis negotium, ad secretiones liquidorum subtilium utilissimum, tum inutilium, est summe necessaria: nihilo secius hæc vasculorum angustia & subtilitas causa quoque est destructionis machine; siquidem ob hanc causam tam facile sunt stases, stagnationes, obstructiones secundissimæ morborum, & acutorum, & chronicorum matrices, hinc tandem machine perit vigor ac mors subsequitur. Conspicimus ex eo, longævitatis & præservandi a morbis præsertim chronicis fundamentum in eo potissimum residere, ut medicus tenuissima vasa aperata servet.

### §. XL.

Mutationem, corruptionem & destructionem, in quam corpus humanum facillime ruit, avertere, & ejus vitam diutius conservare, medici est præcipuum officium; unde omnino is, in quo virtus ratio & causa posita sit, exactius nosse debet.

## C A P U T I I.

### De vitæ ac mortis natura, & causis.

#### §. I.

**Q**uartvis in corpore humano omnes partes solidæ, ratione structuræ, integræ ac salva sint, & fluida quoque benigna temperie ac iusta quantitate consistent; nihilominus ubi horum motus progressivus deficit, nec calor, nec agilitas, neque nutritio, neque sensus, multo mai-

nus cogitatio observantur. Simul ac vero fluida incipiunt rursus moveri & circumvehi, protinus hæc omnia & singula redeunt, & tunc dicitur adesse vita.

## §. II.

Vita itaque rectius definitur, quod sit motus progressivus, in circulum abiens sanguinis atque humorum, ab impulsu cordis & arteriarum, necnon ab elatere fibrarum proficiscens, secretionibus atque excretionibus totum corpus a corruptione atque in integritate conservans, ejusque functiones gubernans.

## §. III.

Vita non accurate per conservationem mixta a putredine definitur.

## Scholion.

Quanquam vita perpetuo conservationem corruptibilis corporis comitem habet, dum quasi ejus effectus est; ex eo tamen minime consequitur, hanc conservationem & durationem corporis vitam esse dicendam, eo quod animantium corpora, vita diu iam privata, a putredine immunita solo intenso frigore, aut spirituoso liquore servari possunt.

## §. IV.

Neque vero omnis motus fluidorum in machinis dici potest vita, sed is tantum, qui fit a cordis reciproca systole & diastro, & ubi fluida in orbem mota incalefunt.

## Scholion.

Quanquam in plantis, quæ crescunt, motus succorum animadvertisit, nequit tamen vitam ipsis competere recte dicitur, eo, quod carent corde & sanguine calido ac purpureo. Quia de causa vegetabilia non proprie vivere, sed crescere, nec mori, sed exarescere, dicuntur.

## §. V.

Quamdiu in homine vel alio animante motus cordis & arteriarum sive pulsus observatur, tamdiu dicitur adesse vita.

## Scholion.

Nam quandocunque cor quiescit, ut in syncope, nec sanguis amplius moveretur: tunc omnia quieteant ac corpore in toto corpore, omnesque partes perfrigerantur; sique non amplius revocari sanguinis

& cordis motus potest, homo recte mortuus censemur.

## §. VI.

Cordis itaque motus est causa circularis sanguinis motus, adeoque vitæ; & recte primum vivens & ultimum moriens dicitur.

## Scholion.

Præclare Hippocrates lib. de corde §. 5. naturam ac caulas describit, dum de corde & venis hæc pronunciat; hi fontes sunt humanae nature, hi flumina, quibus totum corpus irrigatur. Atque hi etiam vitam homini conferunt, & ubi ressecati fuerint, homo moritur.

## §. VII.

Cor machina est motoria non simplex, sed composita ex quatuor cavitatibus, duabus majoribus, quæ sunt ejus ventriculi, & totidem minoribus, quæ sunt auriculæ, quarum singulæ motu expansionis & constrictio gaudent.

## Scholion.

Cor musculum esse valde fortis dum Hippocrates lib. de corde §. 4. agnoscit, eo tamen ab aliis musculis distinguitur, quod ejus fibre in spiram productæ, cavae efformant, quæ contrahuntur, vel ampliantur. Atque sub systole & contractione cavitatum, cordis sanguis expellitur in tubos annexos arteriosos, sub diastro vero seu ampliatione, ex venis recipitur, adeoque reciproca illa systole ac diastro, vera est causa circulationis sanguinis.

## §. VIII.

Reciproca muscularum cordis contractionis & dilatatio causa est fluxus & refluxus sanguinis ad cor. Nam si contractio tantum fieret cordis, neque eam, ut sint sequeretur rursus dilatatio, sanguis quidem expelletur, non vero recuperetur: hinc opus est, ut pars constricta rursus dilatetur, & dilatata postea iterum constringatur.

## §. IX.

Cordis potentia motrix licet validissima sit, tamen regendo, & impellendo tanto ponderi sanguinis & humorum non esset sufficiens, nisi magnus tubus, simili potentia motus instructus, in minima cor-

poris eos impelleret, & refluxum per venas promovere.

## §. X.

Cordis itaque & arteriarum systole, & diastole vera & adæquata circuli sanguinis causa est.

## §. XI.

Cordis machina motoria tam affabre constructa est, ut ejus systole diastole arteriarum, quæ pulsus est, producat, & diastole arteriarum rursus provocet eorum systolem, quæ causa postea rursus diastoles cordis evadit, & sic motus fit perpetuus. Quam ob rem non inepte perpetuum mobile cordici potest, & circulus sanguinis perpetuus motus, quamdiu nempe homo vivit.

## Scholion.

Quandocumque arte humana perpetuum motum in machina producere velimus, illud requiritur, ut causa motum seu effectum producat, qui effectus rursus sit similis motus sive effectus causa. Igitur meritissimo jure infinitam Dei sapientiam admiramur, qui tot perpetua mobilia construxit, quot sunt animantium corda; humana vero ratio & ars in ejusmodi machina invenienda adhuc magno labore deducavit.

## §. XII.

Quia successiva & reciproca cordis, & valorum systole ac diastole, perennis sanguinis in orbem fluxus, adeoque vita, causa est, ipsaque systole diastoles, & rursus diastole systoles causa sit: sequitur, quiescente uno horum motuum, sive in corde, sive in arteriis, totius circuli sanguinis cursum ipsamque vitam periclitari.

## Scholion.

Quando supra modum ex congesto sanguine distenditur auricula dextra, quæ tenerioris texturæ est, propter aerem nimis rarefactum, ut sit in vacuo, vel calidissimo aere, systole ejus languescit, vel plane perit, unde syncope. Ex vehementiori animi affectu, vel ex dato veneno, tanta saepe fit systematis nervosi, quin & cordis constrictio, ut ejus expansio, qua recipitur sanguis, aboleatur, unde immotus coagulatur sanguis. & homo moritur.

## S. XIII.

Quando cordi vel arteriis quiescentibus, unica systole in tempore rursus procuratur; subito vitæ animantia morti proxima restituuntur.

## Scholion.

In vacuo animantia, si extremitum spiritum jam emittere volunt, ut nihil certius, quam mors appareat, & moderatus aer admittitur, protinus ad vitam, motum, & vires pristinas redeunt, cuius phænomeni nulla alia subest ratio, quam quod, aere exteriori subtracto, sanguis & humores intra cor & vasa, aucto elatere, valde expandantur, & supra modum vasorum tunicas inque primis auriculam dextram distendant, ut difficilis ad contractionem redeant, qua cessante, sanguis non impellitur, hinc progressio totius massæ sanguinem tollitur, & mors in propinquo est. Si vero aer quantocuyus, leni modo, rursus admittitur, nimia vasorum distensio cessat, & systole cordis atque arteriarum de novo incipit. Aere valde rarefacto & intensius calido necari animantia posse, certo certius est. Id fit, dum pulmonum vasa, a nimia sanguinis expansione, constrictione suam amittunt, quæ ab aere admisso frigido, vel aqua adpersa frigida, mox restituitur, unde morti vicina animantia, & mox extremitum halitum emissura, plenarie ad vitam hac ratione revocari posse non novum est. Memorabilis est observatio, quam profert Sachsius in Ampelographia Sect. 2. Cap. 3. in aqua submersos, sine vita ac motu jacentes, vita restitutos fuisse, forti & diuturniori percussione pedum, quia nempe ejusmodi contusione, vasa & fibræ ad motum systoles vitalem producendum excitantur. Syncopticos forti in plantæ pedis frictione, aspersione aquæ frigidæ in faciem, frictione labiorum cum sale, vel odore spiritus volatilis, excitari posse, vulgaribus experimentis constat. Curiosum etiam, quod Arabes in diuturniorem syncopen abreptos, provocato per instrumentum aliquod vomitu, restituere soleant.

## §. XIV.

Unica quoque diastole jam conquis-  
tata.

scenti machinæ redditæ, totam sanguinis massam in motum rursus progressivum excitare, & cordi atque arteriis motum, ad eoque vitam, restituere potest.

*Scholion.*

Perquam curiosum & plane singulare experimentum est, quo canibus, qui thorace discesso & corde diu quiescente, vere mortui sunt, vita ad tempus reddi potest: quod hoc sit, dum si tubulus ductus thoracico, vel venæ jugulari, aut cavæ, immittatur, & aer infletur, vel totum cor palpitare incipit, vel ad minimum auriculae dextræ motus ad aliquot horas restituitur, quod etiam in homine mortuo factum esse Cl. Brunnerus in tract. de glandulis duodenî, memorabili exemplo confirmat. Intensiori frigore, quando incipit cor quiescere, & mors præ foribus est, tunc sola fortior frictio cum calido panno, in dorso vel thorace instituta, vitam reddere potest. Vidimus quoque solis frictionibus moribundos ad aliquot horas adhuc servatos. Neque ignotum est, aqua suffocatos, vel laqueo strangulatos, si mature frictionibus, venæ sectione, & immissione corporum in aquam calidam, tractentur, ad vitam revocatos fuisse, non aliam ob causam, quam quod sanguini & humoribus, ad coagulatum jam proximis, fluiditas, & cordi & arteriis, facta fibrarum a calore expansione, motus restituitur.

*§. XV.*

Quemadmodum calor, agilitas, nutritio, integritas, sensuumque ac mentis vigor, uno verbo vita, motu systoles & diastroles solidorum & fluidorum progressu perficitur: ita horum motuum intermissione, vel plenaria extinctio, syncope, vel mors est.

*§. XVI.*

Est itaque mors plenaria motus cordis & arteriarum circulique sanguinis extinctio, corruptionem corporis post se trahens.

*Scholion.*

Corruptio & putredo corporis, effectus quidem mortis, sed non semper ejus necessaria causa est: nam hominem externa violentia vita privari posse, machina corporis diu adhuc salva & a corruptionis labe immuni persistente, notissimum est.

*§. XVII.*

Quodcumque itaque cordis motum subito atque in totum extinguere valet, id quoque presentaneam mortem inferre potest.

*Scholion.*

Ex hoc nunc liquido intelligitur, quare insigne vulnus cordis vel majoris vasis, aut polypus, orificium magnæ venæ claudens, subitam mortem ingeneret, & quare intensissimum frigus hominem possit necare: siquidem per cordis aperturam, tanta sanguinis copia effluente, mox in totum concidit ejus diastole, hinc totus sanguinis cursus simul & semel desinit, ac in momento mors adest, quo vel unico arguento clarissime mortis natura intelligitur. Polypus necat, quia sanguinis ad cor sufficientem affluxum, & consequenter ejus diastolen, tollit, acri vero frigore, quem sanguis coagulatur, utique ejus cursus ac fluxus omnino sistitur.

*§. XVIII.*

Quemadmodum liber sanguinis circulus universum corpus ab abominabili corruptione & morte vindicat, ita necessario consequitur, corruptionem funestam partis, sive internæ, sive externæ, quæ tandem totum corpus in putredinem trahit, & vitales motus in totum extinguit, a circulo sanguinis sublato originem suam trahere.

*Scholion.*

Citissime pars corruptioni sphacelosæ subjicitur, modo fortissime vinculis strigatur: sic enim, ligatis vasis, affluxus, & refluxus sanguinis impeditur, ut immotus ibi stagnans, promte putredinem, cuius vis est valde sui multiplicativa, concipiatur.

*§. XIX.*

Quicunque itaque medicus, quod suum est munus, mortem averttere & corpus diu vivum, salvum ac integrum conservare laborat: is nihil aliud agere debet, quam ut eo omne suum auxilium, & consilium dirigat, quo sanguinis liber ac perennis curius, per omnes corporis partes, præstetur, funesta vero ejus statim, quies, vel stagnatio avertatur.

## Scholion.

Neque enim ullus moritur homo, ubi non circuli sanguinis destructi & mortiferè staleos, adeoque mortis, evidentissima testimonia ac indicaturæ adsint: quapropter in omni morborum curatione, circuli sanguinis conservatio primum & principale debet esse in intentione medici, & ultimum in executione. Hoc argumentum fuisius in *dissertatione de generatione mortis in morbis executi sumus.*

## §. XX.

Atqui jam liquido appetat, ea, tam ad vitam longius producendam, quam ad morbos afflictiones præcavendas & avertendas, optima esse præsidia, quæ ad conservandum sanguinis liberum & progressivum motum, maxime per tot subtilissimos & innumerabiles tubulos, & vascula minima, quibus omnes partes oblitæ sunt, faciunt: sicut e contrario tum ad morbos proferendos, tum ad mortem accelerandam, multum conferunt, quæ vitalem hunc motum cohibent, vel retardant, atque angusta vasa occludunt.

## Scholion.

Maximæ hinc utilitatis ad sanam, & longam vitam sunt omnia, quæ fluiditatem sanguinis & humorum conservant ac perspirationem liberam præstant, ut infusa calida herbarum, item motus atque exercitatio corporis, nec non quæ acidum corrigunt, item stomachica temperata balsamica, quæ blandam spirituascientiam chyli & sanguinis promovent, neque minus provide administrata venæsectio, quæ, sanguinis nimiam copiam subtrahendo, liberiorem ejus per omnis generis vasa cursum procurat. Quam noxia vero & proferendis morbis vitæque abbreviandæ apta sint adstringentia, validiora purgantia, anodyna, narcotica, putridæ exhalationes, acida, nimium refrigerantia, nimia quoque repletio, vitaque sedentaria, cum affectuum animi intemperantia, a solidæ praxeos garris ignorari amplius nequit.

## §. XXI.

Ergo vita & mors mechanice fiunt, & non nisi a causis mechanicis, physicis, Toma. I.

& quæ ex necessitate agunt, dependent.

## Scholion.

Patet ex hisce quam ineptum conceptum de vita & morte ejusque causis, veteres sibi formarint, dum vitam actionem & imperium animæ in corpus, vel animæ conjunctionem cum corpore, mortem vero vitæ privationem, calidi innati marcorum, separationem animæ a corpore, vel animæ secessum, aut animæ vel principii vitalis energiam fatiscentem & functiones corporis deferentem, dixerunt. Multo minus autem causas, cur homo mori debeat, invenire poterant, siquidem illorum sapientia plus nominibus & metaphysicis speculationibus, quam rerum corporarum & structuræ corporis humani cognitioni, inhærebat.

## C A P U T III.

*De causis motuum vitalium systoles atque diastoles.*

## §. I.

**Q**UAM vita a mere mechanicis & ex necessitate agentibus corporeis causis dependeat, & simplicissimus ille motus systoles & diastoles, qui in corde atque in universo canalium systemate residet, circuli sanguinis omniumque secretionum ac excretionum causa sit: plurimum utique ad rem nostram pertinet, veras systoles ac diastoles causas investigare.

## §. II.

Neque satis erit, cum veteribus motuum vitalium causam nomen quoddam, ut naturam, animam, spiritum, archeum, aut sapientem quendam dæmonem, vel principium certum vitale allegare, eo quod hisce obscuris nominibus nihil explicatur, nihil perspicuum redditur, nullaque ad usum vel inventionem applicatio fieri potest.

## Scholion.

Natura quidem ab Aristotele principium motus & quietis, adeoque etiam vitæ & mortis causa, habetur; sed tamen hoc ipso nihil dicitur. Nam cum principium philosophis idem sit ac causa, ideo sequitur,

C

tur, ut quando naturam causam motuum vitalium systoles ac diastoles agnoscimus, nihil aliud dicamus, quam naturam, quæ causa motus definitur, esse causam motuum vitalium. Sicuti vero in omni demonstratione & seria veritatis indagine, peticiones principii, lusus, fictiones, ambiguæ opiniones & inania nomina procul abesse debent; ita tanto magis id in ea doctrina, quæ de vita ac sanitate hominis agit, necessarium erit.

## §. III.

Neque sufficit, animam actionum in corpore, & hinc quoque motuum vitalium, cordisque systoles ac diastoles, causam dicere.

*Scholion.*

Evidem vis illa & potentia, quæ in nobis percipit, sibi ideas imprimit, easque certa ratione aestimat: vel adhuc superior substantia, quæ intelligens, conscientia & libertatis agendi particeps est, & mens vocatur, vi unionis certam actionem ac directionem in quosdam corporis motus obtinet: nullo tamen solido ratione evinci potest, utrumque principium proxime & directe & semper omnes in corpore motus, inque primis vitales illos systoles ac diastoles, producere, atque functiones naturales regere ac gubernare.

## §. IV.

Si anima, vel aliud quoddam ens immateriale, cuncta penetrans & movens, muscularum ipsiusque cordis motus causa esset: tunc utique consequi necesse foret, ut salvo ac integro existente motus instrumento, nempe musculo, utcunque nervi affecti, vel vasa ligata fuerint, adhuc motus systoles ac diastoles vigeret, quod tamen minime evenit.

## §. V.

Nequè opus est, ut ad causam quandam superioremetaphysicam, sive pneumaticam, moralem & occultam, quæ non sciri potest, refugiamus, ubi manifesta physica, a vi & operatione rerum corporarum desumpta, rationi & sensibus obvia est.

## §. VI.

Motus, qui fiunt in partibus solidis corporis nostri, a fluidis ipsoque sanguine ca-

lido & partibus ejus subtilissimis, sive impetu facientibus, tam in vasis, quam in ipsis contentis, proficiunt, multis evidenteribus argumentis potest evinci.

## §. VII.

Si intercipitur sanguinis & liquidi nervi fluxus ad partem, ligatis aut discisis arteriis, vel nervis, protinus omnis potentia motrix expirat; ergo causam intermissionis motuum in arteriis, & nervis quarideberi, non inepte censemus.

## §. VIII.

Ad cordis machinam motoriam non modo insignes pario octavo, & intercostali nervi feruntur, sed & ingens sanguinis quantitas, per vasa sic dicta coronaria, adducitur.

## §. IX.

Experientia docet, liberaliori sanguinis, aut per vulnerationem, aut per sectam venam emissionem, cordi potentiam motricem subtrahi, adeo ut quiescere incipiat & syncope fiat, simul ac vero ille per inclinationem corporis paulatim rursus affluit, protinus motus cordis reddit.

## §. X.

Observamus homines, quanto calidorem & copiosorem habent sanguinem, tanto robustioris esse naturæ atque ad animali defensionem minus proclives.

## §. XI.

Animadvertisimus, diuturna inedia, & defectu boni nutrimenti, universi corporis vires frangi, & cordis quoque motum languidorem fieri, cum contra a pastu, a calido potu, a vino, a pane & spirituosis balsamicis assuntis, vires antea depresso mox erigantur, pulsus quoque fortior, & celerior evadat. Ergo quod cor & solidas partes movet, iisque vires ac vigorem addit, materialis indolis est, & fornicatus ex alimentis & aere accedit.

## §. XII.

Caloris ad vitam, nutritionem, propagationem, & motus vitales producendos & conservandos, maxima necessitas, & potentia est.

*Scholion.*

Quotidiana edocemur experientia, nullum semen terræ mandatum, sine calore, ad

ad fecunditatem produci, vel plantam si-  
ne eo crescere & augmentum accipere pos-  
se. Nunquam ex piscium, ranarum, in-  
sectorum, vel cujuscumque generis vola-  
tilium ovis atque feminibus animalculum,  
vel pullus excluditur, nisi convenienti &  
temperato calore, vel solari, vel qui ab-  
incubatu animantium provenit, prius fo-  
ta fuerint. Hirudines, Alpini mures,  
multa insecta, intenso frigore, sine motu  
sensibili ac sensu jacent, accessu vero ca-  
loris & vernali tempore, mox motum &  
sensem recipiunt. *Egyptios* furnorum  
temperato & æquabili calore pullos galli-  
naceos excludere, historiarum fide con-  
stat; & novis experimentis comprobatum  
novimus. Animantia perfectiora utero fe-  
tus generant, eo quod calori sanguinis ma-  
terni proportionata semina quam optime  
fecundari & nutriti possunt. Vernali &  
calidore tempore accedente, omnia ani-  
mantia & vegetabilium genera agiliora,  
fecundiora & vegetiora evadunt & tota  
quasi natura robur acquirit; tum fecun-  
dus animalium fit congressus & aquatilia  
ova deponunt. Sine calore nullum ani-  
mal vivere vel crescere potest, unde inte-  
gumentis, lecti vel hypocauti calore, aut  
alimentis calidioribus acre frigus tempe-  
randum est.

## §. XIII.

Calor est valida ætheris, in intestino &  
vorticoso motu consistentis, in partibus  
sulphureis fluidorum actio, qua pori soli-  
dorum expanduntur, partes eorum fluidè  
dividuntur, crassiores subtiliores reddun-  
tur, dura & resistentia flexilia evadunt.

*Scholion.*

Hoc theorema innumeris experimentis  
hydraulicis & physicis confirmari potest;  
sufficerit vero pauca attingere. Liquida,  
præfertim spirituosa, fermentescibilia,  
vitis firmissime inclusa, calore accedente,  
solidissima vata magna vehementia dis-  
rumpunt. Aqua fontibus artificialibus in-  
clusa, solo calore, in altissimum spatum  
evehi potest. Liquor thermometris inclusus  
calore expanditur, inque altius spa-  
tium attollitur. Quam mirabiles in dis-  
solvendis brevi tempore doris corporibus  
aer & aqua, in machina Paganiana inclu-

si, ope caloris edant effectus, res vix am-  
plius rerum physicarum curiosis ignota esse  
potest.

## §. XIV.

Longe vero majorem vim ac potentiam  
expansivam calor exserit in corpora, quæ  
tenuioris sunt indolis.

*Scholion.*

Id clarissime experimentis evincitur,  
dum aquæ fontium salubrium, videlicet  
acidularum, vel etiam vina generosa,  
aut spiritus inflammabiles, vitris arctius  
inclusa, leni calore foris accedente, pro-  
tinus ea in minima frustula disjiciunt.

## §. X V.

Atqui nostra sic conficitur sententia,  
partem sanguinis optimi, calida ætheris  
materia subtilissimam, magna potentia e-  
lastica præditam, motum vitalium, sys-  
toles nempe atque diastoles, & inde de-  
pendentis motus fluidorum, veram & a-  
dæquatam existere causam.

*Scholion.*

Sanguis est vehiculum istius moventis  
tenuissimæ substantiæ, quæ a veteribus an-  
ima, calidum innatum, aut spiritus im-  
petum faciens, sive principium vitale, quod  
proprio conanime motum excitet, vel quod  
respondeat elemento stellarum, appellatur.  
Et quia veteres caloris magnam vim,  
ad sustinendam vitam, deprehendebant,  
hinc factum est, ut principium vitae & cau-  
sam omnium functionum in animantibus  
deponat substantiale & suorum, quod in cor-  
de residat, afferuerint. Et ob id quoque  
ii, qui credebant, animam, & naturam  
esse omnium actionum in animantibus  
causam, calidæ & ignæ indolis eam  
esse judicabant. Idecirco etiam Hippo-  
crates l. i. de diæta dixit: ignem omnia  
per omnia mouere. Vitam in ipso sanguine  
confistere sacra nos pagina docet. San-  
guis quoque primum in generatione con-  
picitur, idque non solum in ovo, sed  
in omni foetu animaliumque conceptu  
contingit: & sanguine ex venis amiso,  
vel ejus motu & calore penitus extin-  
cto, vita aboletur. Et quo major san-  
guinis boni & spirituosi copia in corpo-  
ribus visitur, eo agiliora, robustiora,

vivaciora & sagaciora sunt animalia: & contra, quo parcior adeat sanguinis copia, siue intemperatus, vel frigidus, animalia eo sunt timidiora, minus vivacia, magisque imbecillia. Omnia denique alimenta, quæ bonum sanguinem præbent, ut panis & carnium genus, vinum generosum, vigorem atque agilitatem animo & corpori addunt, & vires depresso protinus erigunt. Præterea aer purus, temperatus, serenus, qui in altioribus & temperatis locis, tempore verno & sub flatu orientali animadvertisit, mire omnes vires corporis recreat, & animo quoque vigorem & agilitatem reddit, appetitum excitat & erigit, ad venerem stimulat, in morbis vires inspirat. Ex quibus omnibus rectissime colligimus, illam ipsam substantiam, quæ nos nutrit, sustentat, reborat, animat, sanguinem moveat, & vires corpori ac animo largitur, esse materialem, eamque existere in sanguine, cum eo etiam amitti, ejusque portionem esse delibatissimam, optimam, tenuissimam, magna potentia expansiva donatam.

### §. XVI.

Sanguis itaque rectissime thesaurus vitae & animæ vehiculum ac vinculum ejus cum corpore dicitur.

#### *Scholion.*

Insignis ad elucidandam hanc rem exstat locus in Harvaco, qui meretur adduci. Hie exercitatione 72. ita differit; solemus rerum negligentes speciosa nomina venari. Sanguis, qui nobis pra manibus atque oculis est, nil grande sonat, ad spiritum vero & calidi innati magna nomina obstupescimus, detracta autem larva, evanescit ut error, sic etiam admiratio. Profecto si sub lapidis philosophici anigmate sanguinem quis depingeret, atque omnes ejus mirabiles dotes, operationes ac facultates proponeret, illum procul dubio pluris astimaret & supra vires elementorum agere facile crederet, corpusque illi aliud ac divinius non illibenter attribueret. Haec tenus Harvæus. Ego vero ænigma formabo tale: si quis dicat, sibi notam esse universalem medicinam, quæ in omnibus re-

gionibus & omni tempore haberi possit, inque animantium regno reperiatur, cuius tanta sit efficacia, ut hominem ab omnibus generis morbis, imo ipsa præmatura morte, præservet, quæ universum corpus ab excrementis folidibus liberet, que vigorem ac robur omnibus partibus conciliet, animoque sapientiam ac intellectum reddat, qua porro medicus, debito regimine, omnes morbos, quantum possibile est, sanare possit. Profecto ad unum omnes ejusmodi medicamenta præstantissimas vires admirarentur, & nulli studio vel sumptibus, ut eam inquirerent, parcerent. Quandocunque vero postea quis edicat, hanc medicinam sanguinem esse animantium, tunc protinus omnis admiratio & astimatio, propter rem vilem & omnibus notam, exspirabit. Quo ipso nostrum ingenium optime potest cognosci, quod vilia, sensibus obvia & facilia ac simplicissima despicit, ad ignota vero, obscura & magnifica magno impetu fertur.

### §. XVII.

Reciproca & continua systole & diastole cordis & vasorum ita peragit: subtilior atque calidior expansiva seminis & postea sanguinis pars, in primis foetus rudimentis, expansionem fibrarum cordis incipit, quæ, elatere instructæ, impatientes istius expansionis, sese contrahendo in pristinum statum restituunt, & ita sanguinem in tubos arteriosos expellunt, qui a sanguinis expansiva calida potentia identidem dilatantur, & postea, ob vim quoque elasticam, sese contrahunt.

### §. XVIII.

Machinæ motoriae cordis, arteriarum, intestinorum & omnium, qui motu gaudent, canarium, tam sapienter construetæ, & eo consilio tanta virtute ac potentia elastica donatae sunt, ut vel levior fibrarum expansio, eam contractiōnem provocet, quæ postea novæ expansionis in viciniis partibus causa sit.

#### *Scholion.*

Ita animadvertisimus cor canis exemptum, prorsus in quiete consistens, levè flatu admisso, ad motū aliquamdiu revocari posse.

Ne-

Neque ignotum est, cor ranarum, omni motu privatum, levi acus punctione, denuo palpitare, & motum diu adhuc continuare.

## §. XIX.

Magna elastica cordis, arteriarum aliorumque canalium potentia, non tantum ab ipsa fabrica mechanico-statica, sed quam maxime a subtilissimis fluidis expansivis, quæ partim vasa sanguinea, partim etiam nervi advehunt, dependet: quæ duo elastica fluida, unita in fibris, tantam potentiam exserunt.

## §. XX.

Quemadmodum motus vitalis duplex est, diastole nempe atque systole: ita etiam duplex vis expansiva utriusque causa existit: sanguis nempe appulsus, & intra cavitatem cordis vel valorum contentus, copia & calore expansivo diastolem efficit, fluidum vero, quod per arterias coronarias sanguinis atque nervorum agilissimum, quod intra fibrarum cordis substantiam, & interstitia fertur, ibique residet, succendentis systoles sive contractionis causa est.

## §. XXI.

Quanta est pressio laterum arteriarum extorsum, a sanguine impulso, tanta est elateris fibrarum, a fluidis animatarum renitentia: atque cessante illo impulsu, fibrarum ad pristinum statum, nempe intorsum, fit reductio.

## Scholion.

Siquidem ex mechanicis notum est, e-laterem semper esse æqualem vi comprimenti vel tendentis corporis, & eundem quoque esse æqualem vi percutientis. Notum quoque est experimentis pneumatico-hydrostaticis, potentiam elasticam aeris aliorumque corporum, ingenti eorum ponderi æquari.

## §. XXII.

Sicut a subtilissima, & mobilissima calidi optimi sanguinis parte motus vitales fibrarum dependent; ita a sanguinis corrupti vel impuri tenuissima putrida parte, non modo vires corporis, sed & animi vigor periculum patiuntur.

## Tom. I.

## §. XXIII.

Sicut subtilissima, spirituosa & temperate sulphurea alimentorum, & medicamentorum pars, & purissimus, temperate calidus aer, egregie vires motrices restituunt: ita nihil magis eas destruit, quam putredo, sive putridus vapor.

## §. XXIV.

Putredine, quæ mixtionem & structuram corporis animantium potenter destruit, nihil vita potest esse infensius, & hæc quoque induxit comes atque effectus est exticti sanguinis circuli, & causa præcipua mortis, sive plenariae systoles atque diastoles, adeoque fluidorum progressus, extinctionis.

## Scholion.

Quod ex sphacelo partis externæ, item ex putredine tenerima, quam cancer secum gerit, vitalium virium successiva & tandem plenaria defectio fiat, vix alia est causa, quam quod subtilissimus putridus vapor nobilissimam sanguinis partem, quæ vitalibus motibus præsidet, inficiat & in totam corrumpt. Pestis, aliique maligni morbi contagiosi, non ulla alia ratione tam infensi vita sunt, & tam celeriter necant, quam quod penetranti ac tenuissima putrilagine interiore & subtiliori spirituosa sanguinis partem inficiant, unde mox vires prosteruntur. Sique rem accuratis perpendimus, mortis præcipua, & familiarissima causa est interna sphacelatio visceris nobilioris, aut partium, quæ exquisito sensu ac motu gaudent, ut sunt ventriculus, intestina, meninges. Quæ de re legatur *dissertatio nostra de generatione mortis in morbis*. Provecamus ad omnes, qui dissectionibus ex morbis defunctorum operam navarunt, an non sepius in sectione, etiam mox post mortem instituta, foetidissima & intolerabilis putrilago, qua neutiquam est in iis, qui morte violenta pereunt, observetur. Et quis dubitet, interitus causam non tam partis destructionem a sphacelo, sed potius putredinem, quæ principium illud vitale inficiat & contaminet, existere? Spectat huc quoque præsumendum illud mortis, quod vulgus ex corvis & noctuis importuno canitu ægrotantium domos molestantibus, pro-

mit, quæ effluvia putrida, ex ejusmodi corporibus exhalantia, proprius accedunt. Ex hisce jam facile quoque elicetur ratio, quare medicamenta, quæ narcosi agunt, tam graviter vires affligant, stuporem, torporem sensibus motibusque inferant, ita, ut non immerito a cautoribus medicis venenis annumerentur. Aer vapore carbonum, vel sulphuris vivi, aut aliis peregrinis exhalationibus refertus, non ob id solum interficit, quod aeris liberum accessum ad pulmones impedit, sed maxime, quod sese altius sanguini insinuans, ejus nobiliorem spirituosam partem contaminet.

## S. XXV.

Ergo non mens, non anima sensitiva, adæquata & perpetua ac proxima causa est motuum vitalium systoles, & diastoles, quibus omnes actiones secundum & præter naturam celebrantur: sed fluidum tenuissimum, calidum, elasticum, quod in minimis membranaruim ac nervorum tubulis & in ipso sanguine continetur, horum motuum, adeoque vitæ, sanitatis & morborum causa est.

## C A P U T IV.

*De Motu fibrarum vitali Elastico.*

## S. I.

**D**Uplex motus vitalis est: unus in corde & arteriis atque in toto canaliū genere reperitur, & in reciproca systole, & diastro, sive in expansione & contractione vasorum consistit, quo fluida a centro ad ambitum corporis pelluntur: alter in toto fibrarum & muscularorum & membranarum systemate conspicitur, & in elasticitate, resistentia, sive tono versatur: uterque ad circulum sanguinis modificantum multum contribuit.

*Scholion.*

Motum illum elasticum, quem fibris partium solidarum adscribimus, Hippocrates *l. de locis in homine*, cutis tensionem & adstrictionem, alii tonum & robur partium, nonnulli villorum contractilitatem nominant. Nos potius illum motum, quo

fibræ gaudent, elaterem constrictorium, & expansivum, sive motum elasticum appellare volumus.

## S. II.

Corpus elasticum illud est, quod ex variis filamentis duris, tensilibus constructum, & vi alterius corporis expandi ac constringi, sive elongari ac abbreviari potest, qua vi cessante, in pristinum statum se restituit.

*Scholion.*

Ita ligna, coria, laquei, stramina, crines, spongiæ talis sunt naturæ, ut a causa externa facile expandi, elongari, & rursus quoque constringi & abbreviari possint: & hæc est ratio, quare hæc corpora, ad præparanda pulcherrima instrumenta, quibus humiditatem & siccitatem aeris explorare solemus, usurpentur, quandoquidem si humidum sese horum poris insinuat, distensionem ac elongationem efficit, quo a calore, & siccitate expulso, filamenta coactantur, inque pristinum statum revertuntur.

## S. III.

Fibras, ex quibus solidæ partes animalium constructæ sunt, simili motu elasticō gaudere, pluribus & indubio argumentis evinci potest.

*Scholion.*

Mira est expansionis, quam cutis in hydropticis, in gravidis, scrotum in hernia intestinali, uterus a foetu grandiori, & non raro gemello, ventriculus a nimia ciborum copia, intestina a flatibus, glandulae colli in scrophulis, testium canaliculi ab humore ibi stagnante, experiuntur: ubi tamen mirabile, quod remota causa expansionis, brevi intervallo in pristinum rursus & naturale spatium ac statum revertantur.

## S. IV.

Attenta observatione constat, cœlo existente humido & temperate calido, ut sit vere & autumno, sole inclinante, vel vento ex occidente aut meridie flante, cutem totumque corporis habitum inflari ac tumidiorem reddi, vasa quoque distendi ac majora apparere.

## S. V.

Quo magis calor, & humiditas intenditur, ut sit in balneis vap orosis & laconicis

eo tumidior fit corporis habitus, pori ac tubuli cutis magis expanduntur, vasorum sanguiferorum tenuissimæ ramifications in conspectum veniunt, a nimia etiam interna sanguinis expansione, humor copiose per poros extruditur.

## §. VI.

Observamus quoque, cœlo existente frigido & rigido, ut sit hyeme & borea regnante, sub cœlo sereno, cutim ejusque poros contrahi, vasa detumescere, ut vix in conspectum veniant.

## §. VII.

Atque adeo aeris fluidum tonum ac elaterem fibrarum corporis nostri diversimo de afficit, alterat, atque immutat. Neque id tantum in externis, sed & internis partibus visitur.

## Scholion.

Animadvertisimus non raro sub notabili aeris & tempestatum mutatione, & quando austrum vel zephyrum diutius regnantem, subi. o boreas vel eurus excipit, & vice versa, in partibus antea sauciatis, in pedum elavis, sensum molestum, punctorium, cum ardore & pruritu, sèpius persentiri, adeo ut non incongrue dicatur, eos homines calendarium quasi perpetuum vivum in corpore gerere. Neque id tantum exterius observatur, sed & internæ partes inde mutationem quandam experiuntur: ita non semel notavimus, eos, qui ex pulmonum vitio laborant, vel qui calculum in vesicula urinaria gerunt, a ventis septentrionalibus valde & sensibiliter affici. Idem fit, quando calculus in renibus delitescit, qui a frigore aeris commoti, & contracti artius ad calculum premuntur, sive a calculo dolor excitat. Multo magis vero id evenit in iis, qui ingenti capitibz vel nervorum imbecillitate laborant; hi enim a quacumque levi aeris mutatione, statim incommodi quipiam pati solent.

## §. VIII.

Potentia illa fibraram elastica, & robur partium, a sufficienti boni sanguinis per va. la arteriosa, & fluidi per nervos affluxu multum dependet.

## Scholion.

Siquidem observamus, robusta ea esse

corpora, & musculos multum roboris in iis exercere posse, qui temperati, & benigni sanguinis copia gaudent, imbecilla vero fieri corpora, & partes robur amittere, sub sanguinis boni defectu, qui ex morbis, vel ex nimia ejus profusione, aut ex fame fit, nihilque certius est, quam a laudabili alimento robur partium increscere.

## §. IX.

Quod a sanguinis in fibras influxu earum robur dependeat, vel ex eo colligitur, quod confessum, arteria cuiusdam partis ligata, ejus ad omnem motum impotensia succedat.

## §. X.

Neque tantum sanguinis, sed & fluidi nervi influxus, ad robur partium dignendum, necessarius est.

## Scholion.

Patet hoc ipsum in paralyticis, nec non apoplecticis, ubi, vitio, vel obstructione residente in cerebro, vel in spinali medulla, atonia, resolutio, & flacciditas partium subjectarum, cum impotentia motus & gravitate instar ponderis, consequitur.

## §. XI.

Quod fluidum nervum male affectum, vel præternaturaliter commotum, tonum, elaterem & robur partium immutet, animi pathemata luculentum testimonium edunt.

## Scholion.

Ita observamus, a terrore partes externas fortiter constringi, ut, vasis compressis, sanguis ab ambitu ad interiora & majora vasa circa cor & pulmones feratur, unde ejus palpitatio & circa praecordia anxietas, cum extremorum frigore, subditur. A tristitia, fluidi nervi influxus valde intercipientur, unde omnes fere universi corporis partes suum robur a tonum amittunt, atque magna ad morbos chronicos fit dispositio; quin ob vires deperditas, affectus alias benigni, facile malignitatem, non sine periculo, induunt. Iracundiae affectus, dum vehementer fluidum nervum commovet, validiore otristaturam in universo fibrarum systemate provocat, hinc pulsus & respiratio circuatorum cum augmentatione caloris fit, & validissi-

fimo tunc robore & potentia homines polent.

### §. XII.

Sub somno, & a medicamentis, quæcum conciliant, ordinario fibrarum relaxatio, cum habitus corporis intumescencia, fit, quod eo tempore languidior, & parcior fluidi nervi & sanguinis ad partes affluxus est.

### §. XIII.

In iis, qui cholericæ sunt constitutionis, vel ob largiorem vini usum, celeriorem habent sanguinis cursum, fibræ magis tensæ & validæ sunt: flaccidiores vero in phlegmatis & cacheoticis existunt.

#### Scholion.

Quæ omnia satis docent, robur & vim elasticam, quam exserunt partes, a fluidorum natura & affluxu plurimum dependere. Et quia robur & tonus partium, a boni sanguinis & fluidi nervi temperie ac copia in partes influente dependet, aer vero & alimenta sanguinis statum ac texturam varie alterant, sequitur, aeren utique serenum & purum & solari calore temperatum, & benigna ac congrua alimenta, ad robur partium, & conservandum, & amissum restituendum, plurimum valere, quod etiam ipsa experientia abunde corroborat. Ex hoc quoque porro conficitur, ea remedia optima esse roborantia, quæ blandam sanguinis spirituascentiam principio subili, suavi, oleoso promovent.

### §. XIV.

Eximus & plane mirabilis elateris, qui in fibris consistit, est usus ad fluidorum vitalem progressum moderandum, modificantum & facilitandum, item ad secretiones atque excretiones, ad vitam & sanitatem admodum necessarias, tuendas.

### §. XV.

Fibræ musculares, tensione sua, sanguinis, ab ingenti pressione cordis & arteriarum, ad partes appulsui renuntur: nisi enim magna vi elastica resisterent, nimia fieret valorum & fibrarum expansio, adeoque tardissime sanguis per venas ad eor remearet, & partium fieret intumescencia.

#### Scholion.

Notum est vasa sanguinea inter membranas & musculos ferri, quorum tonus, & resistentia ejus regressum egregie adjuvat. Nam pressio mutua semper est æqualis, sive corpus elasticum tanta vi resistit, quanta comprimitur.

### §. XVI.

Sanguinis affluxus & inde facta distensio, sese habet ut fibrarum & vasorum resistentia, quare aucta eorum resistentia, minus sanguinis admittitur & plus affluit alio, eadem vero rursus minuta, redit affluxus ad priorem statum.

#### Scholion.

Hæc fibrarum tensio & remissio magnam mutationem in sanguinis motu, & affluxu ad partes efficit, & hinc maximæ in pathologicis est considerationis. Nam circuitus sanguinis inæqualis, ejusque in aliis partibus nimia congestio, & inde facta stagnatio, vasorum distensio, vel apertio, quæ multorum morborum productrices sunt, inde originem tradunt. Mentionem vero potentie ejusmodi partium tonicae jam injicit Hippocrates lib. de loc. in homine §. 15. cuni ait: fluxiones propter frigus fiant, cum caro in capite & vena tensa fuerint. Hæc enim horrente carne & ad angustias perveniente adstrictaque ac excludente, humiditatem exprimunt & simul carnes ipse contra exprimunt ad angustias pervenientes, & capilli sursum erecti fiant, utpote simul undique fortiter compressi. Quibus verbis clarissime subindicat, a tensione, angustia & adstrictione fibrarum, humores ad alia loca cogi, ibique exprimi. Idem Hippocrates sanguinis motum translatorium ab una parte ad alteram moriferam passim, & egregie lib. de virginum morbis, docuit. Neque tantum in pathologicis hæc doctrina multi usus est, sed etiam in remediorum derivantium viribus explicandis insignem lucem accedit. Hinc Hippocrates Sect. 5. aph. 5. mulieri, ad cohibendum menstruum, cucurbitam mammis apponit. Nos, ad derivandum motum sanguinis a partibus superioribus, in hemorrhagiis, fluxionibus capitis & oculorum, item in doloribus superiorum partium, a distensio-

ne ortis, jubemus pedes immitti in balneum, ut fibrarum tensione, & resistentia minuta, humores majori copia rursus affluant, superiores deserendo. Et hujus motus fibrarum tonici usum in pathologicas, & praxi nemo praecarius Baglivo, & Stahlus ostendit.

## C A P U T V.

## De sanguine humano, ejusque natura.

## §. I.

**S**Anguis humor vitalis est, quo nullum animal perfectum caret, & in quo vita, & corporis nostri robur continetur: quo effuso, omnis corporis, & animae operatio cessat; quapropter utique, ut ejus indolem plenus, atque exactius cognoscamus, opus est.

*Scholion.*

Anima, & vita, ipsius quoque scripturarum sacrae testimonio, est in sanguine, prout nempe in orbem circumvehitur, & per universi corporis vasculosam compagem motu agitur; nam simul, ac hic motus quietescit, omnium partium fundio, & animae operatio intercedit.

## §. II.

Sanguis est liquor purpureus, ex parte aqua, sulphurea, & terrea subtiliori compositus.

*Scholion.*

Sanguis est humor, ex partibus indole inter se differentibus constans: nam ex solidis, & fluidis, gravibus, & levibus, diaphanis & opacis, subtilioribus & fixioribus, aqueis, terreis & oleosis inflammabilibus, minus bene coherentibus, mixtus est.

## §. III.

Sanguis maxime ex fluido, & solido elemento est conflatus.

## §. IV.

Solidum inexistere sanguini, vel ex eo appareat, quod liquida ejus parte leniori calore evaporata, secca & solidescens substantia relinquatur.

## §. V.

In sanguine sani hominis tres ordinarie partes liquidi, & una pars solidi continentur.

*Scholion.*

Quæ sit propertio solidi, & liquidi in sanguine, quam optime pondus docet Boyle in historia naturali sanguinis humani ex uncis quatuor, & drachmis quinque sanguinis, unciam unam, & drachmas tres, atque 34. grana solidæ substantiæ obtinuit. Nos semper ex quatuor uncis sanguinis, five vena incisa, five scarificatio ne ex poris tubulis extractus fuerit, unciam unam solidi & secchi pulveris, facta prius leni in fornace calido evaporatione humili, obtineremus. Ex hac vero theoria sanguinis addiscimus, potulenta tripla fere portione solidos cibos exsuperare debere.

## §. VI.

Sanguinis humida portio longe citius in auras avolat, quam aliud quoddam aqueum.

*Scholion.*

Quo experimento probare possumus, copiosas tenues, & volatiles in sanguine hospitari partes, quæ calori, ac motui promite obsecundant, & consequenter mobilioris, subtilioris, & valde expansiva indolis sunt.

## §. VII.

Sanguis humanus aqua specie gravior est.

*Scholion.*

Utut sanguis ex partibus aqueis valde tenuibus sit compositus, tamen, propter solidum in eo contentum, aqua est ponderosior, quod sequenti experimento certum fit: quandounque vas aqua repletum uncias novem, & drachmas sex ponderat, fit, ut, si idem vas sanguine humano impletatur, uncias ro. drachmas duas, ac grana 4. pendeat. Ergo sanguis uncia diuidia in dicta mensura aquæ preponderat. Et quod solidum insanguine, ejus fero, seu liquido, gravius sit, velex eo clare dignoscatur, quod seruia sanguinis parti subcunda supernatur.

## §. VIII.

Solida pars sanguinis non unius ejusdemque, sed valde dissimilis, est indolis.

*Schol.*

*Scholion.*

Siquidem sanguis humanus exsiccatus, & chymico igne tractatus, primo phlegma, deinde oleum subtile, postea crassius, fundum petens, empyreumaticum, cum sale volatili, & denique terram fixam, in vasis fundo relictam, elargitur. Sanguis enim omnes ejusmodi materias continet, quales ex omnibus animantium solidis partibus igne elicuntur. Quo magis confirmatur, solida ex fluidis suam indolem, atque incrementum accipere.

## §. IX.

Optimus sanguis gelatiniformem consistentiam habet, & nonnisi gelatina purpurea videtur.

*Scholion.*

Sanguis valde convenit cum gelatina, qualis ex animantium carne, & ossibus excoquitur. Siquidem frigore facile concrescit, & temperatae indolis, ac nullius evidenter saporis est. Et sicuti gelatina, evaporata aqua parte, in gluten transit; ita etiam ex sanguine optimum gluten parari potest: quin imo calore interno sanguinis serum subinde tam spissum evadit, ut per sectionem venæ emissum, firmioris glutinis faciem, ac formam frigore induat. Deinde acidum fortius gelatinæ coagulum inducit; quod evenit quoque cum humano sanguine. Tum gelatina siccata, & stillata phlegma, & subtile oleum, cum sale volatili, & fixiori terra, largitur, non secus, ac cum sanguine humano fieri solet. Et quod sanguis sit gelatina diaphana, a sulphurea, & rubicunda materia tincta, clarissime appareat, quando ipse guttatim in aquam immittitur, ubi rubicunda sulphurea portio supernatat; vel quando sanguis in calidam aquam effunditur, tunc non multo post substantiam mucidam albam, tenuibus filamentis contextam, in fundum dimittit.

## §. X.

Sanguis gelatinosæ temperatae indolis, & consistentie est, ideo sequitur, ea alimenta, quæ gelatinosum succum coctione fundunt, vel quæ principia gelatinam constituentia continent, optimo sanguini in generando esse aptissima.

*Scholion.*

Atqui ex hise jam facile petenda est ratio, quare carnes juniorum animantium copiosum sanguinem ingenerent, & cur Gallorum natio, cui optimi, & gelatinosi facci, ac cibi familiares sunt, tam subito sanguinem amissum recuperet, & ob id liberaliorem sanguinis missionem facilius, quam alii populi, tolerare possit. Neque jam in obscuro erit ratio, quare alimenta, in quibus principium salinum, acidum, aut spirituosum prædominatur, aut quæ nimis terrea, ac compactæ substantiae sunt, ad sanguinem augendum minus apta existant.

## §. XI.

Quanquam sanguinis textura multum similis sit gelatinæ animantium: attamen ille différentes quoque ab hac quasdam proprietates obtinet.

*Scholion.*

Primo sanguis exsiccatus longe promtiusflammam concipit, ac diutius eam alit, quam siccata gelatina. Deinde major quantitas salis, volatilis, & olei ex sanguine, per destillationem, quam ex gelatina, e. g. cornu cervi, obtinetur. Tum sanguis putrefactus tereum magis foetorem, quam alia quævis gelatina corrupta, exhibet. Itaque sanguis magis excocta, & subtilior redditia gelatina dicenda est.

## §. XII.

Sanguis ex parte subtili sulphurea constat.

*Scholion.*

Quod copiosum sulphur insit sanguini, ejus inflammabilitas testatur, & quod ingenitatem olei quantitatem sub destillatione fundat, & motu valde incalescat.

## §. XIII.

Sanguinis calor dependet quam maxime a parte ejus subtili sulphurea, in motu concitata.

*Scholion.*

Quamdiu sanguis fertur per vasra, tamdiu sanguis calidus observatur. Hinc calor nihil aliud est, quam intestinus partium ejus sulphurearum motus, qui eo fortior est, quo major partium sulphurearum copia est, & quo plus motu attritivo agitantur, & mutua collisione impelluntur. Hinc patet.

patet ratio, cur celeriori sanguinis circulo facto, ut sit in febre, a vehementiori corporis exercitio, ab assuntis spirituolis, intensior quoque calor fiat.

## §. XIV.

Calore partes temperatae, oleosæ, ac terreæ sanguinis alcalifantur, & subtiliores sunt; quare ex connubio, & mixtura principii alcalini, & olei subtilis, purpureus sanguinis color emergit.

*Scholion.*

Sal alcalinum, cum sulphure subtiliori commixtum, leniori calore, ac digestione, rubicundum induere colorem, experimentis chymicis compluribus stabiliri potest. Videmus spiritum vini rectificatissimum fortissimo sali alcalino, quod sit, quando nitrum cum regulo antimonii & quali portione calcinatur, superfulum, brevi elapsu tempore, elegantissime rubiendo colore imbui. Olea destillata sulphuri vivo, vel si mavis, sali lixivioso reclusa affusa, leni digestione, rubineum colorem induunt. Spiritus ex animantium partibus destillati, & sale volatili, ac oleo turgidi, primo diaphani, brevi tempore colore obscure rubicundo tinguntur. Et quod portio sanguinis subtilior, & sulphurea gelatinæ ejus purpureum colorem reddat, vel hoc unicum experimentum satis evincere poterit, quod sanguis ex secta vena in aquam tepidam effusus, ingentem portionem substantia mucida diaphana in fundum demittat, aqua vero supernatans rubra, post factam evaporationem, tenuem rubicundum pulverem, qui promitti ardet, relinquit.

## §. XV.

Pars subtilior sanguinis sulphurea, cum teneriori terra alcalina commixta, ipsi deterrivam penetrantem vim conciliat.

*Scholion.*

Ex oleo cum alcali intime nupto, saponiformem abstersivam texturam emerge, ex mechanica chymica compertum est. Et ejusmodi deterativa, & quasi saponiformis materia in sanguine animantium quoque appetit, unde ad abstergendas pingues, viscidas fordes eo utiliter utuntur. Et inde fuit etiam ratio, quare sanguis e vena emissus calidus, & in terram prolap-

sus, lignis, eorumque poris tam alte se insinuet, ut ejus maculae nulla fere arte possit extergi.

## §. XVI.

Saponiformis, & abstersiva sanguinis indoles, vitali humorum circulo conservando admodum proficia videtur.

*Scholion.*

Cum enim sanguis penetrantis alcalinæ sulphureæ, & abstergentis indolis sit, hinc simul medicam obtinet virtutem, qua viscidum, & acidum, cum chylo ex alimentis adveatum, quod obstructiones minorum tubolorum minatur, egregie corrigit, ac temperat. Unde non mirum, acidum ad sanguinem delatum mox in salsum converti. Ejusmodi quoque abstersiva alcalina sanguinis indoles impedit, quo minus in tenuissimis tubulis ipse consistat, & perniciose obstrunctiones efficiat.

## §. XVII.

Pars sanguinis sulphurea, volatilis, & alcalifata causa est, cur sanguis tam subito in foetidissimam putredinem ruat.

*Scholion.*

Quemadmodum in sanguine, quamdiu decenti modo movetur, vita & robur universi corporis consistit: ita etiam idem ille, omnis corporis corruptionis, putrefactionis, immo mortis, materiam, ac causam subministrat, quod sit, simul ac desinit moveri, & in parte quadam quietescit. Nullum enim corpus tam foetidae putridagini est obnoxium, quam sanguis humanus, qui in habitu corporis consistens, celerime in fermentativam putrefactionem abit, quæ jure, meritoque agiliori, calidæ, sulphureæ sanguinis parti, ad motum ejusmodi dissolutorium intestinum maxime idoneæ, debetur. Et observamus, sanguinem fluidiorem, & floridiorem, qualis est sanguineorum, & cholericorum, si incipit quietere, longe citius, ac vehementius putrescere, quam qui est solidioris texturæ, qualis est melancholicorum; & ob hanc quoque causam sanguineos plus morbis putridis, quam melancholicos infici, & eorum corpora post mortem cirius pra alis putrescere, animadvertisimus.

## §. XVIII.

Sanguinem humanum ingreditur quoque

que elementum paulo fixioris naturæ, tertium nempe, quod sulphuris nimiam actitatem infringit, ipsique temperiem conciliat.

*Scholion.*

Aqua sanguinis fluiditatem, gelatina nutrimentum partium, sulphurea portio calorem, rubedinem, subtilitatem, & penetrantiam scenerat; terrea vero firmorem ipsi consistentiam largitur, sub qua, cœu involucro, ligata subtilis portio retinetur.

§. XIX.

Multum sanguinis ingredientia, & consequenter ejus consistentia, color ac virtus differunt, eaque ab alimentis, item a dispositione vasorum, & solidorum structura ac fluidorum progressu, maxima ex parte dependent.

*Scholion.*

Populi, qui vietū crassō, duro, & salso fruuntur, ut Finni, Westphali, Pomerani, item qui multum comedunt, parum corpus exercent, & nullam sanguinis evacuationem experiuntur, item ii, qui fibras duras, crassas, densas obtinent, senes, & qui temperamento melancholici sunt, sanguinem e vena emissum consistencia crassum, pondere gravem, colore nigricantem habent, qualis juxta Celsum lib. 2. cap. 10. utiliter effunditur, quia profundas inflammations, & difficiles chronicas passiones, quæ ex ingenti viscerum obstructione, & infarctu oruntur, minantur. Qui vero habitus corporis sunt spongiosi, & angustiora, sed copiosiora, vase gerunt, corpus motu exercent, & cibos boni succi assument, hi non modo fluidorem, & floridorem sanguinem alunt, sed & copiosorem citius generant, quare etiam ob sanguinis fluidioris copiam, & ornatum, haemorrhagiis, inflammationsibus, sed levioribus, abscessibus, spasmis, febribus admodum expositi sunt.

§. XX.

Cum sanguis ratione consistentiæ, gravitatis, atque indolis, tam in statu sano, quam morboso, multum differat, sequitur, ut medicus differentem sanguinis indolem probe cognoscere debeat,

*Scholion.*

Gravitas sanguinis, præter alia experientia, optime cylindro, hunc in ulum a nobis confecto, exploratur, cuius beneficio sanguis e vena in vitrum, quod certam capit mensuram, emissus, exacte ponderari potest.

§. XXI.

Neque nimis crassus; niger, neque nimis fluidus, tenuis, purpureus, optimæ indolis est, sed qui medio modo se habet, & facile in purpuream gelatinam concrescit.

*Scholion.*

Quando tam crassus est sanguis, ut serum mox in lardum, vel gluten quoddam coeat, profundæ inflammationis, vel gravis chronicæ morbi ex obstructione, metus est. Si copioso sero imbutus est, jecoris & renum in secernendo imbecillitatem, & morbos ab impuro sero oriundos, ut scabiem, arthritidem, & scorbuticam cachexiam indicat. Sanguis vero nimis fluidus, & purpureus, qui omne coagulum, & grumelcentiam respuit, pessimæ notæ est, & talis tubinde ex iis, qui peste, hepatica, phthisi, variolis, & febribus acutis moriuntur, extrahitur.

§. XXII.

Ex solo sanguinis aspectu sanitas, & integritas partium corporis internarum æstimari neutiquam potest.

*Scholion.*

Præclare Ballonius lib. 2. Ephem. p. 191. scribit: plurimi impurus sanguis detractus est, quibus mortuis & seculis, partes omnes integræ deprehensæ; aliis purus, quibus viscera, & pulmones putres sunt inventi. Formosissimis mulieribus impurus detrahitur. Siquidem morbi gravissimi non tam in partibus fluidis, quam potius in solidis, sedem suam fixam habent, quando haæ inflammatae, sphacelatae, induratae, & obstructæ sunt.

§. XXIII.

Sanguinis quantitas non una, eademque est in homine, sed multum pro diversitate habitus, & structuræ corporis, ætatis, alimentorum, & vitæ generis variat.

*Scholion.*

Nonnulli copiosum sanguinem in vasis custo-

custodiunt, eumque amissum cito recuperant, in aliis vero hæc reparatio tardius procedit. Quod robusti, & sani homines præ tenerioribus, imbecillioribus, & valetudinariis, majorem sanguinis copiam in venis foveant, extra dubium est. Hinc quoque venæ sectio illis magis, quam his convenit.

## §. XXIV.

Sanguis licet ex elementis, dissidentis naturæ, ac virtutis, & quæ male uniuntur partibus compositus sit; attamen motus intestinus, ac progressivus has optime miscet, & conjungit, & homogeneum vitalem liquorem reddit.

*Scholion.*

Sanguis in tubulo vitro per accuratius microscopium quando inspicitur, apparet ut aqua, cui innumeri rubicundi globuli innatant, qui nihil aliud sunt, quam gelatinosa, & sulphurea sanguinis pars, quæ per motum, & intestinam agitationem divisæ, globosam assumit figuram. Omnia enim heterogena, in alieno fluido contenta, & quassata, globosam figuram accipiunt. Et quo magis hi globuli sunt divisi, adeoque minores, & copiosiores, eo sanguis fluidior, floridior, & ad circulum vitalem tuendum aptior existit: quo maiores vero, & pauciores hi globuli sunt, eo crassior, ac nigricantior est.

## §. XXV.

Motus ille intestinus partium sanguinis calorem efficit, hic vero in ipsam sanguinis texturam agit; quare non potest aliter fieri, quin continuus ille motus calidus ingentem subinde mutationem in sanguinis consistentia efficiat.

*Scholion.*

Motu calido intestino adiuncto partes unitas a se invicem discerpi, dissolvi, fixas volatilisari, insipidas, sapidas, & falsas reddi, pingues, ac temperatas acres, & valde calidas fieri, compluribus experimentis physicis, ac chymicis comprobari potest. Idem animadvertis in sanguine nostro, ubi nimius calor eum ferme totum in excrementa salsa, sulphurea, biliosea, viscida, ac mucosa, sub febre ardente, & praesertim hectica, convertit.

## §. XXVI.

Motus, & calor continuam in sanguine humano facit mutationem, qua de causa unus, idemque non diu in venis perdurare potest.

*Scholion.*

Ex quo intelligitur, quam inepte non nulli medicorum fingant, primum a nativitate, & a parentibus acceptum in utero sanguinem adhuc corpori inexistere, ratione suæ mixtionis, & temperiei, causa sit temperamentorum.

## C A P U T VI.

## De sanguinis circuitu.

## §. I.

**Q**UAMQUAM sanguis optime temperatus est, & convenienter etiam quantitate gaudet; tamen, nisi continuo moveatur, perniciem, quin immo mortem, corpori infert, quia in tetram putrificationem confessim ruit: si vero jugi, & non interrupto motu per vasa fertur, vitam conservat, & corpus ab omni corruptione vindicat; quare hujus motus vitalis naturam, causas, & modum scrutari fas est.

## §. II.

Sanguinis, & humorum in animalibus progressivus motus est circutaris, dum a corde, tanquam principio motus, per tubos arterios ad partes adducitur, & ab iis per venas ad idem principium reducitur.

*Scholion.*

Hinc sanguinis, & humorum in circulum abiens motus divinum profecto inventum est, quo non datur ad rem medicam illustrandam præstantius, sine cuius cognitione, nihil in arte salutari agi, vel explicari potest. Mirum tamen est, per tot secula illum latuisse, donec ab illustri Anglo, Harvæo, superiori seculo propositus, & inconcussis argumentis stabilitus fuit. Vettigia quidem, & indicia circuli sanguinis magnus Hippocrates in monumentis suis reliquit; atramen propter anatomes id temporis incolatum studium, res non fatis perfecte detegi potuit. Loca, quæ mentionem

tionem circuitus sanguinis faciunt, in primis existant lib. 11. de dieta §. 45. ubi disertis verbis scribit: quod in febre celerem circuitum faciant ea, quae in corpore sunt, & quod tum totum corpus, majori transpiratu fatio, purgetur. Item lib. de flatibus §. 21. ita habens: Cum prohibetur cursus sanguinis, alii quidem loco conflit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius pertransit, qua inæqualitate sanguinis transitus facta, omni genere inæqualitates per omnem corpus contingunt. Porro lib. de alimento §. 4. in pilori alimentum, id est sanguis, in unguis, & in extreman superficiem intrinsecus pervenit, forinsecus alimentum ex extrema superficie ad intima pervenit. Nec non libri de locis in homine §. 6. sole arteriae temporales, ex venis non sanguine irrigantur, sed digreditur ex ipsis sanguis, digressus vero, contrarium motum habet influendi, & digressus quidem volens sursum migrare, superne vero influens volens deorsum recedere, hic impelluntur, ac diffunduntur, & mutuo circumagitantur, & pulsus venis exhibent.

## §. III.

Sanguinis circuitum indubio argumentis, & experimentis demonstrari posse clarissimum est.

## Scholion.

Motum sanguinis, & humorum in orbem redeuntem inter alia haec clarissime evincunt. I. Quod vase quadam vulnerario, omnis ex corpore sanguis effloat, quod fieri non posset, nisi ex venis in arterias, & rursus ex his in venas, transiret. II. Si coloratus liquor per siphonem in venam injicitur, tunc per arteriam in altero latere apertam effluit. III. Arteriae ligatae, inter vinculum, & cor, sanguine plenæ sunt, inter ligaturas vero, & partes externas, inaniorunt, & detumescunt; venæ autem ligatae, inter ligaturam, & partes externas sanguine implentur, inter ligaturam vero, & cor deplentur; evidenti indicio, sanguinem a corde per arterias ad partes advehit, per venas autem versus cor revehit. IV. Ligato trunco iliacico arteriolo, omnes venarum iliacarum ramifications, infra ligaturam, sanguine evacuatæ conspiciuntur. V. Transfusio-

sanguinis ex uno animante in alterum, sed liciter aliquoties celebrata, hunc sanguinis circularem motum eximie declarat. VI. Fluxus sanguinis ex arteriis in venas, per pulchre in piscis cauda bene elaborato microscopio accurate conspici potest.

## §. IV.

Sanguinis, & humorum progressivus, & circularis motus legibus hydraulicis, quae motum corporum fluidorum exactissime tradunt, subiectus est.

## Scholion.

Corpus animantium machinam esse hydraulicam, in qua impulsu, & pressione solidorum, fluida per tubos moventur, jam dudum accuriores medicorum, & anatomicorum agnoverunt. Et sicut omnis fluidorum progressus, certis legibus, secundum quas certi, & constantes effectus observantur, continetur: ita etiam has ipsas in corpore animantium comprehendere licet.

## §. V.

Cor est principium motus, & circuiti sanguinis.

## Scholion.

Quemadmodum in antlia, beneficio emboli, liquida per orificia, & tubos magna pressione ejiciuntur: ita cor perfectissime ejusmodi antillam, & machinam hydraulicam emulatur, qua, beneficio compressionis ventriculorum, sanguis in annexos tubos per eorum orificia fortiter ejicitur. Omnis enim impetus, ac velementia motus sanguinis, non secus, ac in hydracontisteriis, & siphonibus, a viribus prementibus dependet.

## §. VI.

Quando cor contrahitur, sive systolen patitur, ejus fibræ intumescunt, abbreviantur, conus cordis versus basin ejus immobilem adducitur, & latera arctissime, non secus, ac in follibus, comprimuntur, & sic cavitas interna minor redditur, & coarctatur, & haec violenta cavitatum coarctatione, sanguis premitur in annexos tubos arteriosos.

## Scholion.

Is est fibrarum in corde situs, ut exteriiores, a sinistro cordis latere versus dextrum porrectæ, ad basin ejus, oblique defacen-

descendant, interiores vero a dextro laterre versus sinistri basin assurgant, siveque spirali flexu, geminam sibi oppositam helicem forment, adeo, ut commode cum linteo, ad exprimendam aquam, utrinque contorto, possint comparari.

## §. VII.

**Cor,** ceu principium motus circularis, instar antilæ, & recipere, & expellere, continuo flumine debet sanguinem; hinc pluribus cavitatibus, duobus quoque diversis tubis, diversæ figuræ, & situs valvulis duabus, nec non distinctis motibus, instructum sit necesse est.

*Scholion.*

Cum enim una cava, sive amplius canalis, seu cordis ventriculus, sanguine repletur, alter exinanitur, & contra. Et quia ad cor remeare debet sanguis, necesse fuit, ut per unum tubum, qui est arteria, ad partes advehatur, per alterum vero, qui est vena, revehatur. Et quia cor recipere, & expellere etiam debet sanguinem, dupli opus erat motu, uno activo, qui est constrictio, & coarctationis, altero passivo, qui fit illo remittente motu, nempe relaxationis, & expansionis.

## §. VIII.

Cor non unus est musculus, sed ex quatuor conflatum est cavitatibus muscularis, duabus nempe minoribus, quæ auriculae appellantur, & alijs sunt venarum, tum cavae, quam pulmonalis, orificiis, & duabus majoribus, quæ cordis ventriculi vocantur. Tot itaque sunt emboli, quot sunt cavitates, quarum singula motu contractionis, & dilatationis, sive systole, & diastole, gaudent.

*Scholion.*

Auricula dextra dum comprimitur, pellit sanguinem ad cordis dextrum ventriculum, & ventriculus dexter dum coarctatur, sanguinem pellit ad pulmones: & auriculae sinistre contractione ex pulmonibus rediens crux premitur ad sinistram cavitatem, quæ contracta, sanguinem magna vi pellit in arteriam aortam, sive magnam, & per hanc per totum corpus. Est vero auricula dextra capacior sinistra, quia tardius sanguis per venam cavam sursum

affluit: in sinistram vero longe celerius ab expansione, & motu pulmonum premitur. Accedit, quod sinistra sacco venæ pulmonalis apposita sit, in quem sanguis gravitate sponte descendit, & ex hoc quoque in sinistrum ventriculum.

## §. IX.

Cum beneficio sinistri ventriculi sanguis per universum corpus propelli debeat: triplex crassior, rugosior, & robustior est dextra, ut majori robore, ac potentia motrice polleat; deinde figura oblonga, pluribus bicuspidi distingueatur, gaudet: quum si alia, cubica, vel sphærica fuisset figura, nunquam tam bene potuisset comprimi.

*Scholion.*

Sinistri ventriculi potentia, & vis motrix profecto maxima est, quia totius sanguinis, & humorum massæ, quæ in universo vasorum systemate continentur, pondus, & resistentiam vincere debet, siquidem in omni motu progressivo, movens majori instructum esse debet potentia, quam corpus mobile resistens. Accedit, quod aorta varia curvatura, & divaricatio in ramos, ejusque tunicarum durities, ac renitentia, nec non ultimorum vasorum angustia, pressioni huic, quæ sit a sinistro ventriculo, valde etiam resistat. Et propter vehementiam motus, quam hic ventriculus exercet, efficitur, ut cordis systole fortissima manus compressione non cohiberi possit, sique amputato cordis cono, in ventriculum immittas digitum, is vix a manu fortius potest constringi, quam tum a ventriculi parietibus comprimitur.

## §. X.

Quemadmodum in hydraulicis, quo magis fluidorum motus promoveatur, opus est valvulis, quæ fluidum in cavitatem, vel vas admittunt, regressum vero per eandem viam impediunt: ita quoque, ad promptorem, & non interruptum sanguinis motum conservandum, artificiosa, & mechanica valvularum, quæ cordis vasorum assistunt, inque tubis venolis conspicuntur, structura, situs, ac figura plurimum contribuit.

*Scho.*

*Scholion.*

Valvulae pelliculae sunt, vel triangularem, vel semilunarem figuram habentes. Illae ita sunt positae, ut transitum humorum ad cor liberum concedant, regressum vero impedianter, semilunares autem convexa sua parte eam regionem respiciunt, unde sanguis accessit, sed coacava parte exiguum sacculum formant, qui impedit regressum, unde apparet, quare tricuspidales venarum, semilunares vero arteriarum orificiis appositae sunt. Nam cum uterque ventriculus in sua basi geminum orificium habeat; utrique veluti janitor erat praeſcidiens, quorum alter in recipiendo, & retinendo, alter in emitendo, & excludendo, occupatus esse debebat, ne sanguis per utrumque orificium fluat, refluatque, & hoc ipso motus sanguinis turbetur.

**§. XI.**

Ad promptiorem, & non interruptum sanguinis progressum musculosa tubi arteriosi, sive aortæ, fabrica plurimum confert, qui simili dilatationis, & compressionis motu cum corde gaudet.

*Scholion.*

Non modo cor emboli vicem sustinet, dum hujus beneficio sanguis ex sinistro ventriculo in tubum magnum arteriosum pellitur, sed & hic ipse cylinder cavus, & musculosus est, & ex multis stratis fibrarum annularium, & longitudinalium, potentia elastica gaudentium, compositus, qui simili expansionis, & coarctationis motu, ut cor, gaudet. Quando enim fibra annulares abbreviantur, & tunicae ad se invicem accedunt, cavitas minor redditur, & sanguis propellitur in tubum venosum, per quem ob ascensum progressionis difficilior est, unde motu arteriarum opus fuit. Et quod in iisdem magna vigeat sanguinis pressio, vel maxime inde apparet, quod digitus, in apertam arteriam immisus, valde comprimitur.

**§. XII.**

Sicuti in hydraulicis expeditus fluidorum motus est per canales continuos, licet inversos: ita etiam in animantium corporibus tubus ille magnus arteriosus, & venosus unicum continuum canalem coni-

cum, & cylindricum inversum efformat, cuius basis est in corde, apex vero in partibus extremis.

*Scholion.*

Mutuam vasorum communicationem suo jam tempore non ignorasse magnus noster Hippocrates videtur, qui *libr. de locis in homine* hæc habet: *communicant omnes venæ, & confluunt inter se mutuo, & aliae quidem sibi ipsis per se committuntur, ac coincidunt, aliae vero per venulas a venis extentas.* Hæc vasorum continuitas partim injectionibus liquidorum, dum ea ex arteriis in venas propte transveunt, partim etiam oculari inspectione in curiosissimis *Cl. Ruysschii* preparatis, de quibus videnti ipsius thesauri, confirmatur. Evidenter recentiorum nonnulli poros intermedios admittere malunt: sed quia hi pori non confusam, sed ordinatam constructionem habere debent, ut sanguis ab arteriolis recipiatur, & in venas immittatur, alias enim perpetuae fere essent stases, & extravasationes: hinc exiguum certe differentiationem animadverto, an per pororum ordinatam, & reticulatam texturam, an per minima vasa in rete contexta, sanguinem ex arteriis in venas progredi dicamus. Innumeræ divisiones, & subdivisiones ramorum, & muscularorum in uno trunco arteriæ, vel venæ occurunt, ut ob subtilitatem fere sensus fugiant, nihilominus tamen per hec subtilissima, & angustissima vasa omnis fluidorū malla progredi debet. Sed quemadmodum liquor, etiam saturate coloratus, in tubos capillares vitreos receptus, colorem exxit, ita etiam nullum dubium est, quin sanguis purpureus, per angustissimas vasculorum myriades pressas, rubedinem deponat, quæ tam vascula, si nimium sanguine distenta fuerint, sensum antea fugientia, postea satis distincte rubra conspiciuntur, ut id sit in inflammationibus, quæ in partibus membranosis, ut ventriculo, intestinis, oculorumque tunicis, resident.

**§. XIII.**

Ad expeditiorem sanguinis per vasa cursum non parum contribuit, quod vasa eorumque extremitates, ac tenuissimæ ramifications intra membranarum lamellas pos-

positæ sint, ne, hoc sepimento membranaceo munitæ, nimium aut distendantur, aut facile aperiantur, vel disrumpantur.

## §. XIV.

Sanguinis motus per arterias multo velocior est, ac per venas, partim quod propria gravitate sanguis descendat, partim quod arteria motu, quo carent venæ, instruetæ sunt, per quas, utique difficilis admodum sanguinis reditus est, quia contra naturam est, gravia sursum ferri.

## §. XV.

Cum sanguinis cursus per arterias velocior sit: hinc angustiores, & pauciores arterias, capaciores vero, & numerosiores venas conspicimus.

*Scholion.*

Capacitas, & diameter venæ cavae, item auriculæ dextræ, respectu sinistram, & arteria aortæ, circa cor, & omnes partes longe major est, & numerus quoque venarum longissime arteriarum numerum supererat. In pedibus, usque ad genus, nos constanti observatione anatomica binas, imo ternas semper venas inter quas arteria locata est, conspeximus. Angustia vero, & minor numerus arteriarum velocitate fluxus compensatur, secundum constantem, & immutabilem legem hydraulicam.

## §. XVI.

Perpendicularis, & ob id tardior, ac difficilior sanguinis per tubum venosum regressus, plurimis adminiculis providentissime adjuvatur: ex quibus sunt venarum juxta arterias situs, nec non tunicae venarum musculosæ, & valvularum in venis existentia, item valorum tam arteriosorum, quam venorum, intra musculos situs.

*Scholion.*

Valvularum in venis existentia ad promtiorem sanguinis fluxum non exigui usus est; reperiuntur frequentissime circa ramificationes binæ valvulae, ita locatae, ut ex minoribus ramis sanguis proveniens, libere quidem penetrare possit, ex trunco vero majori versus extremitates impediatur, quia, si illoc urgeatur, valvula clauduntur. Otentunt igitur hæ valvulae san-

Tom. I.

guinem ex ramificationibus minoribus venæ cavæ ad majores, & ex his ad truncum, ipsumque cor, moveri. Præterea venæ quoque musculosa tunica donatae sunt, quæ tamen rarioribus, & tenuioribus circularibus fibris gaudet, quibus utru manifestus pulsus, & motus desit, tamen robore, resistentia, & tono impediunt, quo minus sanguis has tunicas supra modum distendat. Venarum vero intra musculos situ non parum sanguinis regressus promovetur, quod maxime a motu, & exercitatione corporis accidit, dum enim fibræ tenduntur, comprimuntur, non potest aliter fieri, quin sanguini in venis contento pressio, & impulsus quidam accidat: id quod clarissime conspicitur, quando vena incisa sanguis mittitur, tunc semper digitis manus compressis, celerius effluit.

## §. XVII.

Ne sanguis in angustissimis vasis restagneret, & totus circuitus inde impeditior fiat, longe celerius ipse movetur in angustioribus, quam in capacioribus vasib, adeo, ut pro differentia angustiæ, proportio reciproca velocitatis motus fluidorum creascat.

*Scholion.*

Sicut æqualis capacitas tubi, æqualem liquidum progressum, & eandem velocitatem in qualibet tubi parte efficit: ita si disformis tubus est, velocitas non est eadem, sed major in ea parte, quæ angustior est. Nam si ponamus, vim, quæ fluidum pellet, esse æqualem, vas vero duplo angustius esse altero, necessario eadem fluidi quantitas reciprocam proportionem longitudinis in utraque canalis parte servabit, ut in angustiori contenta, duplam canalis longitudinem occupent, eadem enim hujus tubi angustioris longitudo, non nisi dimidiæ partem, ob subduplam angustiam, recipere valet, hinc necessario similis adhuc longitudo ab altera dimidia occupatur, ergo dupla. Cum igitur eadem liquoris quantitas propulla in angustiori tubo longius eodem tempore procedat, velocius hæc in angusto, quam ampliori canalis loco movetur.

## §. XVIII.

Motus, sive circulus sanguinis, pro diversa cordis systole, atque compressione ventriculorum, multum variat.

## §. XIX.

Vis impulsiva cordis, quæ sanguinis currentem modificat, optime arteriarum pulsus cognoscitur.

## §. XX.

Pulsus est diastole, sive expansio arteriarum, a sinistri ventriculi coartatione, & pressione sanguinis in eas proveniens.

## §. XXI.

Qualis itaque est compressio cordis, & sanguinis in arteriam expulso, talis etiam est pulsus.

*Scholion.*

Si magna sit ventriculorum cordis expansio, qua ingentem sanguinis copiam recipiunt, & validior compressio succedit, magna sanguinis copia in arteriam ejicitur, & ingens ejus fit dilatatio, unde pulsus plenus, & magnus gignitur: si vero ob spasticam quandam strictroram, vel aliam ob causam, cavitates cordis se non satis aperiunt, vel si ob defectum virium, ut in malignis morbis, non robusta, & valida sit constrictio, parum sanguinis ejicitur, & pulsus parvus, debilis, ac depresso fit, interdum etiam plane intermittit. Quod si vero hic motus dilatationis, & constrictoris certo temporis intervallo saepius repetitur, & numero crescit: tunc pulsus frequens fit, qui de singulorum motuum cordis celeritate clarum praebet indicium. Evidem frequentia proprie non est motus affectio, sed celeritas, & tarditas de motu praedicatur; quia vero motus cordis, & pulsatio arteriarum est motus continuus, & singuli fere ictus non accurate determinari, & mensurari possunt, hinc ex pulsuum frequentia, sive eorum certo intervallo temporis subsequuta pluralitate, singulorum celeritas judicari debet. Atque adeo nihil habenda est haec contradicatio, pulsum celerem, & frequentem in praxi multum differre, sicuti id longius contra Cl. Virum deduximus in dissertatione de pulsuum theoria, & praxi. Si vero pulsus magnus cum celeri concurredit, dicitur vehemens, si exiguis cum ce-

leri jungitur, debilis, & frequens vocari solet, tardus vero pulsus est, si non multi certo dato tempore numerantur, inæqualis est, quando mox celer, mox tardus, interdum vehemens, paulo post debilis est, durus, si arteriae valde sunt tensæ & renitentes, & talis tactui digitorum resistit.

## §. XXII.

Ex arteriarum pulsu sanguinis per corpus progressio, & circulus optimè potest dignosci, quare accuratior pulsuum exploratio in praxi medica magnæ utilitatis, & usus est.

*Scholion.*

Quanta sanguinis copia ex corde in arterias pellitur, tanta necessario in currus ex venis influere debet. Si itaque pulsus est citior, & simul magnus, certum est indicium celerioris sanguinis per cor, & vasa progressus; si tardus, & vehemens est, vel exiguis, & frequens, imminuti motus sanguinis notam præbet. Ad mensurandam vero pulsuum celeritatem, ex nostra inventione, horologium accuratius, quod minutissimas indicat, egregie servit.

## §. XXIII.

Ex pulsuum numero, & magnitudine probabili conjectura assequi possumus, quot vicibus singulis horis universa sanguinis massa cor pertranseat.

*Scholion.*

Quandocunque in sano, & robusto homine ad minimum sanguinis uncia una cordis systole in aortam propellitur, & ponamus, viginti octo libras sanguinis, & lymphæ adesse, singulisque horis sex milles pulsus observari: tunc totam sanguinis massam, singulis horis, tredecim, & intra viginti quatuor horarum spatium, 312. vicibus, suum absolvere circulum, & per cor transferri, calculus indicat.

## §. XXIV.

Mirum est, quanta differentia, & mutatio pulsuum ratione temperamentorum, ætatum, assumtorum, aeris, motus & quietis, item ratione medicamentorum, & morborum, beneficio accurati horologi, observetur; quæ pulsuum mutationis indicat, vim motricem cordis, &

arteriarum, quæ sanguinis circuli gubernatrix est, a causis potissimum externis, corporeis, & ex necessitate agentibus, siue mechanicis, dependere.

## §. XXV.

Tametsi præter potentiam fibrarum cordis elasticam, princeps ejus motus, & arteriarum vis motrix a sanguine, ejusque turgescencia calida elastica dependeat: nihilominus nervi plurimum quoque ad cordis, atque arteriarum motum faciunt.

## Scholion.

Nam nervis octavi paris in collo arcte ligatis, aut penitus abscessis, cor, quod paulo ante æquali pulsu agitabatur, mox tremere incipit, donec animal, uno, vel altero die post, moriatur: quod citius fieret, nisi rami ex plexu intercostali ad consimili modo abeunties, liberi permanissent. Qui a solo nervorum liquido motum cordis ducere, ac derivare contendunt, mihi videntur errare, quia secretio liquidi nervi in cerebro jam motum cordis supponit, quo cessante cessat & secretio, & influxus liquidi nervi in cor; nihilominus nervorum variam constitutionem multum mutare posse cordis motum, pluribus argumentis convincimus; siquidem ea omnis animi motus indoles est, ut pulsuum mutatio mox sequatur. Deinde si spasmus nervorum sistema fortiter afficiatur, ut sit in gravioribus doloribus, haemorrhagiis, in febribus, inflammationibus, affectu spastico-hypochondriaco, & sub omni morbi impetu, pulsus fit durior, qui magis tactui resilit, declinante vero paroxysmo, & cessante spasmo, pulsus molliorem evadit, qualis liberiorem transpiratum, & sudorem venientem subindicat. Tum in paralyticis non raro ingens differentia inter pulsum laesi, & sani lateris visitur, quæ etiam subinde in partibus vulneratis, maleisque curatis notatur; qua de causa non sine ingenti ratione monemus, ut prius utriusque carpi pulsus tentetur, quam de morbi natura pronunciemus, eo, quod crebrius in una manu est naturalis, in altera præternaturalis. Convulsiones quoque nervorum transfire ad motum cordis, & pulsuum, formicantes, caprizantes, & inæquales, in mortis proximis,

arteriarum pulsationes satis, abundeque indicare videntur.

## §. XXVI.

Sanguinis varius ad cordis cavitates affluxus in pulsu mutationem quoque efficit.

## Scholion.

Si enim, ut supra ostendimus, diastrocausa est systoles, & systole diastoles, eæque inter se sunt æquales: facile patet, sanguinis copiosiorem ad cor affixum, pulsuum magnum, vel etiam celerem efficeret. Et jam in promtu est ratio, quare febres, quarum omnium origo, & genesis in universalis generis fibrosis, & vasculosi spastica constrictione est, item quare dolores, & haemorrhagias, plerumque celeritas, vel magnitudo pulsuum comitetur; quandoquidem hi affectus pro causa agnoscunt internarum partium spasmum, qui impetum, & copiam sanguinis ad pœcordia urget. Si vero cordis musculosa cavitates nimium sanguine replentur, quod maxime evenit, si polyposum inest concretum, & systole cordis, ob languidiorem vim motricem, non respondet, pulsus intermittere sèpius, sine ulti- tamen vita discrimine, vel sanitatis dispendio, solet. Nos a stagnantibus in intestinis statibus, pulsuum intermissionem notavimus, quæ illis discussis, protinus cessavit.

## §. XXVII.

Quemadmodum in hydraulicis, permanente eadem potentia movente, fluidum si premitur, ipsius partes ad omnia vasa, pro illorum capacitatem, æquali nisi tendunt, illuc vero maxime feruntur, ubi nullam, vel minorem resistentiam inveniunt: ita etiam sanguinis circuitus non ubique æqualis est, sed in partibus debilioribus, ubi minor tensio, resistentia, & tonus est, cursus ejus minuitur, unde stagnatio, vel infarctus fit, ubi major tensio augetur.

## Scholion.

Hoc theorema in praxi rationali multum afferit utilitatis, quandoquidem morbi chronicæ, & hereditariæ ex nativa, vel etiam ascititia viscerum atonia, & debilitate, plerumque sua inconstabula trahunt.

## §. XXVIII.

Sicut in hydraulicis aliquot canalibus, per quos antea libere ferebatur fluidum, obstructis, ejus impetus vergit in tubulos apertos, per quos celerius transfluit: ita etiam evenit in corpore nostro, ut viscerum, vel partium internarum vasis, & tubulis obstructis, aut sanguine stagnante infartis, aut spasmo constrictis, indeque libero sanguinis transitu prohibito, is majori copia, & impetu ad alia vasa aperta ruat.

*Scholion.*

Ab inaequalitate circuitus, quæ præser-  
tim propter spasmum sit, complures mor-  
bi, & symptomata suam trahunt origi-  
nem, inde enim ingentes sanguinis profu-  
siones, dolores, tumores, & funesta hu-  
morum congestiones, & extravasationes  
nascentur, quarum origo eos penitus la-  
ter, qui leges motus fluidorum parvi fa-  
ciunt, vel parum intelligunt.

## §. XXIX.

Quemadmodum fluidorum motus, &  
affluxus se habet, ut vasorum resistentia,  
adeo, ut hac minuta, plus affluat, eadem  
vero aucta, plus alteri accedat: ita etiam  
id sit in sanguinis affluxu, ac motu.

*Scholion.*

Patet exinde quam clarissime usus reme-  
diorum derivantur, qui non de nihilo  
est, v. g. pediluviorum, clysterum, ve-  
na sectionis, cucurbitularum, atque bal-  
neorum emollientium.

## §. XXX.

Quemadmodum in hydraulicis, pro di-  
vergitate pressionis, & capacitatem cavitatis,  
quæ liquida continet, nec non pro ampli-  
tudine majori, vel minori orificiorum,  
& canalium, per quos liquida ferri, & ejici  
debent, motus liquidorum valde differt,  
ratione accelerationis, & tarditatis, at-  
que adeo ratione copiæ, quæ effunditur;  
ita etiam nullum dubium est, quin diver-  
gitas circuli sanguinis, quæ ratione indivi-  
duorum, pro differentia ætatis, & dispo-  
sitione, ac structura nativa partium soli-  
darum, multum variat, a capacitatem ma-  
jori, vel minori cordis, & vasorum, co-  
rumque ad motum dispositione, rectissime  
deducatur.

*Scholion.*

Quare doctrina veterum de tempera-  
mentis rectius ex sanguinis differente cir-  
culo, & partium solidarum ad eundem  
modificandum dispositione, quam ex flu-  
idorum varia temperie, aut qualitatum,  
sive elementorum sanguinem constituen-  
tium, mixtione, & proportione, dedu-  
citur.

## §. XXXI.

Res notatu digna est, inter corda, &  
vasa animantium exquisitam reperiri pro-  
portionem, ut ex vasorum capacitate, ma-  
gnitudinem cordis optime concludere pos-  
simus.

*Scholion.*

Constanti, & frequenti observatione,  
per cadaverum sectionem exploratum ha-  
beo, obesa, & spongiosa, ac flaccidi ha-  
bitus corpora, & quæ tenuia, & angusta  
vasa habuerunt, cor etiam parum obti-  
nuisse. In macilentis vero, & qui amplio-  
ra, sed pauciora vasa, habebat, cor longe  
capacius, & majus comprehendimus.

## §. XXXII.

Quicunque igitur cor capacius cum vasis  
amplioribus obtinet, & fibras habent  
strictiores, ingenti potentia elistica dona-  
tas, in iis motus cordis vegetior sanguinis  
motum valde accelerat.

*Scholion.*

Eiusmodi homines pulsū, qui ex magno  
& frequenti compositus est, gaudent, &  
magno robore, tam corporis, quam ani-  
mi, pollent, & vulgo cholericī audiunt.

## §. XXXIII.

Ubi cor majus cum vasis capaciōribus,  
sed paucioribus est, genus vero fibrarum  
erastis, ac densitate, adeoque immobi-  
litate laborat, sanguinis circulus tardior  
est, & pulsus magnus, tardus tamen  
evadit.

*Scholion.*

Eiusmodi homines sunt quidem tardio-  
res, tam in animi, quam corporis actio-  
nibus, constantiores tamen, & judicio-  
valent, & vocari solent sanguineo-melan-  
cholici: & quia in senectute talis fit fibrarum  
dispositio, senes, plerumque pulsū du-  
rū, tardū, & magnum habent.

## §. XXXIV.

## §. XXXIV.

Qui fibras valde spongiosas, & laxas, venas vero cum corde parvas habent, in iis valde debiliter, & languide cursus sanguinis, & humorum succedit, & ii vocari solent phlegmatici: & horum actiones, tam quoad ingenium, quam quoad corpus, languidae, debilesque sunt.

## §. XXXV.

Quandocunque vasa copiosa, sed non adeo ampla sunt, & cor mediocre, fibræ quoque, nec adeo laxæ, nec adeo strictæ, tunc temperatior, & placidior sanguinis cursus est, nec nimis celer, nec nimis tardus, nec nimis vehemens, nec nimis debilis; temperamentum sanguineum sit, quod, quia in mediocritate consistit, optimum est.

## §. XXXVI.

Ubi cor angustius cum angustioribus vasis est, fibræ vero tensæ, renitentes, & teneræ; pulsus celer, qui ex frequentia judicari debet, sit, & tunc sanguinis motus celeriter per corporis vasa fertur, & tales simpliciter cholericæ audient, & in omnibus actionibus valde sunt præcipites.

## §. XXXVII.

Si vasculorum genus minus capax est, fibræ vero rudiiores, duriores, & crassiores, sanguis tardius evolvitur, & ita pure sic dictum melancholicum corporis temperamentum evadit, quod ratione corporis, & animi actionum miserum est.

## §. XXXVIII.

Ergo retardatio, & acceleratio motus sanguinis, & exinde dependens animæ, & corporis vis, vigor, atque languor, a causis mere mechanicis, physicis, in structura, & dispositione partium ad motum querendis, unice requiescit.

*Scholion.*

Hæc omnia clarissime docent, quantum a veri tramite ii aberrent, qui, neglectis his causis manifestis, & sanguinis circuli, & diversitatem actionum corporis, & animi in alio, incognito tamen principio, moralitatis, cognitionis, & arbitrii participi, quarunt: cuius tamen naturam, vel proprietates, adeo explicare non possunt, ut porius loco demonstrationis, nihil aliud, quam sterile nomen, vel petitionem principii afferant.

*Tom. I.*

## C A P U T VII:

*De sanguinis circulo per pulmones, & respirationis usu.*

## §. I.

**V**Italis sanguinis circuitus fieri nequit, nisi ex dextro ventriculo, per pulmones, ad sinistrum transeat; cum vera per pulmonum vasa complicata, & collapsa pertransire nequeat, hinc opus est, ut hi expandantur, quod fit mediante respiratione, unde ejus amplissimus ad vitam patet usus.

*Scholion.*

Duplex in homine, extra uterum vivente, sanguinis est circulus, alter late diffusus, alter brevis; ille mediante aorta, & vena cava fit per universum corpus, hic vero tantum ex uno ventriculo ad alterum, per pulmones, mediante arteria, & vena dicta pulmonali. In foetu hic circulus cessat, quia respiratio deficit, quare brevissime sanguis ex dextro ventriculo, per duos canales, unum arteriosum, cuius situs est inter arteriam pulmonalem, & aortam, alterum venosum, sive foramen ovale, quod inter venam cavam, & pulmonalem existit, ad sinistrum transfertur.

## §. II.

Respiratio est aeris atmosphærici intra pulmones receptio, & successiva emissio: sive, respiratio consistit in inspiratione, & exspiratione aeris.

## §. III.

In inspiratione cavitas thoracis, in qua sunt pulmones, amplior fit, sursum elevatis costis, ac diaphragmate descendente.

## §. IV.

Facto ampliore in thorace spatio, aerum fluidum, grave, & elasticum, propria vi nititur illud spatum occupare, sed quia in pulmones immediate fertur, eos expandendo, replet sic vacuum thoracis spatum, adeoque in inspiratione pulmones expanduntur.

*Scholion.*

Aerem corpus esse fluidum, impenetrabile,

D 3

bile, grave, & elasticum, quod in spatia ab aere vacua magno imperu. ruat, compluribus experimentis physico-mechanicis, de quibus *demonstraciones nostrae physicae* consulendæ, demonstrari potest.

## §. V.

In exspiratione, costis descendentibus, & sursum delato diaphragmate, redit thorax ad pristinum suum spatium, & pulmones concidunt, & aer per eos, & nares emittitur.

## §. VI.

Ab alternata thoracis dilatatione, & constrictione totum respirationis negotium dependet: quando enim aperitur, & ampliatur thorax, aer, & gravitate, & elatero suo, per os, & nares ingreditur, & pulmonum vesiculosem corpus expandit; simul, ac vero thorax contrahitur, & contractatur, idem aer ex compressis pulmonibus per easdem vias expellitur.

*Scholion.*

Costarum capitula cum vertebris spinæ, & illarum pars cartilaginea flexilis cum sterno, tam mirabiliter nectuntur, ut contractione intercostalium musculorum, oblique extorsum flecti, atque erigi, & eorum relaxatione, deorsum introrsumque converti possint; unde thorax nunc dilatatur, & capacior redditur, nonc constringitur, atque angustior fit. Dilatationem thoracis diaphragma multum auget, cuius duplex musculus, unus a costis spuriis, & sterno, alter a lumborum vertebris, in centrum tendinosum tendens, ita contextus est, ut utriusque contractione, ejus fornix ad figuram magis planam perveniat, hinc imi ventris viscera deorsum protruduntur, atque costæ spuriæ oblique extorsum flectuntur, & sic amplior fit thorax. Idem duplicatus musculus, quando a contractione remittit, e plano in fornicem resilit, atque intra pectoris cavum ascendit, cuius magnum spatium replet.

## §. VII.

Pulmones sunt immediatum respiracionis organon, quos aer reciproce, & successive ingreditur, & egreditur, hinc eorum fabrica investiganda erit.

## §. VIII.

Pulmones sunt corpus mere vesiculosum, & vasculosum.

## §. IX.

Vesiculæ sunt innumeræ, quibus pulmones constant, ex membranis orbicularibus, expansilibus, & contractilibus compositæ, atque ex arteria aspera, cuius expansiones sunt, ortum suum habent, & sibi invicem, ita racematis adhærent, ut facile ex uno ramo tracheæ in plurimas vesiculas, & rursus ex his in illam, detur aditus.

## §. X.

Vesiculæ pulmonales omnes cohærent, & connexæ sunt cum aspera arteria; hinc inflata trachea, omnes vesiculæ pulmonales, & sic totus pulmo, expanditur, vel inflato tantum modo ramo tracheæ, vesiculæ tantum eæ, quæ ex hoc prodeunt, expanduntur, ceteræ, quæ non prodeunt ex hoc ramo, flaccidæ manent.

## §. XI.

Aspera arteria inumeras ramifications spargit per pulmones, quæ dicuntur bronchia.

## §. XII.

Bronchia, & vesiculæ ex his prodeuntes constant ex membranis variis, primo nempe carnea, sive musculari, quæ ex fibris longitudinalibus, & annularibus contexta est, secundo nerva, tertio vasculo, quarto glandulosa.

## §. XIII.

Ratione tunicae musculosæ, & nerveæ, pulmones sensu, & motu instructæ sunt, dilatationis nempe, & constrictiois: nam quando ab aere dilatantur, proprio nisu, & motu activo, rursus contrahuntur, & ad aeris expulsionem faciunt.

*Scholion.*

Par vagum oclavum, ramos, partim in pulmonum membranam, partim in bronchia, & eorum vesiculas, quas super scandunt, & circumligant, emittit, & ratione horum sanguis in pulmonum vasis stagnans maximas facit anxietates, atque angustias. Quandocunque fibrarum motricium, quæ per vesiculas, & bronchia expansæ sunt, contractio fit spasmodica, non modo aer, ut decet, recte neque admittitur, neque redditur, sed & ipsa vasa sanguinea, inordinate contracta, sanguinem transuentem intercipiunt, hinc asthma fit convulsivum, certis & statis periodis

dis revertens. Ad diaphragma vero nervi, tripla radice exorti, ex cervice per canum thoracis descendunt, & in quatuor ramulos dividuntur, tendinosaque diaphragmatis parti inferuntur, qui vellicati, mox pectoris dilatationem excitant. Si itaque hi nervi, vel paralysi tentantur, vel etiam si per nervos octavi paris tendentes ad pulmones, fluidi nervi influxus impeditur, magna oritur spirandi difficultas, uti si in apoplecticis, & paralyticis. Si vero violenter diaphragma contrahitur, & thorax dilatatur, aer magni, nec sine strepitu, in pulmones impellitur, sive singultus fit. Quando diaphragmatis descensus ab inflatione ventriculi impeditur, quod facile fit in hypochondriacis, hysterics, & asciticis, respiratione valde difficilis redditur.

## §. XIV.

Aspera arteria, & que ab hac producuntur bronchia glandulis obducta sunt, que humidum unctuosum a sanguine separant, quod etiam exspiratione eliditor. Hanc vero utilitatem haberet, ut humectet membranosa bronchiorum substantiam, ne perpetuo, & irquieto aeris appulsu exsiccatur, & incommodi quippiam patiatur.

*Scholion.*

Quando glandulae, arteriae intertextae, & bronchiis adiectae tumidae sunt, atque increscent, liber aeris egressus e pulmonibus impeditur, qui tunc expansi thoracis spatium replet, & asthma difficillimum gignitur, quod aliquoties in dissectis asthmate defunctis vidimus.

## §. XV.

Pulmo est viscus admodum vasculosum, siquidem arteria, & vena pulmonalis in innumerabiles ramorum myriades dividitur, qui cum arteria aspera, in eorum medio jacenti, distribuuntur, & vesicularum membranas retis in modum ambiunt, & ubique cellulosa spatia occupant.

*Scholion.*

Dum sanguis per innumerabiles vasculos pulmonium myriades transfire debet, que facile tam a sanguine, quam a fero copiosius ibi congesto, infarciuntur,

nimumque distenduntur; vesiculis bronchiorum compressis, libera harum expansio impeditur, & spirandi difficultas nascitur, quod cacheeticis, plethoricis, & ubi solennes, accriticæ sanguinis evacuationes suppressæ sunt, familiare est. Hæc quoque vasorum angustia, & copia in causa est, quod facile ibi collecti humores stagnant, corruptantur, & molliissimam substantiam rodant; unde fit humorum, & sanguinis extravasatio, indeque major stasis, acrimonia, & humorum consumtio: & hunc in modum tussis humida, & phthisis, cum spato cruento, & purulento, nascitur. Ob eandem vasorum angustiam sunt etiam facile in pulmonibus tubercula, & scirrhi.

## §. XVI.

Quoniam in collapsis pulmonibus innumerabiles, ac tenuissimæ vasorum ramifications valde complicantur, atque contrahuntur; hinc cursus sanguinis per has, nisi expandantur, & elongentur, difficulter succedit.

## §. XVII.

Quando aer pulmones ingreditur, omnes tracheæ tubuli, vesiculæque ipsis annexæ inflantur, expanduntur, quo fit, ut non modo vesiculæ ex planiori per complicationem figura in rotundorem extendantur, sed & innumerabiles vasorum sanguiferorum rami, antea complicati, exporriganter, unde jam faciliter sanguis per arteriam, & venam pulmonalem ad finistrum cordis ventriculum pergit, atque urgetur.

## §. XVIII.

In exspiratione quando elasticæ, & fibrosæ pulmonum membranæ concidunt, tunc venæ non secus, ac spongia comprimuntur, & ex eorum ramis minimis ad ramos maiores sanguis urgetur, atque adeo, & inspiratio, & exspiratio, transitum sanguinis per pulmones promovet.

## §. XIX.

Circulatio sanguinis per universum corpus sine transitu sanguinis per pulmones, & hic sine respiratione, diu permanere nequit; hinc facile patet, sublata respiratione, vitam tolli.

*Scholion.*

Jam clarius appetet ratio, quare constricta arteria aspera, vel si hæc ipsa aqua, vel vapore denso, sulphureo, ut carbonum accensorum, qui aeris ingressum impedit, repleta fuerit, item si stagnet ingens copia aquæ, vel puris in thorace, qua pulmonum expansio impeditur, aut subtracto aere per antliam, vel sub aere nimis tenui, rarefacto, & calido, horno suffocetur, & pereat. Nam si quando pulmonum expansio impeditur, sanguis ad sinistrum ventriculum pergere nequit, sed stagnat in dextro, & deinde in toto venarum systemate, neque ad cerebrum ultius fertur, unde vita perit.

## §. XX.

Sanguis per innumerabiles vasculorum pulmonalium myriades cum premitur, atque pertransit, ipse in minimas partes dividitur, conquassatur, & communuitur, unde fluidior, & floridior ex pulmonibus redit, quam fuit ingressus.

*Scholion.*

Aer gravis, & elasticus, quando interiora pulmonum subit, & calore adhuc magis expanditur, tunc explosiva vi vesicularum parietes undiquaque premit, & sic mirum in modum, nisibus suis, sanguinem per exilissimos membranarum tubulos transactum, quasi pistillo in minimas partes dividit, atque discerpit, unde longe liquidior ad cor redit, & qui obscuriore colore tinctus erat in dextro ventriculo, nunc rutilo, comminutionis indice, conspicuus ad sinistrum revertitur.

## §. XXI.

Pulmonum igitur manus est, partes sanguinis diversæ indolis, graves, ac leves, fluidas, & solidas, intime inter se miscere, unire, combinare, quod ad circumflexum sanguinis per vasa minima liberum promovendum, & ad vitæ conservacionem adm̄ odum necessarium est.

*Scholion.*

Corpus nostrum constare ex capillari bus, & minimis vasculis, patet autophisia. Ne itaque sanguis ibi stagnet, sed libere ea pertranseat, opus est, ut in fluiditate conservetur, quod sit, si partes ejus graves, & solidæ cum aqueis, fluidis, & subtilioribus, motu conquassatorio, & com-

minutorio, intime uniantur, quod optimè in pulmonibus perficitur. Et quia transitu sanguinis per pulmones, eorumque motu contractionis, & dilatationis, ejus partes concussione, & conquassatione intime miscentur, ut fluidus evadat, hinc ad vitalem sanguinis per minima vasa circumflexum conficiendum summe necessarius est. In foetu autem, & respiratio, & motus pulmonum, cessat; ideo provida natura in pulmonum locum placentæ corpus constituit, quod totum, ut pulmo, vasculosum est, siquidem ex innumeris vasorum umbilicalium ramificationibus consistat, & quoties inspiratione matris dia phragma descendit, & imi ventris viscera comprimit, toties quoque uterum, eique cohærentem placentam concutit, motumque pulmonum sic concussa placentam emulatur.

## §. XXII.

Difficiliori igitur facta respiratione, & sanguinis transitu per pulmones redditio impeditiori, mixtio intima partium sanguinis minuitur, & hinc facile graves, & solidæ partes a fluidis, ac levibus secedunt.

*Scholion.*

Ex hoc theoremate nascitur ratio, quare in morbis, ubi ex pulmonum vitio laborat respiratio, ut in asthmate, orthopneia, pulmonum consumptio, & phthisi, tumores aquosi, & œdematosi pendulum, hydrops thoracis, abdominis, ob structiones, & infarctus viscerum, & polypi in cordis thalamis, præsertim dextro, secessiones feri per alvum, sudores immoderati, facile generentur: cum enim sanguis stagnat in systemate venoso, secedunt facile partes fluidæ a solidis.

## §. XXIII.

Calor corporis a calore sanguinis fit, hic vero a fortiori, & intestina agitacione partium, præcipue sulphurearum, gignitur, quare rectissime colligitur, respirationem, & motum sanguinis per pulmones, non refrigerium sanguini afferre, sed potius ejus calorem intendere.

*Scholion.*

Animadverimus animantia calidiora & quæ copiam sanguinis calidi in venis alunt, pulmonibus gaudere; frigidiora

vero, ut piscium genera, iis desitui, item observamus, quo thorax amplior est & pulmones majoris molis, eo homines esse & calidores, & robustiores, & vivaciores: deinde quo citior est respiratio, ut sit in vocis elevatione & sermone longo, eo magis corpus incalescit.

§. XXIV.

Aeris fluidum atmosphæricum non per transit vesicularum pulmonalium membranas, nec immediate cum sanguine transfeunte miscetur.

Scholion.

Etenim aereum fluidum, vesicis inclusum, neque in vacuo, harum transit poros, multo minus, ubi vasa liquidis repleta sunt & pori membranarum humido obducti, in eos intrabit, præsertim cum impenetrabile aeris fluidum non ullum occupet locum, nisi vacuum ab alio corpore. Deinde aer atmosphæricus cum liquidis non bene miscetur, neque etiam cum sanguine, quia ejus interstitia jam aere per alimenta advecta repleta sunt.

§. XXV.

Quamvis aer in pulmores haustus, non cum sanguine immediate & proxime miscatur, sed rursus expellatur: nihilominus & partes solidæ pulmonum, & ipsis fluor sanguineus, eas percurrens, ab aere inspirato magnam mutationem aperiunt.

Scholion.

Sicut enim aeris fluidum corpus nostrum ambiens & partes ejus solidas & fluidas varie afficit: ita multo magis id perficiet, quando in amplum illud pulmonum viscum ingressum fuerit.

§. XXVI.

Sicut calor & frigus aeris externi liquidum thermometro inclusum multum expandit, vel condensat, subeundo, & vitri, & liquidi poros: ita nullum est dubium, quoniam aer respiratione haustus, prout calidus, vel frigidus est, sanguinem simili modo afficiat.

§. XXVII.

Sicut aer serenus, vivida & expansiva ætheris virtute imbutus, vel vaporum copia repletus ac minori elasticitate donatus, animalia corpora, tam animata, quam ina-

nimata, varie afficit, fibras vel constrin-gendo, vel relaxando; ita nullum dubium est, quoniam serenus aer, fibris bron-chialibus & membranosis nerveis vesicalis tonum, robur, & motum majorem effe-rat, levis vero, & humidus, fibrarunt relaxatione, tonum ac motum immi-nuat.

§. XXVIII.

Quo major tensio membranarum pul-monalium, eo fortior pressio sanguinis, consequenter vegetior circulatio, & calor est.

Scholion.

Animiadvertisimus, ventis flantibus or-ientalibus ac septentrionalibus, qui serenam & compressam atmospharam red-dunt, eamque ab humiditatibus purgant, omnes animi & corporis actiones fieri vegetiores, circulationem, pulsum, calorem & transpirationem quoque intendi: sub atmosphera vero humida, cœlo exi-stente turbido, pluvioso & nebuloso, agilitatem partium & totius corporis, appetitum quoque, calorem & transpiratio-nem etiam minui. Ratio quoque jam facile in pathologicis reddi potest, quare in affectibus pulmonum spasticis, pleuritide, peripneumonia, tussi sicca & convulsiva, asthmate sicco, item in hectica, aere sicco & sereno existente, dolores, angustiae, aliisque symptomata majora fiant, sub-temporato vero, pluvio ac humido cœlo, decrescant eo, quod in illis morbis jam fibræ pulmonum nimis tensæ, & contractæ sunt. Patet porro jam ratio, quare propter imminentem pluviam, aere redditæ leviori & magis rarefacto, homini ac ceteris animalibus angustia, & anxietas circa præcordia, cum spirandi difficultate ac-cedat, quia tenue tali aere, & fibræ varorum, & membranarum pulmonalium, valde relaxantur, & intus contenta fluida expanduntur, unde pressio & refluxus san-guinis ad cor fit impeditior.

§. XXIX.

Aer variis exhalationibus repletus, quamvis non eas immediate cum sanguine misceat, tamen & fluidis ac solidis, præ-sertim pulmonum partibus, vel moxam quandam afficit, vel etiam emollient-

tum afferit, teste virtute sufficiagiorum & contagii morborum.

*Scholion.*

Aer exhalationibus valde sulphureis refertus, membranas & vesiculas pulmonales exsiccat, & glandulosas tunicas constringit, unde pulmonum tabescentia & siccum asthma fit, cui valde obnoxii sunt, qui metalla igne tractare solent, & qui vaporem carbonum fossilium continuo hauriunt. Juvat vero aer, vapore sulphuris blandi, vel balsamico refertus, eos, quibus glandulae bronchiales nimis sunt relaxatae & aspera arteria valde humida. Miasmata vero putrida, & maligna morbosa, cum aere poris corporis nostrri, adeoque succis lese insinuare, in iis maxime partibus, per quas transeunt, experientia proh dolor satis ostendit.

§. XXX.

Respiratio ad recipiendum sanguinem ex corde in pulmones, & ad eum exprimendum in cor, multum facit, hinc auctiori redditia respiratione, circum sanguinis promoveri, facile intelligi potest.

*Scholion.*

Supra dictum est, impulsum sanguinis ad cor, qui fit sub ejus diastole, provocare ejus contractionem sive Systolen, qua fit sanguinis expulsio, & systolen rursus provocare diastolen; hinc sequitur, celeriori facta pressione sanguinis in pulmonibus per inspirationem & expirationem, citationi motu ipsum ferri ad cordis sinistrum ventriculum, & eodem celeritatis gradu vergere per arterias; atque adeo per universum corpus sanguinis circuitus fit velocior.

§. XXXI.

Vociferatione, sermone intensiori, tussi & motu corporis auctiori facto, sanguinis circulus promovetur, adeoque & calor, & transpiratio, fit major.

*Scholion.*

Sanguinem celerius & magis cum impetu fluere ex secta vena sub tussi & aucta respiratione, certa experientia confirmatur, & quia sub labore, motu & exercitio corporis musculi partium constringuntur, &

sanguinem majori in copia ac celeritate urgent ad cor & pulmones, hinc quoque sub motu crescit perspiratio, pulsus fit celerior, & calor ac sudor occupat corpus.

§. XXXII.

Respiratio moltos adhuc fines, & usus secundarios habet, siquidem secretiones, & excretiones facilitat atque secundat.

*Scholion.*

Quoniam in inspiratione musculus diafragmatis deorsum descendit, hinc omnia viscera in abdomen contenta comprimuntur, & abdomen expanditur & compressione muscularum abdominis, exclusio fecum alvinarum, urinæ, foetus, secundinarum, multum adjuvatur.

§. XXXIII.

Multum quoque respiratio ad motum peristalticum ventriculi, & intestinorum, & ad promptiorem chyli in valvulae ingressum, & contentorum per intestina progressum confert.

*Scholion.*

Sub successiva enim inspiratione, & expiratione, muscularum abdominis alternativa compressio, & expansio fit, quo motu subiecta intestina etiam afficiuntur.

§. XXXIV.

Sine inspiratione nec olfactus, nec laetis, vel tabaci suetio, aut liquidorum sorbitio, & sine expiratione nulla loqua, & nullus clamor fieri potest.

*Scholion.*

Nulla quidem attractio, vel suetio datur in rerum natura, sed omnis motus tam solidorum, quam liquidorum, pulsione perficitur. Quando vero inspiramus, majus spatium efficiimus in thorace, quod cum aer gravis ingredi nititur, simul vel liquida, vel fumos in os abripit atque impellit.

## C A P U T VIII.

*De sanguinis circulo per viscera, & varias corporis partes.*

## §. I.

**P**ro differente viscerum partiumque fabrica, & situ sanguinis, circulus differt.

*Scholion.*

Quædam partium a corde remotæ admodum sunt, ut pedes, quædam proximæ, ut pulmones; in quibusdam debet ascendere sanguis, ut in caput, in aliis descendere, ut in pedes visceraque imi ventris, in aliis ejus motus debet ad latera dirigi, ut in renibus, liene; nonnullæ valde molles, spongiosæ & meræ vasculosæ sunt texturæ, ut pulmones & lien, alia firmioris & strictioris, ut uterus; quadam sunt ex meris membranis compositæ, ut ventriculus & intestina, quædam ex meris glandulis conflatae, ut pancreas & mammae. Pro diversimoda itaque partium structura. & situ, secessit est, ut sanguinis motus, & circulus differentem modificationem habeat.

## §. II.

Difficilis est sanguinis motus & ascensio ad caput.

*Scholion.*

Omnia gravia natura deorsum tendunt. Hoc vero eorum motus difficilior est, quo major ascensio ad perpendicularum. Provida hinc natura caput & cerebrum non procul a corde collocavit, ut quo brevior est via, eo validior potentia motrix cordis ad propellendum sursum liquidum sit.

## §. III.

Imminuta igitur & valde languida potentia cordis motrix invalida est ad sanguinem propellendum versus cerebrum, quare in situ erecto facilis est propensio ad animi defensionem.

*Scholion.*

Ubi ingens virium est defectus, qui fit vela nimia sanguinis detractione, vel in morbis malignis aut viscerum corruptione, ibi facile sub erecto corporis situ animi de-

liquia incident. Non semel, sed saepius & iterum, in acutis, quam maxime malignis febris, ex solo erecto situ, animæ defensionem & exinde summum periculum notavimus, toto morbi statu & cursu immutato. In ejusmodi enim malis languida cordis contractio non sufficit debitæ sanguinis quantitatæ ad cerebrum impellen-dæ, hinc subtracto nervis & organis sensoriis fluido, motus & sensus perit. Præstat itaque in omnibus morbis, ubi vires deficiunt, corpora in declivi situ & decubitu servare.

## §. IV.

Peculiaris arteriarum cerebri fabrica monum sanguinis per caput varie quoque modificat.

*Scholion.*

Neque enim ignotum ex anatomicis est, arterias tam carotides, quam vertebræ, antequam calvariam subeunt, deponere crassiorem quam tunicam, & ex tenuibus tunicis more venarum tantum esse contextas, omni procul dubio eum in finem, ut subtilius liquidum ex sanguine per has allato, & separari, & in corticalem & tubulosam cerebri substantiam feliciter penetrare possit, forsitan etiam, ne validior earum vibratio atque impetus, molle cerebri pulpam nimis comprimat.

## §. V.

Ob tunicarum, quibus cerebri arteriæ constant, tenuitatem & minorem resistentiam ac debiliorem elaterem, fit, ut a copia & turgescencia sanguinis, item ab omnibus vaporolis & expandentibus rebus, nimiam dilatationem pati possint, qua earum contractio & systole minuitur, sanguinisque transitus per cerebrum difficilior redditur.

*Scholion.*

Hoc theorema anatomicum non medicamentum in pathologitis ad difficilia explicanda utilitatem habet. Perspicimus enim exinde, quare spirituosa, inebriativa, item anodyna, narcotica, & omnia, quæ exhalationem sulphuream copiosam, tam suaveolentem, quam male olentem emitunt, capiti noceant, & ad pericolosæ sanguinis stagnationes & congestiones in eo disponant, ex quibus postea, tanquam ex

fce.

secundo sinu, dolores capitis gravativi, torpores, stupores sensuum, & mentis, somnolentiae, paralyse, apoplexiæ procedunt. Quando enim ex inferioribus partibus, spasmus constrictis, sanguis plus justo ad caput urgetur, minoremque in arteriarum tunicis resistentiam invenit, harum dilatatio sanguinisque stagnatio fit, ejusque impeditor per caput motus dicta hæc mala procreat. Atque etiam jam clarus perspicimus, qua ratione anodyna, paveracea & ex opio præparata, operationem suam in levandis doloribus & conciliando somno exserant, & quare ad torpores & graves capitatis passiones eorum abusus per quam facile disponat.

## §. VI.

Ad faciliorum sanguinis e cerebro ad cor regessum, sinuum venosorum, qui sub dura matre latitant, structura & venarum jugularium situs, contribuit.

*Scholion.*

Nisi enim dura mater & sub ea latitantes venosi sinus ex tam renitentibus & elasticis membranis essent compositi, sanguinis stagnatio, propter situm cerebri & sinuum horizontalium, longe facilior contingere, quam horum vasorum renitentia & lenior contractionis motus feliciter impedit. Præterea sanguinis ad cor regessum egregie perpendicularis jugularium situs adjuvat. Sanguis enim per has proprio gravitatis motu ad cor descendens, efficit, ut, ne detur vacuum, reliquo ex sinibus tanto promptius succedat; non secus ac in siphonibus recurvis fieri solet, ubi per longiuscrus humor profluens, reliquum in minore cruce, ad eundem effluxum invitat.

## §. VII.

Quemadmodum corporis situs erectus ad faciliorum sanguinis a cerebro ad cor regessum facit: ita horizontalis decubitus eidem resiliit.

*Scholion.*

Patet jam ratio, quare capitatis situs declivior somnum invitet, neque unquam utilis sit affectibus capitis, item somnus meridianus pleno ventre caput ad graves morbos, ex stagnatione humorum oriundos, disponat. Caveant sibi quoque om-

nes plethorici a decliviori capitatis situ. Neque obscura amplius erit causa, quare, si morti vicinis pulvinar subtrahatur, & capitatis situs declivior fiat, mors accelerari possit; redditum enim majori sanguinis stagnatione in cerebro ejusque refluxu ad cor impedito, motus cordis jam languidissimus penitus extinguitur.

## §. VIII.

Ingens illa vasorum in ventriculo, & magno intestinorum volumine copia & repletus, mutuæque tam arteriarum, quam venarum anastomoses, notabilis sunt considerationis, ratione sanguinis circuli per has partes.

*Scholion.*

Quia sanguinea vasa intra harum partium tunicas, tam musculosas, quam nervosas, situm suum habent, in nullis partibus tam prompte states sanguinis inflammatoria & valde funesta, quam in his fieri possunt; siquidem haæ partes membranaceæ majori tono, elatere & robore instructæ sunt, & sensu exquisitiōri pollent. A causa igitur vehementi vellicante, corridente, promittiſſime in spasticas stricturas abripiuntur, quibus vasa sanguinea, non secus ac vinculo, constringuntur, unde fit, ut sanguis motu suo interceptus ibique haren, quam facile in inflammationem & sphacelosam corruptionem abeat. Omnia itaque acriora, & drastica & caustico stimulo agentia, ut sunt validiora vomitoria, purgantia, venena, liquores acidi, corrosivi & acres biliosi, nec ollis corporis partibus tam infesta, & funesta sunt, quam hisce partibus, in quibus certe interitum producere possunt.

## §. IX.

Per hepatis viscus sanguinis progressio difficultis admodum est.

*Scholion.*

Singulari privilegio gaudet hepar præ aliis visceribus, quia magno vase advehente venoso instructum est, quod pulsu caret, vena nimirum portæ, quum ad omnes ceteras partes arteria pulsans sanguinem adducat, quapropter etiam peculiaris est hujus vena structura & optime cum arbore comparari potest, cujus radix in innumeris fibrillas abit, truncus in medio est,

ex quo deinde innumerabiles quoque rami i  
oriuntur. Hæc vena igitur dispersa per  
ventriculum, intestina, mesenterium,  
omentum, pancreas & lienem, recipit  
sanguinem ex arteriis in has partes addu-  
ctum, & in truncum invehit, ex quo postea  
innumeræ ramifications majores, minor-  
es & minimæ in hepar emittit, per quas  
sanguinem ad hoc viscus adducit, & hinc  
arteriæ munere fungitur; quia vero im-  
pulsu deſtituitur, non potest aliter fieri,  
quin tardior sanguinis per hanc venam in  
hepatem sit cursus atque progreſſio.

## §. X.

Difficile sanguinis per hepar iter provi-  
da natura variis adminiculis secundat.

*Scholion.*

Primo venæ portæ in hepatæ existentes  
tunicæ crassiores sunt ac aliæ venarum,  
laxeque hepatis substantiæ annexuntur,  
ut non facile subsideant, concidant, sed  
tubuli & rami magis aperti maneant. De-  
inde motus diaphragmatis, cui firmiter li-  
gamentis magna hepatis moles annexa est, aſcenſionis & descensionis motu in spiratio-  
ne, multum difficilem sanguinis per hoc  
vîcus transitum adjuvat, eo quod conti-  
nua illa succiſione, non facile in vasis san-  
guis restagnet. Tum sanguis ex liene re-  
vertens tenuior, cum crassiori, qui ex in-  
testinis & mesenterio appellatur mixtus,  
transitum ejus faciliorem per tenuissimas  
vasorum ramifications procurat.

## §. XI.

Ob difficultem sanguinis per venam portæ  
& hepar cursum, hæc vena multorum af-  
fectuum chronicorum cauſa est.

*Scholion.*

Cum enim facile in hac vena restagnet  
sanguis, præfertim in iis, qui vitæ ſedentia-  
riae addidi sunt atque falobres corporis  
motus ac exercitationes intermittunt, ip-  
ſeque ad ea viscera, quæ eadem vena tan-  
git, ut intestina, lienem, omentum,  
pancreas, regurgitet, ferales ibi stagna-  
tiones, infarctus & obſtructiones fiunt,  
quæ magnorū morborum chronicorum  
ut hydropis, cachexia; scorbuti, mali  
hypochondriaci, fluxus mensium, & hæ-  
morrhoidum inordinati, genitrices ſunt,  
de qua materia consuli potest *Cl. Stahlii*

*Diff. de vena portæ porta malorum.*

## §. XII.

Est quoque peculiaris sanguinis progreſſio per lienis humani viscus, quia mere  
vasculosum eſt & cellulas habet.

*Scholion.*

Lien humanus nonniſi ~~co~~mpages eſt  
mere vasculosa, ex innumerabilibus, &  
tenuiſſimis vasorum arteriolorum ac veno-  
forum ramifications contexta, ut e-  
gregia eſt *Ruyſchii* anatomica obſervatio.  
Hujus visceris fabrica non alium in finem  
videtur elaborata, quam ut sanguis transi-  
tu per tot myriades vasculorum, non ſe-  
cūs ac in pulmonibus, vel in placenta ute-  
rina, continua attritione intime diſſolva-  
tur, miſceatur & fluidior evadat, quo  
ſanguini, per ramos venæ portæ ex imi-  
ventris visceribus tardius redeunti & cras-  
ſiori affuſus, iſpi fluiditatem ad expeditius  
iter per hepar conficiendum conciliet, unde  
liene in canibus exſecto, hepar indure-  
ſcere, animantia reddi pigroria & obſi-  
ra, multis experimentis anatomicis com-  
pertum eſt.

## §. XIII.

Propter innumerabiles, & tenuiſſimas  
vasorum, quibus lien constructus eſt, ra-  
bitions, nullum vîcus tam facile  
ſanguine infarciri & repleri, ad ingentem  
ſæpe magnitudinis tumorem ſolet, præter  
hoc iſpum.

*Scholion.*

Ad infarctum illum & pefſimam ſanguini-  
nis in hoc viscere stagnationem multum  
facit, quod lien humanus valde tenuibus  
membranis cinctus eſt, quæ, quia minos  
ſanguinis appulsi reſiſtunt, facile cedunt,  
ſanguinisque majorem affluxum & ſubi-  
ſtentiam invitant: deſtructo vero ſic lienis  
officio, ſanguinis circuitus per hepar quo-  
que vitium capit, & ad ventriculum, per  
vasa ſic dicta brevia, regurgitat, quæ,  
cum ſub tenuiſſimis membranis ferpane,  
facile aperiri poſſunt, hinc ſanguinis in  
cavoru ventriculi fit effuſio, & vomitus  
cruentus naſcitur, qui plus feminas, quam  
viros, ob menſes opprefſos, infettiſt.

## §. XIV.

Paſculo tardiori cursu, ſanguis etiam ex  
colo ſiniſtri lateris, ad ramum meſenteri-

rum sinistrum penetrat, propter situm vena splenica & hemorrhoidalis admodum in longitudinem porrectum, & perpendiculari.

*Scholion.*

Stagnatio sanguinis in vena splenica hemorrhoidali, atrocia pathemata, & tormenta colica, praesertim si per venas sedis non exitum habet, procreat, & quia Practici rarius gravissimi ejusmodi doloris causam penetrant, hinc præpostera curandi methodo & remediis carminativis, calidioribus, plus damni, quam emolumenti afferunt.

§. XV.

Difficilis admodum sanguinis per venam portę, & in primis per hepar, transitus, non modo gravissimarum chronicarum in abdomine consistentium passionum fons est, sed & corpora ad hemorrhoidalem fluxum disponit.

*Scholion.*

Ratio est in procinctu, cum enim, obice in hepate posito, sanguis per venam portę non progreditur, & ex arteria mesenterica inferiori novus ad intestinum colon & rectum fertur, fieri aliter vix potest, quin haec vasa, sanguine mirum distenta, tandem in extremis ani partibus rumpan- tur. Illi ergo inepte agunt, qui caussam hujus in quadam naturę sapientia, vel intentione activa, querunt.

§. XVI.

Neque minori difficultate circulus sanguinis per omentum laborat, quia membrana est valde tenuis, fibris motricibus nerveisque destituta, insensibilis, pinguedinosa, quare sanguinis ascensus per venas, ob situm hujus membranę identidem retum & perpendiculari, non sine labore procedit.

*Scholion.*

Quia deficiunt fibrae motrices in omento, hinc motus tonici ope, sanguinis liber eurus non secundatur, & quia facile sanguis in omenti vasis stagnat, hinc in gravioribus chronicis morbis, ex vitio viscerum infimi ventris, ut hydrope, cachexia, plerumque illud corruptum, putrefactum & exelsum deprehenditur, valde que verosimile est, ex lymphaticis omen-

ti ruptis, copiam feri, in malo hydroperico, in cavum abdominis descendere.

§. XVII.

Est quoque ascensio sanguinis per venas spermaticas in primis in viris non adeo facilis, propter earum longitudinem perpendiculari, & quod multas tortuosas flexuras habent.

*Scholion.*

A difficiliori hoc sanguinis, praesertim crassioris, per venas spermaticas regressu, hernia varicosae, carneae & aquosae, circa testiculos enatae, virili sexui non adeo infrequentes sunt.

§. XVIII.

Nequae per uteri substantiam ad modum fibrosam, elasticam, compluribus plicatis & circumflexis valorum ramificationibus instructam, tam promptus sanguinis cursus est.

§. XIX.

Quando propter copiam sanguis per vasa uterina, nimium distenta, non libere fertur & circulatur, obice in venis posito, tunc extrema, in vagina uteri posita vascula, singulis membribus aperiuntur, & sanguis effluere incipit.

*Scholion.*

Quomodo sanguinis menstruus fluxus contingat, id infra fusius deducere volumus.

§. XX.

Admodum vero difficilis est sanguinis reditus ex pedibus ad cor, propter ascensionem perpendiculari, tam remotam a corde.

*Scholion.*

Iam ratio facile inveniri poterit, quare in corporibus imbecillioribus, praesertim a diuturno morbo fractis, item in cachexia, vel gravidis, ubi utero extenso, vasa iljaca comprimi solent, tumores pedum, item varices, quæ nihil aliud sunt, quam insignes venarum tumores, a sanguine intra valvulas contento orti, facile producantur.

§. XXI.

Per nullum viscus sanguis celérius trahitur, quam per pulmones, quia vasa pulmonalia capacissima sunt, & via brevissima est a corde.

*Scholion.*

*Scholion.*

Illa portio sanguinis, quæ intrat pulmones, & ex iis ad sinistrum tendit cordis ventriculum, mediante systole arteriarum, per canales universi corporis tam diffusos distribui debet; unde per nullam partem corporis tota sanguinis massa tam celeriter, quam per pulmones, circumfertur.

**§. XXII.**

Admodum impetuose, & celerimē sanguis per pulmones trahitur, hinc non mirum, vasa interdum minora valde distendi & demum disrumpi.

*Scholion.*

Fit id maxime in hæmoptysi, quando unam pulmonum partem obstructio, aut scirrhositas, aut corruptio, obsidet, dissectionibus hæmoptysi demortuorum identikitibus; utpote cum hæc liberioris sanguinis itineri majorem adhuc obicem ponant, sanguinis copia & impetus ad alia pulmonum vasa ruens, hæc facillime distendit, aperit, atque disrumpit.

**§. XXIII.**

Sanguinis transitus admodum promptus est per renale colatorium, ob viam a corde ad renes brevem, & quod renum pori ac tubuli urinosi valde laxi sunt, unde serum salsum facile absorbetur.

*Scholion.*

Celerimam sanguinis per renes eorumque vasa emulgentia trajectionem, clarissime copia urinæ, quæ brevi tempore post potum largioremittitur, comprobatur: neque enim ulla alia via brevior a ventriculo ad renes adhuc detecta est, quam quæ per vasa lactea ad ductum thoracicum, & ad cor, & postea ad renes, pertingit. Et quia celerimē sanguis per arterias emulgentes in renum substantiam adductus, per venas remeat, hinc necesse est, ut mox aliis, eadem celeritate, sequatur, quo fit, ut urinæ secretio cito peragatur.

**E C A P U T . IX.***De excellenti circuli sanguinis ad conservationem corporis usu.***§. I.**

**P**raestantissimi & plane mirabiles sunt effectus, qui a sanguinis circulo in corpus & animam redundant.

**§. II.**

Circulus sanguinis chylum mutat in sanguinem, sive causa est sanguificationis.

*Scholion.*

Equidem chylus proxima materia sanguinis est: attamen vitæ, nutritioni & actionibus animalibus minus inservit, nisi prius in sanguinem mutetur; quandoquidem ille valde a sanguine differt. Nam chylus, non secus ac lac, ex pinguisibus, aquosis & terreis partibus, quæ facile a se invicem secedunt, est compositus, in sanguine vero ejusmodi partium secessio non observatur; chylus stagnatione, non secus ac lac, acscit, sanguis vero fetet ac putreficit, & sal volatile exspirat. In chylo pinguedo est valde temperata, in sanguine salina & penetrans; chylus est albus & caret gelatina, sanguis vero est succus gelatinosus, rubicundus.

**§. III.**

Ut chylus in sanguinem mutetur, necesse est, ut nexus & unio partium, chylum constituentium, primo dissolvatur, secundo, ut dissolutæ partes rursus de novo, ratione figuræ ac situs, combinentur, sicut textura sanguinis est; tertio, ut partes ad novam hanc texturam subeundam inutiles separantur.

*Scholion.*

Novimus ex philosophia experimentali, corporum diversam formam, virtutes atque proprietates, a situ, figura, & nexus partium dependere, quibus mutatis, mutatur qualitas, & virtus, corporis: si quis itaque unum corpus in aliud velit transmutare, opus est, ut priorem texturam partium dissolvat, de novo vero talem earundem combinationem efficiat, quam

qualem corpus, in quod transmutari debet, obtinet.

## §. IV.

Ut chylus sanguinis naturam induat, animadvertisimus, præter ipsum sanguinem ejusque motum, complura viscera inspirare.

## §. V.

Ut chyli partes a nexu suo liberentur, & intime cum sanguine misceantur, id optime perficitur in pulmonibus.

## Scholion.

Videmus id clarissime, dum sanguis, ex dextro cordis ventriculo emissus, crassus appareat, ipsique chylus supernat, ex sinistro vero spumosus, floridus, & fluxilis redditur.

## §. VI.

Ad eandem partium chyli divulsionem, & intimam cum sanguineis combinacionem, sanguinis transitus per vasculosum lienis viscus multum facit.

## Scholion.

Quod in pulmonibus non perfectum, id ulterius leni absolvit, cuius functio maxime in eo consistit, ut partes sanguinis, & chyli, transitu per innumerabiles vasculorum myriades, in minimas moleculas dividantur, divellantur, atque invicem misceantur.

## §. VII.

Ut chylus sanguinis naturam induat, id optime perficitur in venarum toto sistente, ubi tardior sanguinis est progressio, qua optime partium assimilatio fieri potest.

## §. VIII.

Sicuti portio vini immissa in acetum, diuturna digestione ac maceratione, in illud convertitur: ita etiam chylus, intime cum sanguine mixtus, diuturniori mora, & calore, demum cum ipso confermentatur, inque vasis maxime venosis, figuram, texturam, & situm partium sanguinis assumit.

## Scholion.

Contextus sanguinis est maxime globosus, sive sanguis constat ex minimis globulis, fluido innatantibus, qui perpetuo circa axin motu rotantur. Huic globulorum motui & collisioni quando particulae

alienæ figuræ sese interponunt, tunc prominentia harum facile deteruntur, abraduntur, ut figura identidem fiat globulosa.

## §. IX.

Chylus multas superfluas, & connubia sanguinis repugnantes, aquas nempe, salsas, mucilaginosas, in sinu recondit partes, a diversitate alimentorum desuendas, unde opus est, ut ab earum confortio liberetur, in quod excretiones per omnia emunctoria conspirant.

## Scholion.

Ex dictis jam appareat, sanguificationis officinam perperam a veteribus in hepate, & a recentioribus in corde collocari, neque hujus causam spiritum in corde vitalem, aut peculiare in sanguine fermentum, statui posse; sed præcipua viscera, emunctoria, immo ipsum sanguinem, symbolum suum conferre, ut ex chylo sanguis fiat.

## §. X.

Chylus, dum in sanguinem mutatur, induit colorem purpureum, quide intima partium mutatione, mediante calore, & motu facta, testatur.

## Scholion.

Unde rubedo sanguinis suam habeat originem, supra abunde satis discussimus.

## §. XI.

Ad chyli mutationem in sanguinem, & ipse sanguis, & omnium viscerum functiones, conspirant: hinc consequitur, hisce lassis, cessare quoque sanguinis boni generationem.

## Scholion.

Dissent utique in sanguinis productione natura a natura, corpus a corpore, in nonnullis celeriter ingens ejus copia amissa reparatur, in quibusdam vero valde languide id procedit. Semper vero citius sanguis in corpore spongioso & laxo, exilibus & copiosis venis instructo, quam in gracili, fibroso, ac majoribus, sed paucioribus vasis dotato, producitur.

## §. XII.

Sanguinis circulus causa est caloris in corpore nostro.

*Scholion.*

Calorem esse intestinam partium sulphurearum sanguinis vehementiorem agitationem, vel ex eo cognoscimus, quia, quo progressio & circuitus sanguinis est celerior, ut in febribus, quarum pulsus celer & vehemens certissimus index est, eo magis calor in universo corpore augetur, qui, de-paspando humidum, siccum inextinguibilem vigiliam & marcorem infert; simul ac vero pulsus rursus naturalis fit, & circuli intensio minuitur, calor etiam corpus deserit: cum enim sanguis celerrime per vasa strictiora, & angustiora, propter spasmum febrilem reddit, fertur, partium ejus sulphurearum ad partes solidas major fit attritio, appulso, unde ether in rapidissimum calidum motum conjicitur.

## §. XIII.

Omnia, quæ circulum sanguinis potenter augent, ea quoque calorem intendant; & quæcunque ejus motum retardant, illum minuantur.

*Scholion.*

Quia motu laborioso, corporis exercitatione, vehementi vocis exercitio, aere existente nimis calido, potu spirituoso & volatilebus aromaticis medicamentis, pulsus celerior evadit, hinc quoque ab iis crescit calor; ab humectantibus vero, a papaveraceis, ab acidis & nitrosis, cum pulsus debilior & tardior evadat, calor minuitur, & corpus deserit.

## §. XIV.

Cum calor corporis a sanguinis affluxu dependeat, sequitur, ejus influxu intercepto, partes frigore corripi.

*Scholion.*

Clarissime id conspicimus in principio intermittentium, ubi, ob spasticas cutis structuras, venæ comprimuntur, ut ad summam cutim sanguis pertingere nequeat, hinc frigore & horrore ea afficitur.

## §. XV.

Calor temperatus ad vitam ac sanitatem tuendam valde est necessarius.

*Scholion.*

Quia partes solidas ac rigidas flexiles reddit, poros & vasa expandit ac aperit, & humores, dum fluidas partes cum solidis inter-

Tom. I.

miscet, tenuiores ac fluidiores reddit: quare calor ad perspirationem, ad circumflexum sanguinis per minima vasa promovendum, ad nutritionem quoque, multum facit.

## §. XVI.

Calore dura corpora flexilia reddi, & pores expandi, crassa attenuari & liquari, ut minima spatia ad ductus eo labentius subire possint, chymicis ac physicis experimentis copiose adstrui potest.

## §. XVII.

Calor frigori ambienti resistit, quod vi-tæ & conservationi corporis valde est ini-micum, humores inspissando, pores occlu-dendo & partes flexiles rigidas efficiendo.

## §. XVIII.

Circulus sanguinis est causa secretionum & excretionum, quæ sunt in corpore nostro.

*Scholion.*

Ut corpus, in quo vita celebrari debet, ad debitum augmentum perveniat, & ut succi, motu continuo deperditi, reparantur, opus erat novo succorum recentium apparatu, quo ingestio & digestio alimentorum spe-ctat. Quia vero hæc varii generis succos suppeditant, quorum aliae partes utiles, aliae inutiles ac superflua sunt, hinc illæ in usum secernenda, hæc vero ejicienda. Hinc patet sine secretionibus & excretionibus, corpora animantium conservari non posse. Hæc vero non aliter nisi sanguinis motu perficiuntur, hic enim tam utiles, quam inutiles humores recipit, & utrosque per diversa organa & emunctoria separat.

## §. XIX.

Utiles humores secreti ad conservatio-nem & perfectionem partium corporis no-stri faciunt, & hinc retineri, nec statim ejici debent.

*Scholion.*

Utilissimi humores, qui a sanguine se-parantur, sunt fluidum nervéum, succus nutritius, lympha, semen, lac: humores vero, qui postquam secreti sunt, statim exer-ni debent, sunt sudor & urina; qui vero, post factam secretionem, antequam ejiciantur, egregium adhuc usum atque utilitatem exhibent, sunt saliva, lympha pancreatica ventriculi & intestinorum, bilis & intesti-nalis mucus.

## §. XX.

Omnis secretiones, & excretiones operae sanguinis circuli perficiuntur: hinc sequitur has cessare deficiente sanguinis circulo; nisi enim sanguis ad specifica secretoria, colatoria, & emunctoria per arterias advehatur, nihil fecerni potest.

## §. XXI.

Quo promptior itaque sanguinis ad collatoria est appulus, eo magis secretionis negotium vigeret, & contra.

## Scholion.

Hoc theorema plurimi usus est in praxi. Si quando medicus intendit secretionem ullius humoris utilis, vel excretionem nocturnam promovere, necesse est, ut respiciat ad collatoria & ad sanguinis versus has partes appulsum.

## §. XXII.

Sanguinis circulus est praecipua causa nutritionis & augmenti corporis.

## Scholion.

Mediante enim motu progressivo, succus nutritius per arterias ad partes adducitur, iis apponendus: deficiente itaque hoc motu, necesse est, partes alimento suo defraudari. Deinceps augmentum & incrementum corporis partium dependet maxime a repletione omnis generis tubolorum, quae fit a succis, quibus exinanitis, concidit & subdet substantia partium, & marcor fit.

## §. XXIII.

Sanguis ejusque circulus est omnis agilitatis & roboris causa.

## Scholion.

Robusta illa corpora dicimus, quæ majoribus musculis praedita sunt, & quæ multum in attollendis ponderibus valent, magnos labores ac motus perferre possunt, neque facile a causa externa afficiuntur; imbecilla vero ea sunt, quæ minus laboris ac motus sustinere valent, parum roboris in musculis habent & quam facile a causa externa afficiuntur. Jam vero deprehendimus robustiora corpora majora vala, cor capacious, nervos validos & sanguinem copiosum habere, præ imbecillioribus, quæ habent va- fa tenuia, angusta, cor minus, teneros & exiguos nervos, parum sanguinis in venis aliunt. Robur itaque corporis perit, sanguine plus iusto, sive per motum, sive per inedia, absunto,

crescit autem robur partium, appetitu reddito.

## §. XXIV.

Præcipius quoque sanguinis circuli usus atque effectus est, ut corpus animale, in se & sua natura valde corruptibile, ratione suæ mixtionis ac structuræ, salvum ac integrum conservetur, & a mortifera putredine vindicetur.

## Scholion.

Circulus sanguinis vitalis est; quamdiu is in corpore vigeret, tamdiu dicitur adesse vitam, & tamdiu etiam universum corpus omniesque ejus partes a putredine immunes sunt: simul ac autem is extinguitur, corruptio & mors adest. Hæc latius deducta videtas in superioribus.

## §. XXV.

Continuus sanguinis circuitus avertit omnia ea, quæ fluida in motum putredinosum dissolutorum conjicere apta sunt.

## Scholion.

Putrescent & corrumpuntur corpora liquidula corruptibilia, in quiete constituta, ab aere externo calido, qui motu suo intestino, nexus partium male coherentium dissolvit. Quandocunque vero sunt in perpetuo motu progressivo, tunc ejus vel minimæ partes circa axin suam perpetuo rotantur, sive intestina motione agitantur, qui motus internus aeris, & ætheris actioni externæ resistit. Hinc videmus vina generosa & spirituosa, ob intestinam partium agitationem non vappescere, quæ vappescientia corruptiva & tenacitas, sola agitatione & conqualificatione, impediri potest. Ejusmodi agitatione & ventilatione etiam putredo a vegetabilibus in acervum congestis arcetur. Avertit quoque sanguinis circulus putredinem a sanguine, dum partes fermentescibilis agilissimas & heterogeneas perpetuo separat; ut est latex salivalis, bilis, urina, materia perspiranda, quæ si remanent, & impurum, & corruptibilem sanguinem reddunt.

## §. XXVI.

Libera perspiratio sanguinem omniaque fluida a putredine defendit.

## Scholion.

Quia motu progressivo sanguinis partium intestinas calidus augetur, & multæ particulae subtiliores, calidae, salinæ, sulphureæ, agilissimæ indolis gignuntur, quæ exspirari, & fo-

& foras propelli debent, ne motu suo texturam temperatam sanguinis invertant: inde insignis transpirationis usus, ad conservandam genuinam sanguinis texturam, clarissime appareat. Et discimus exinde, non dari me liorem viam ab imminente putredine, & corruptione sanguinem defendendi, quam liberiori transpiratu reddito, quod in febribus omnibusque morbis malignis & qui ab impuritate nascuntur, ut scorbuto, lue venerea, magno usui esse potest.

## §. XXVII.

Neque datur praesentius, ad omnes præcavendos morbos, præsidium, ac liber sanguinis & humorum circulus.

## Scholion.

Quodsi enim morborum, tam acutorum, quam chronicorum, primordia atque origines exquisitiōri paulo indagine exploramus, deprehendimus, sanguinis & humorem statas, stagnationes, minimorum vasculorum obstructions & excretiones, maxime vero omnium perspirationem impeditiorem, eos progignere. Cum vero sanguinis liber motus ac circulus has causas omnes avertat, facile intelligitur, in eo maximam efficaciam adversus ingenerandas morborum materiales causas sitam esse.

## §. XXVIII.

Circulus quoque sanguinis est illa toties decantata natura veterum, optima morborum medicatrix.

## Scholion.

Veterum sagaciissimi, & experientissimi medici, quia perspiciebant, homines periculose ægrotantes, sine ullō medico & medicina, feliciter sive per sanitatem recuperasse, ac si ipsis usi fuissent; non sine ratione alseverarunt, naturam corporis humani esse optimā morborum medicaricem, cuius ductum & viam medicus sequi-debeat. In quonam vero hæc natura consistat, ob defectum anatomæ, & minus cognitam machinæ nostræ structuram & motus vitales ignoratos, neutrāquā comprehendere poterant: nostro vero tempore, cum beneficio diligentioris anatomæ, atque experimentalis ac mechanicæ physicae, motuum naturæ, & causæ clarissimæ, constanter asserimus, naturam illum, cui tantas ascriperunt, in curando, & conservando corpore vires, nihil aliud esse,

quam sanguinis liberum circulum, qui in morbis, præsertim febribus, ad auctus, statas, & stagnationes humorum removet, spasticas strictruras partium aperit, humorum tenacitatem dissolvit, eorumq; nimiam quantitatem motu imminuit & per collatoria omne superfluum excludit. Neque alia chro- nicas passiones expugnandi excogitari potest via, quam ut per medicamenta sudorifica & aquas medicatas salubres, atque detexta medicinalia, motus sanguinis & humorum ungaatur, ut fluxiles reddantur, quo ad apertis poris, massa sanguinea ob omnibus excrementiis sordibus purgetur.

## §. XXIX.

Sanguis bonus & temperatus, per cerebri vasa translatus, vigorem & robur animo infert.

## Scholion.

Attenta & crebra experientia compertū habemus, quod præsentia animi & moderatio affectuum, ingenii quoque vigor, & maximum partem a sanguinis laudabili per cerebrum cursu moderationi, dependeant: nam simul ac ille immoderationi fit ac nimis celer, proclivitas ad præcipites animi affectus, iram, rixas nascitur: si nimis velox est, torris metus subicit, ut videmus in febribus; si sanguis nimis paucus, ad timorem & terrorem fit proclivitas, si tardius movetur, mœstitia & angor, mentem occupant.

## §. XXX.

Diversæ animi inclinationes ad virtutes ac vitia plurimum a sanguinis circulo per caput dependent.

## Scholion.

Hinc petenda est ratio, cur temperamen- tum corporis sequantur animi mores. Observamus ad ideam motus sanguinis fieri actiones sic dietas animales. Cholerici, in quibus sanguis celerius transcurrit, ad temeritatem, ambitionem, fictiones, seditiones, iniurias, odia ad modum proni sunt. Sanguineri, in quibus placidior & facilior sanguinis cursus est, ad voluptates, luxuriam, otium, libidinem & omnia, quæ lessus delectant, valde sunt proclives. Phlegmatici, in quibus sanguinis cursus ad modum languidus est, ad focordiam, pigrimiæ, sordiditatem, turpitudinem inclinant & nihil estimant. Melancholici, in quibus sanguinis motus est tardius,

funt valde timidi, suspiciosi, pertinaces.

§. XXXI.

Non modo temperies & motus, sed & copia sanguinis, animi dispositionem, & operationem varie modificat.

Scholion.

Sicut longe diversa est ratio, aliisque effectus motus, si major, ac si minor corporis moles movetur: ita etiam in corpore nostro alia vis in animum a motu sanguinis copiosi, alia a motu parvioris redundat, id eoque observamus, si cholericus sanguine abundant, omnes ejus animi actiones vehementiores atque potentiores esse. Quare magus robur, vigor, animositas, soliditas, constantia & vehementia in agendo animo increasit, quæ omnia non parum remittunt, si exilio sanguinis in venis copia existit. In melancholicis, si copiosior & crassior sanguis per cerebri membranas earumque minima vascula fertur, magna idearum fixitas, firmior rerum impressio, & major in agendo pertinacia producitur. Sanguinei, sub majori sanguinis abundantia, magis sunt voluptuosi, magis ad libidinem excitantur, & animositas in animo crescit: si vero minor copia vasa perluit, timidi, fluctuantes, inconstantes evadunt.

§. XXXII.

Sicut sanguis copiosus & crassus, ad fortitudinem & robur corporis: ita tenuis & parcus, ad timiditatem & subtiliorem sensationem disponit.

Scholion.

Egregia sunt, quæ circa hanc rem tradidit Aristoteles lib. II. de partibus cap. 4. ita scribens: quorum animalium sanguis fibris multis & crassis resertus, illa animosa & suribunda sunt: solida enim omnia, quando calefacta sunt, vehementissime calefaciunt, ex quo fit, ut tauri & apri animosi, iracundi, suribundi que sint, sanguis enim eorum fibris resertus est. Et idem gravis auctor lib. II. de partibus animalium cap. 11. prodidit: sanguinem crassorem & calidorem ad efficiendum robur concurrere, sed non ad intelligentiam,

tiam, tenuorem vero obtinere vim plenioram sentiendi ac intelligendi.

§. XXXIII.

Sanguinis itaque circulus, non modo animam cum corpore connectit, sed & illius operationes dispensat.

Scholion.

Salvo & incolumi sanguinis circulo, actiones vitales & animales recte sese habent & legitime procedunt, homo videlicet percipit, videt, audit, cogitat, & ratiocinatur, simul ac vero circuitus sanguinis minuitur, cessat, vel plane extinguitur, protinus etiam sensus, memoria, vis imaginandi, & ratiocinandi minus recte sese habent, vel plane intercidunt. Quicunque itaque cupide desiderat, ut diu anima in hoc terreno corporis domicilio commoretur, & operationes suas perficiat, is eo omnem curam dirigere debet, ut circulus sanguinis & motus vitales, qui eum dispensant, maneat salvi, quod optimè bona diæta perficere poterit: & quicunque etiam mentem sanam in corpore sano conservare vult, is sanguinis temperatum motum ut reddat, curam diligentiamque impendat. Optimè enim Hippocrates k. de flat. §. 20. prodidit: opinor, inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem; qui ergo, cum in constanti habitu persistit consistit & prudentia sanguine vero permutato, concidit etiam prudentia. Videmus id in temulentis per ebrietatem, ubi aucto repente sanguine, percellitur animus & in animo prudentia, fuit præsentium malorum obliviosi, & futurorum bonorum spe beantur. Et notabile est, quod prodidit Democritus in quadam ad Hippocratem epistola; augescit, inquiens, intelligentia præsenta sanguine, cuius præsentiam habere, honestum est eos, qui recte sentiunt. At ubi corporis habitus agrotat, nec mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem: morbus præsens animum vehementer obscurat, & intelligentiam in consensum trahit.

PHILOSOPHIÆ  
CORPORIS HUMANI  
LIBRI PRIMI  
SECTIO II.

*De actionibus naturalibus, sive motibus secretoriis, & excretoriis,  
chylum sanguinem, & succum nutritum perficientibus  
ac depurantibus; item de generatio-  
nis negotio.*

CAPUT I.

*De motibus, & organis secretoriis, & ex-  
cretoriis in genere.*

§. I.

**A**ctiones naturales ex dicuntur, quæ ad naturam corporis nostri constitutendam, & perficiendam faciunt, sucos congruos, pro nutritione partium fluidarum & solidarum, reparando.

§. II.

Actus & motus vitales, nec salvi, nec diurni esse possunt, sine actibus & motibus naturalibus, quibus commoda materia, pro nutrientis & augendis partibus corporis, fluidis ac solidis, preparatur atque perficitur.

*Scholion.*

Actiones, & motus vitales sunt systole & diastole cordis atque arteriarum, & thoracis constrictio, & dilatatio, quibus sanguinis non interruptus fit circuitus, quo omnis corruptio a corpore, in se putrefactibili, arcet: actiones vero naturales ex vocantur, quæ naturam corporis nostri conservant, id est, quæ partibus, tam solidis, quam fluidis, ut augescant ac reparentur, congruum succum

*Tom. I.*

atque materiam ex alimentis subministrant.

§. III.

Universa œconomia actionum naturalium maxime in secretionibus & excretionibus consistit, quibus utile ab inutili secernitur, & illud in usum conservatur, hoc vero foras ejicuntur.

*Scholion.*

Quemadmodum operationes, quæ perficiuntur in universa rerum natura, synæresi & diæresi, sive conjunctione & separatione potissimum fiunt: ita etiam hisce duabus naturæ instrumentis, salva potissimum & incolumis manet totius corporis nostri œconomia; quandoquidem natura nostra microcosmica semper est occupata, ut utile ab inutili discernat, illud cum aliis uniendo, hoc vero foras ejiciendo. Ita in ventriculo & intestinorum catali, virtute succi salivalis fermentativa, & accessu bilis in duodeno, alimenta dissolvuntur, utilis, & chylosus succus ex iisdem extrahitur, & postea per publicum illud collectorum, tunicam nempe intestinalum villosam, secernitur, & cum sanguine demum miscetur. In extremitatibus & poris vasorum, succus γλεχυός, pro nutrientis, & augendis partibus solidis, separatur. In cerebro tenuissimum fluidum, ad motum & sensum præstandum,

E 3 a san-

a sanguine arterioso sequestratur: in testuum virilium canaliculosa textura liquor seminalis, gelatinosus, subtilissimus, ad corporis propagationem, secedit; in mammis, chylus pro nutritione infantum, a sanguine segregatur; tenuissimum, & fermentativum liquidum, in glandulis salivalibus & in pancreate, pro intima alimentorum dissolutione, elaboratur: serum salino-sulphureum, viscidum, quod bilis nomine vent, in hepatis tubulo solo viscere, ab advecto per venam portae sanguine secernitur ad pleniorum chyli elaborationem: inutiles vero alimentorum reliquæ & feces per alvum expurgantur; serum superfluum fassum, crassum, per tubulosam renorum substantiam; vaporosum autem subtilius & aquosum, fasso-sulphureum recrementum per transpirationem, & cutis ductus ac glandulas separatur atque ejicitur; & mucositas denique superflua per glandulosas narium, bronchiorum & intestinorum crassorum tunicas utilissime sequestratur & foras ejicitur.

## §. IV.

Secretio liquidorum, vel sine interventu certorum organorum, quæ glandulae sunt, sive machinae secretoriae, vel eas cum ope perficitur: illa in succi nutritiæ & lymphæ secretione locum habet, hæc vero, quæ fit per glandulas, circa reliquos omnes secernendos & excernendos humores occupata est.

## §. V.

Glandulae duplices generis sunt, vel simplices, seu conglobatae; vel compositæ, seu conglomeratae, ex multarum glandularum acervo aggregatae.

## §. VI.

Simplices, ex fibris elasticis motricibus, & circularibus conflatae, non separant, sed lymphæ, & chylo transeunti impulsu prestant: compositæ vero humores sequestrant, ita, ut singulae glandulae canalem minorem habeant, quo continuato, canalem majorem constituant; hinc ubi glandulae sunt conglomeratae, ibi vasa quoque excretoria conspiciuntur.

## §. VII.

Secreti humores mirum inter se differunt, sicut apparet in saliva, bile, nervorum liquido, urina, muco, sudore, semine & lacte; hinc secretio, quæ fit per glandulas, non potest esse una eademque; unde non immerito hujus diversæ secretionis ratio querenda est.

## Scholion.

Nonnulli causam hujus differentis secretionis collocant in peculiaribus partium fermentis, præcipitantibus, vel assimilatoriis; nonnulli in certa canaliū figura, quæ nihil, nisi quod cum ipsa respondeat, admittat: sed, ut nostra fert sententia, admodum fallantur: siquidem nec fermentorum existentia, vel constantia in canaliculis, per quos perpetuo transit liquidum, multo minus eorum specificus in secernendo effectus, intelligi potest. Neque liquidum secernendum peculiarem & constantem orificiorum, & canaliū figuram desiderat, sed diversissimæ naturæ liquidum in omnia canaliū orificia transit ac penetrat, modo sint satis ampla, & consistentia humorum secernendorum respondeat.

## §. VIII.

Diversitas secretionis rectissime a diametro & amplitudine canaliū, majori, vel minori, deducitur.

## §. IX.

Angustissimi canales nullum alium fluorem admittunt vel recipiunt, quam tenuissimum, qui ferri per has angustias posset: unde, qui crassioris est indolis, remanere debet.

## §. X.

Ampliores canales crassis humoribus transfluit præbent.

## §. XI.

Quum per canalem ampliorem non modo crassus humor, sed & tenuis transfluit, hinc utique colatoria glandulosa, laxioris consistentiae, præter humores crassos, tenues etiam admittunt.

## Scholion.

Bilis & mucus sunt humoris crassioris consistentiae, nullumque dubium est, quin vasa secretoria in hepate etiam simul lymphæ

phæ transgressum præbeant; quæ tamen de novo per alios angustos canales separantur: hinc facile diluescit ratio, quare in iis locis, vel visceribus, ubi humores crassi separantur, ut in hepate, palato & duodenarium, copiosa lymphatica vasa conspicantur.

§. XII.

Diversorum humorum secretio a diametro & amplitudine canalium secernentium dependet, quare consequitur, angustos canales, si præter naturam ampliantur, fluida crassioris etiam consistentia suscipere posse.

*Scholion.*

Hoc theorema magni usus in praxi medica est: observamus enim, angustis canalibus a copioso humorum affluxu præter naturam ampliatis, ingentem copiam crassiorum etiam liquidorum secerni. Quanta enim copia crassioris sputi in tussi humida per tunicam bronchiorum glandulosam ejicitur? subcute positæ glandulæ, in hecticis & debilitatis nimium relaxatae, etiam admittunt illud serum, quod urinæ materiam constituit, quæ tunc pauca redditur. Glandulæ genitalium, tam in feminis, quam in viris, ab humorum affluxu nimium relaxatae, ingentem, & copiosam viscidam materiam ejiciunt, quod in gonorrhœa, & fluore albo conspicitur.

§. XIII.

Per canales nimis apertos etiam liquidum tenue, in sanguine contentum, quod fluido nerveo materiam subministrare potest, simul transfluit. Ex eo jam! liquida ratio est, quare sub diuturnis, & copiosis excretionibus, vires tam motrices, quam facultas sentiendi & cogitandi, detrimentum capiant.

*Scholion.*

Apparet hoc ipsum in longis diarrhoeis, sudoribus copiosis, nimio salivæ profluvio, item effusione seri in cavitatem thoracis, & abdominis, gonorrhœa, fluore albo, diurna lactatione.

§. XIV.

Quando pori emunctoriorum laxiores, qui crassioris texturæ humores transmitunt, valde angustantur, quod maxime

fit in spasmis; tenuestantum & aquosos, remanente crassiori portione, recipiunt.

*Scholion.*

Videmus id clarissime in affectibus spasmodicis, qui, renum vasa secretoria coarctantes, efficiunt, ut urinæ tenues ac aquosa mingantur. Ab ipsis spasmis si ductus biliosi coarctentur, materia biliosa manet in sanguine, unde color cutis & faciei flavescens, qui ab iracundia sæpiissime fit, nascitur.

§. X V.

Ampliantur ductus secretorii & excretori in glandulis a copioso sanguinis per arterias ad has partes affluxu & impulsu, si quidem glandularum tubuli nonnisi continuati extremarum arteriarum ductus intorti ac involatis sunt, unde non mirum, arteriis dilatatis, hos ductulos etiam dilatari.

*Scholion.*

Hæc theoria eximiam lucem in praxi medica accedit, & rationes subministrat, quare venæ sectiones, purgationes, & derivationes humorum per pediluvia, multum faciant ad nimias excretiones cohendendas.

C A P U T II.

*De nutritione & succo nutritio.*

§. I.

**N**utritio est actus, ejus beneficio non modo corpus humanum producit, & ad conveniens augmentum pervenit, sed & continuo reparatur ac restituitur.

§. II.

Sine nutritione, neque generatio corporis, neque ejus perfectio, duratio & vita consistere potest.

*Scholion.*

Generatio enim corporis nihil aliud est, quam minutissimi corpusculi, quod jam in semine delitescit, extensio, quæ secundum longitudinem, & latitudinem & soliditatem, antequam ad perfectionem veniat, ad multos annos se extendit, & tunc dicitur austio.

## §. III.

Non tantum partes solidæ, verum maxime etiam fluidæ, continuo nutrimento & jugi reparations opus habent.

## Scholion.

Intestinus ille calidus sanguinis motus, qui a motu continuo progressivo maxima ex parte dependet, ejus est naturæ ac indolis, ut perpetuo in partes liquidas & etiam solidas corporis agat, eas separando, dissolvendo, immutando; unde animadvertisimus, sanguinem & humores temperatos & benignos, validiori calore, ut videmus in febribus, penitus fere, progressu temporis, in excrementsalino-sulphurea viscidæ converti posse. Et uter homo alimentis plane, insipidis & salfedinis expertibus vescatur nihilominus, & sudor, & urina, & alvina excrements, copiosis particulis salino-sulphureis scatentur.

## §. IV.

Cum calor continuo temperatos succos consumat, utilesque in inutiles atque excrementitios convertat, opus utique est, ut in horum locum nova semper temperatorum accessio fiat.

## Scholion.

Quare ingens vita in morbis periculum imminet, ubi calor præter naturam div affligit, & omnis appetitus extintus est.

## §. V.

Sanguis & humores quotidie consumuntur & restituuntur.

## Scholion.

Quando cibus non assumitur, aut non recte coquitur, universum inde corpus emaciatur, adeo, ut præter fibras & vasa, in partibus vix quicquam maneat, cum contra cibo sufficiente assumto & bene concocto, turgida & succi plena fiant. Et cum ex alimento succi & sanguis generentur, idque quotidie, certum est, nisi iterum consumerentur, eos in ingentem nimis copiam brevi excrescere debere; quod tam non accedit.

## §. VI.

Nutritione etiam partes spirituosa, & quæ vires sustinent, restituuntur.

## Scholion.

Diurna inedia vires admodum consumi extra dubium est, quæ, alimento bo-

no & spirituoso assumto, subito increscunt & reparantur; ex quo clare intelligitur, robur & vires corporis nostri a partibus subtilioribus alimenti potissimum proficiunt, quemadmodum etiam videmus, & medicamentis, & alimentis, a morbo, vel alia ex causa deperditas vires, reparari.

## §. VII.

Suceus, qui partes solidas corporis nostri nutrit, & auget, easque amissas reparat, fluidus, gelatinosus, & temperatus esse debet.

## Scholion.

Sicut omnes partes corporis nostri solidæ carnes, ossa, omni sapore carent: ita etiam nutrimentum valde temperatum desiderant, in quo nulla excessiva qualitas eminet: & hujus indolis est gelatina.

## §. VIII.

Membranæ, cartilaginiæ, ossa, carnes animantium decenti coctione, in gelatinum, diaphanum succum dissolvuntur; unde recte concluditur, in quod quid resolvitur, ex illo etiam constat.

## §. IX.

Animadvertisimus prima animantium rudimenta a succo lymphatico, sive albume ovi, incrementa fumere, & embryones ac pullos, in aqua tepida, in liquamen pellucidum penitus dissolvi.

## Scholion.

Rectissime hinc concludimus; ex quibus constamus & generamur, ex iis etiam nutrimur.

## §. X.

Gelatinosa alimentorum substantia, quæ in sanguine continetur ac bene elaborata est, est vera nutriendarum partium materia.

## Scholion.

Quare observamus in robustis corporibus sanguinem admodum gelatinosum: eorum vero, qui tabe vel fame pereunt, sanguis nimis fluidus est, & gelatinoso concrescibili succo caret.

## §. XI.

Sanguinis itaque diaphana, non rubicunda portio, nutrit.

## Scholion.

Sanguinis rubicunda portio non transcedet die

dit suos alveolos, arterias, & venas, neque in porosam fibrarum, quæ stamina omnium partium sunt, substantiam vertitur. In fame enectis vasa adhuc plurimum liquoris rubicundi, sed minus concrescibilis, continent. Neque color muscularum rubicundus est ipsis naturalis, sed dependet a sanguine interfluente, quo, per aquam cum siphone injectam, eloto, omnes fibræ carneæ albidi coloris sunt.

## §. XII.

Neque chylus proxima nutritionis materia est, quia nondum satis elaboratus, sed multis aqueis, superfluis, falsis, a quibus liberari debet, particulis, adhuc sciatet.

## §. XIII.

Quamvis chylus non abeat in partium solidarum substantiam, tamen oleosa ejus, & pinguis portio materia pinguedinis est, qua copiosæ corporis partes interius sæpe perfusa sunt.

## Scholion.

Pinguedo in animantibus sacculis inhæret membranaceis, qui sanguiferorum vasorum ramificationibus, tanquam uvæ rameis, adhærent: & ex portione chyli oleosa originem trahit, quæ ex tenuissimis arteriolarum orificiis exsudat, inque membranis caloris expertibus densatur, atque concrescit. Quicunque itaque copiam chyli pinguis generant, insuper temperamento calido, ac humido gaudent, corpus parum exercent, & tranquilla mente utuntur; ii facile pinguescent.

## §. XIV.

Quia materia nutritionis est gelatinosus succus, hinc alimenta, quæ copiam gelatinæ continent, nutritioni admodum idonea sunt, quæ vere parum gelatinosæ substantiae complectuntur, nutritioni quoque minus apta existunt.

## Scholion.

Carnes itaque juniorum animalium foeculentæ, bovinæ, vitulinæ, vervecinæ, gallinaceæ, pulli, ova quoque, & ex illis parata juscule, celerem nutritionem efficiunt, & sanguinem morbo affutum, vel extra largissime effusum, celerime restituunt; hinc Gallorum natio, quæ hoc viatu delectatur, ad largas, &

crebras admittendas sanguinis emissiones apta, & promptissima est. Patet porro ex dictis ratio, quare alimenta ex plantis, vel vegetabilibus, si femina exceperis, desumpta, parum nutrient.

## §. XV.

Quia auctio est expansio partis quoad omnem dimensionem, hæc vero fieri nequit, nisi succus nutritius omnes poros subeat, & fibris apponatur; non potest autem eos subire, nisi valde sit subtilis, motu, & pressione intus adigatur; neque potest assimiliari nisi sub quiete: ergo ad nutritionem absolvendam opus I.) est subtilitate partium, materiam nutritiam constituentium; opus quoque II.) est calore, ac motu, quo materia intrudatur; denique opus est III.) quiete, ut apponatur.

## Scholion.

Observamus in vegetabilium nutritione, aquam pluvialem, quæ omnium levissima, & subtilissima est, optimam esse, siue velimus per tempus virides plantas, vel flores conservare, opus est, ut quotidie aquam renovemus, ex qua tantum subtilem, & delibatissimam partem recipiunt, relicta inutili crassiori, quæ facile putreficit. Novimus quoque, albumen ovorum esse veram nutritionis pullorum, ovis inclusorum, materiam, quod ex tenuissimis partibus constare debet, alias calore non ita resolvi posset, ut minimas in semine latitantes partes subire, atque expandere posset.

## §. XVI.

Ad tenuitatem succi nutriti conciliandam multum nos facere arbitramur liquidum nerveum, quod lymphæ in glandulis passim affunditur, quæ spirituose materiae conveniens est vehiculum.

## Scholion.

Spirituosum, & simplicissimum cerebri, ac nervorum fluidum materialiter quoque omnibus corporis nostri partibus esse admixtum vero est simile, unde ab omni generis excrementorum nimia profusione ingens nascitur debilitas: deinde observamus, nutritionem non bene procedere eorum partium, vel corporum, quæ virtus cerebri, vel nervorum laborant.

## §. XVII.

## §. XVII.

Ut nutriatur pars, sive majorem solidatem acquirat, opus est, ut motrice quædam vi succus in poros partium adigatur; unde videmus, calorem ad omnem nutritionem esse necessarium, qui elæstica, & expansiva vi poros partium aperiat, & succum nutritium in minimas moleculas dissolvat, easque in fibrarum minima intrudat.

## Scholion.

Quod vis quædam elæstica, potenter movens, ac expandens, ad nutritionem sit necessaria, velex eo dijudicamus, quod radices arborum, lapidum commissuris infixæ, succrescentes, horum pondere in incremento non impedianter, ut potius ipsas fissuras dilatent, ponderosæ fæpe lapides findendo, diruendo, & submovendo.

## §. XVIII.

Mediante pulsu, & iœtu arteriarum, succus nutritius, qui lympha vehitur, per extrema vasorum, & poros arteriarum lateraliū secernit, postea fibras intrat, quas nove quasi rigat, & perluit, redeunte, per vasa lymphatica, materia aquosa, & superflua gelatinosa.

## Scholion.

Apparet exinde, sanguinis circulum esse medium, quo advehitur succus nutritius ad partes, unde ligata arteria ex toto nutritio partis perit.

## §. XIX.

Ad convenientem partium nutritionem non tantum impulsus sanguinis, ac succi nutritii necessarius est: sed requiritur quoque, ut pars nutrienda decenti tono, ac robore gaudeat, quo succi alibilis debita admittio, & superfluarum fiat exclusio.

## Scholion.

Tonus, & robur partium, utique bona nutritioni admodum inservit, quia, si nimium constricti sint pori, ut sit in spasmis, nihil admittitur, si nimis fuerint laxi, ut in cachecticis, & paralyticis, valde crassas, ac mucidas recipiunt, unde cito quidem caro, sed non bona concrescit, quod in partium externalium vulnerationibus saepius animadvertiscit.

## §. XX.

Ut liquidum solidis apponatur, quiete opus est, qua optime fit partium coagmentation, atque concretio.

## Scholion.

Perspicua hinc fit ratio, quare animata æque, ac homines cito, & largiter nutritantur, & accrescant sub somno, & quiete, præsertim corpore existente spongioso, & sub laudabili iœtu: item quare sub labore, & motu graviori, vigilia, nec non sub fœtore sanguinis commotione, corpus decrescat, & nutritio minuatur.

## §. XXI.

Corpora juniora facilis nutritiuntur, & incrementum capiunt, quam senilia, quæ potius decrescent: in illis enim pori sunt ampli, partes flexiles, & facile succos recipiunt; in senibus vero fibre sunt contractæ, earum spatia inanita, poris coarctatis, & partes nimis rigidæ, vel duræ, fluidi nervi, sanguinisque, & succi nutritii minorem quantitatem admittunt.

## Scholion.

Ex dictis. jam facile fluit, quod ii, quorum corpora adolescere debent, copiosius desiderent nutrimentum; senes vero, & qui partes valde rigidas habent, parciori contenti esse debeat.

## §. XXII.

Quia nutrimentum dulce, ac temperatum esse debet, hinc existente sero valde impuro, excrementitio, non laudabilis fit nutritio.

## Scholion.

Ostendunt hujus theorematis veritatem omnes cachectici, scorbutici, cacoehymici, item ad extremam senectutem perduiti, quorum serum, ob occlusa emunctoria, & excretiones imminutas, valde salsum, ac impurum fit.

## C A P U T III.

## De lymphâ, ejusque motu, &amp; usu.

## §. I.

**L**ymphaticus quoque humor secernitur ab arterioso sanguine, & est liquor dia-

diaphanus, aqueus, subtili gelatina imbutus, qui peculiaribus vasis, dictis lymphaticis, ac pellucidis, ab ambitu corporis, & substantia partium ad cor revehitur.

*Scholion.*

Lympha multum convenit cum succo nutritio, quinimo originem suam ex hoc mutuatur; siquidem ejus fluxilis, & nimis aqua portio est, & recrementum quasi nutritionis. Lympha vero, quæ in lymphaticis vasis vehitur, non nutrit, quia vasa hæc revehunt a partibus, non autem advehunt: sed potius est vehiculum sanguinis.

§. II.

Duplex est origo vasorum lymphaticorum; quedam ex ipsis arteriis prodeunt; alia ex porosa, & cellulosa partium substantia nascuntur.

§. III.

Arteriæ, postquam in minimas ramifications distributæ fuerint, tandem, pulsatione cessante, in duplicitis generis canales reflexos abeunt, & hi, qui sunt majoris diametri, portionem sanguinis crassiorum, & rubicundiorum recipiunt, qui minoris vero sunt amplitudinis, tenuerunt, & fluxilem lympham, sive aquam sanguinis partem, suscipiunt.

*Scholion.*

Quod arteriæ in vasa lymphatica terminantur, vel ex eo dilucelcit, quia flatus, vel liquor, aut argentum vivum, siphone per arterias immissa, experimento *Nuckii*, & *Malpighii*, non tantum per venas, sed & per vasa lymphatica partium transirent.

§. IV.

Lymphatica, quæ ex partium substantia oriuntur, aquosam succi nutritii partem resorbent, ac revehunt ad cor.

§. V.

Quia lymphatica vasa ex substantia partium nascuntur, quæ ibi subsistentem aquosam partem revehunt: hinc dari ratio potest, quare ab usu fortiorum purgantium, vel diureticorum, in cachecticis, copiosum humidum ibi subsistens in hos canales resorberi, & per intestinorum glandulas expurgari possit.

§. VI.

Quia vasa lymphatica recipient aqueum & fluxilem humorem ex sanguine arterioso, hinc facile perspicitur ratio, quare in iis locis, vel partibus corporis, ubi regressus sanguinis per venas valde est difficilis, copiosa vasa lymphatica reperiantur, ea que facile intumescant, in hydatides explicitur, vel etiam disrumpantur.

*Scholion.*

In procinquo jam ratio est, quare in hepate, item in utero, nec non in intestino colo, in vasis spermaticis, in pedibus quoque, insignia, & plura adsint lymphatica vasa, & quod in illis partibus facile tumores aquosi subhantur.

§. VII.

Revehunt vero omnia lymphatica, ex universo corpore lympham suam ad capsulam lumbarem, & chyliferum ductum, in quem se exonerant.

*Scholion.*

Tres rami majores vasorum lymphaticorum, videlicet iliacus, mesentericus, & hepaticus, capsulam constituunt; quæ vero ex partibus superioribus lympham revehunt, ipsi ductui thoracico implantantur.

§. VIII.

Cum omnia vasa lymphatica revehant lympham a circumferentia ad centrum, omnis autem regressus, propter alcensum perpendicularem, præsertim ex partibus remotoribus, contra naturam, & valde difficilis sit; hinc sapientissimus opifex multa ordinavit adjumenta, quæ lymphæ regressum facilitant.

§. IX.

Attenta observatio anatomica docet, vasa lymphatica in itinere suo semper transfire, & salutare glandulas congregatas, quarum ea est, auctore *Nuckio*, structura, ut ex multis membranis densis, & fibris elaticis motricibus, nec non tenuillimi nervorum, & vasorum sanguineorum ramis, composita sint.

*Scholion.*

Animadvertisimus, vasa lymphatica ex pedibus alcententia, per eximias glandulas inguinales, ac iliacas, itemque mesentericas, transfire, quæ vero a superiori

trunc-

trunko descendunt, per jugulares, & axilares ferri. Quod vero horum transitus fiat per glandulas, hoc experimento perspicuum evadit, quando videlicet ope tubuli vitrei in *vas lymphaticum hydrargyrum*, vel atramentum immittitur, tunc penetrat in glandularum substantiam, & carum corpus argenteo, vel atro colore tingit.

## §. X.

Causa, cur vasa lymphatica per glandulas congregatas transeant, haec solerteribus anatomicorum videtur, ut fibrarum motricium contractione, pressionem, ac impulsu*m ipsi lymphae subministrant.*

*Scholion.*

Hicce itaque glandulis, praesertim jugularibus, vel etiam iliacis, obstructis, vel induratis, quod ex earum pertinaci tumore cognoscitur, lympha in suis vasis stagnat, vapescit, corruptitur, & ad porosam substantiam carnis muscularum effunditur, & hinc rheumatismorum, exacerbatonum, vel catarrhalium defluxionum, origo fit.

## §. XI.

Ad facilitandum lymphae regressum, vasa haec valvulis instructa sunt, & quidem sigmoidæ, numerosioribus, & angustioribus, quæ quidem lympham libere transmittunt, impediunt tamen, quo minus regurgitet.

## §. XII.

Causa, quare uno arterioso vasi adduenti, duo revehentia, nempe venosum, & lymphaticum, apposita sint, haec videatur esse, quia sanguinis, & humorum, propter pulsus cordis, & arteriarum, ac nisum liquidorum, ad inferiora celerrima est progressio, tardior vero, & difficilior redditus; igitur, ne retardetur sanguinis circuitus, sed æqualis maneat, per duplicitis generis vasa reducentia, celeritas fluxus in arteriis compensatur.

## §. XIII.

Lympha adducta una cum chylo, quem etiam vehunt lymphatica, affunditur sanguini, ad dextrum cordis ventriculum remeanti, paulo crassiori, eum in finem, ut inde fluiditatem, tenuitatem, ac spirituascentiam novam accipiat, quo ad cir-

culationem per minima, eaque capillaria sapius vasa idoneus reddatur.

## §. XIV.

Circulus itaque lymphæ a circulo sanguinis dependet, hinc qui lymphæ motum vult celeriorem efficere, is sanguinis circulum augeat, necesse est.

*Scholion.*

Si quis itaque morbos a vitio, vel stagnatione lymphæ provenientes, sanare intendit, is non alia ratione id perficere poterit, ac si circulum sanguinis promovat, nec non fibris glandularum motricibus stimulum quandam addat.

## C A P U T IV.

De alimentorum solutione, &  
salivæ usu.

## §. I.

**S**UCCI corporis nostri calore, & motu subinde consumuntur, hi itaque semper reparacione opus habent, quæ fit succo congruo nutritio, quem alimenta, tam solida, quam fluida, subministrant.

## §. II.

Ex alimentis, tam liquidis, quam solidis, succus pro reparacione partium, tam solidarum, quam fluidarum, corporis nostri, est extrahendus, qui vocari solet chylus.

## §. III.

Non unius ejusdemque, sed plane diversæ indolis, sunt alimenta, quibus homo utitur, alia sunt solidæ, & compactæ substantiæ, alia valde glutinosæ, & tenacem texturam habent, multa inutilibus, terreis, incongruis, & ad constitutendum succum nutritium inidoneis partibus scatent. Quapropter dura alimenta sunt dissolvenda, partesque utiles ab inutilibus separandæ.

## §. IV.

Ut partes utiles, & congruae ab inutilibus, & incongruis separentur, opus est, ut prius earum textura intime dissolvatur.

## §. V.

Ad intimam alimentorum dissolucionem liquor menstrualis, qui intime ali-

men-

menta recludat, neque minus calor re-  
quiritur.

## §. VI.

Salivalis latex est menstruum microcos-  
micum universale, quo alimenta omnis  
generis intime recluduntur, & est humor  
insipidus, indolis subtilis, penetrantis,  
fermentescibilis, & solventis.

*Scholion.*

Saliva merito distinguitur a submucido,  
& spiso liquore, qui tam ex glanduloso  
peristomate faicum, & laryngis profluit,  
quam ex ductu glanduloso narium sereat  
ejicitur.

## §. VII.

Salivam liquorem esse ex subtilissimis  
partibus constantem, & glandularum sali-  
valium firmior compages, & tubolorum  
angustia, & quod non facile in frigore con-  
crescit, inque vacuo multas bullulas more  
spirituorum reddit, nec non ejus virtus  
medicamentosa, comprobant.

*Scholion.*

Glandularum salivalium, ex quibus  
constant tubuli angustiores, ex sero san-  
guinis vix aliud, quam aquam subtilem,  
cum multis particulis aero-æthereis, &  
salinis, sulphureis, simplicissimis, & te-  
nuissimis separant, & ratione harum, sa-  
liva jejunii hominis egregiam virtutem tu-  
mores discutiendi, & lichenes, ac serpi-  
ginem sanandi obtinet, nec non in vacuo,  
iubracto per antliam aere atmosphærico,  
saliva in vitro posita mire ebullit, & in-  
numeratas bullulas emittit, moe omnium  
liquorum subtilium.

## §. VIII.

Saliva est fermentescibilis naturæ, hinc  
additarebus ad fermentationem aptis,  
eam facile excitat.

*Scholion.*

Clarissime id conspicitur, quando sali-  
va additur fructibus saccharo conditis,  
dum eos brevi in fermentationem conjicit.  
Simile quoque apparet, quando cibi masti-  
cati in ore, & cum saliva mixti, in vitro  
reconduntur, tunc leni calore accedente,  
incipiunt fermentescere.

## §. IX.

Saliva est liquor potenter solvens, par-  
ticulis tenuibus valde elasticis, aqueis, nec

non purissimo, & universali sale simplicis-  
timo, imbutus.

*Scholion.*

Menstrua insipida magnam penetrantiam,  
& potentiam solvendi habent, quod videmus in argento vivo, quod ar-  
ctissima metallorum spatia, & claustra  
subit, eorumque partes discontinuat. Vi-  
situr id quoque in aqua pluviali, qua non  
modo promte omnis generis salia imbibit,  
glutinosos succos dissolvit, & dura etiam  
corpora emollit, unde afelli, & marini  
pisces sola maceratione in aqua mollescentur,  
ut leni igne coqui possint, multo magis  
autem id fit, si sale subtili alcalino est in-  
structa, quale etiam saliva inesse non mo-  
do auctor est Verheyen, qui uncias octo sa-  
livæ leni calore inspissatas, drachmam di-  
midiam salis largiri affirmat, sed & ex-  
perimentum eum solutione saturni, qua  
salivam reddere solet turbidam, eamque  
præcipitat, confirmat. Præter sal fixum  
vero, saliva inexistere judicamus longe  
simplicius, ac purius quoddam sal, quo  
tamen sensorium gustus non æque afficit.

## §. X.

Neque dubitandum, portionem liquidū  
nervei salivalem laticem ingredi.

*Scholion.*

Quia insignes nervorum rami ad glandu-  
las salivales abeunt, quales ad sensum, &  
motum sunt superflui; & consumatis viribus  
per profundas meditationes, debilitatur  
quoque vis digestionis. Deinde motum  
perversum liquidū nervei, qui fit sub animis  
affectionibus, ira, terrore, item furore,  
rabie, simul transire ad salivalem laticem,  
venenati morsus bestiarum ira percitarum,  
nec non funesti morsus animantium rabie-  
tactorum, testantur.

## §. XI.

Saliva itaque est verum, & universale  
alimentorum menstruum, & fermentum,  
quo ea intime dissolvuntur, & distrahan-  
tur.

*Scholion.*

Non superficiaria, sed intima solutio  
alimentorum in ventriculo fieri debet, qua  
videlicet unio, & textura partium, cer-  
tum mixtum constituentium, intime dis-  
solvitur, ut hac ratione, & sapor, color,  
edit.

odor, consistentia, & virtus prioris mixti mutetur: superficiaria vero solutio est, quando corpus in partes tantum minimas, virtute menstrui, redigitur, salva earum textura, ac mixtione. Ita aurum, quando dissolvitur ab aqua regis, omnes ejus particulæ, ex menstruo rufus præcipitatæ, auri naturam, crassim, ac virtutem exactissime adhuc conservant. Exemplum vero intimæ solutionis est, quando mustum motu fermentativo ita dissolvitur, ut non amplius mustum maneat, sed in vinosum liquorum transeat. Quod vero alimenta in ventriculo, atque intestinis intime dissolvantur, ex eo patescit, quia post solutionem, & simulac ventriculo fuerunt egesfa, color, sapor, odor, & consistentia, immutantur.

### §. XII.

Intima dissolution corporum, sine fermentatione, quæ motus intestinus est, mixti partes unitas intime solvens, fieri nequit: nullum hinc dubium est, quin in ventriculo etiam, atque in intestinis tenuibus actus fermentationis celebretur.

#### Scholion.

De fermentatione ciborum in ventriculo, ejus turgescens, & inflatio, item ruetis, & fatus qui prodeunt, testari possunt: & sicuti fermentationis effectus est crescens, ita ciborum reliquæ, quæ a resolutione ciborum in ventriculo remanent, manifestum saporem, & odorem acidum præ se ferunt, siue fermentatione paulo intensior, & acrior est, quemadmodum sit in hypochondriacis, copia acidi exsuperantis in ventriculo progenatur, adeo, ut omnia in ventriculum ingesta aescant, sive in acidum liquamen mutentur.

### §. XIII.

Sicut omnis fermentatio fermentescibilium, a fermento, quod est portio massæ jam in actu fermentationis existentis, & excitatur, & adjuvatur: ita saliva, utique alimentorum fermentum est, quod etiam largissime provida natura producit, & cibis admiscet.

#### Scholion.

Non tantum eximiæ glandulæ, ut parotides, & maxillares, ingentem salivæ quantitatem fundunt, sed & tota palati caro

glandulosa est, nec non cesophagi, ventriculi, & intestinorum glandulæ tunicæ, quin imo glandulæ peculiares duodenæ, & reliquorum tenuium, præsertim ilei, maxime omnium vero pancreas, quod totum glandulosum est, salivalem illum, ac fermentescibilem laticem fundant, & undique aere ciborum massæ admiscent, ad plenariam, & intimam alimentorum dissolutionem, & utilium partium separationem.

### §. XIV.

Quemadmodum omnis fermentatio, & omnis solutio, admoto calore egregie juvatur: ita etiam ventriculo circumposita calida viscera, ut hepar, lien, calorem ipsi subministrant, & digestionis negotium promovent.

### §. XV.

Caloris magnavis est intime poros mixti penetrandi, & expansiva virtute compagm partium dissolvendi: sicut contra frigus solutionis, & digestionis actum semper retardat.

#### Scholion.

Clarissime appetit in fermentatione musti, item farinæ pro panificio, nec non fermentoru[m] ad præparationem spiritus vini, quod calore intendi, & frigore impediri possit.

### §. XVI.

Calor agens in humidum, & corpora solidiora, si loco fuerint inclusa, ut mirabilem in dissolvendo præstat effectum, ita nullum dubium, quin calor viscerum in ventriculo conclusus, potentissime in compagm alimentorum agere, eamque solvere possit.

#### Scholion.

Non amplius naturæ curiosis sunt ignota experimenta, quæ beneficio machinae Paninianæ, in emolliendis durissimis ossibus, & in facilitanda coctione, mirabiliter plane ratione perficiuntur, ubi totus effectus tantum a calore, & liquido ineluto dependet; hinc non mirum est, quod brevi tempore, calore viscerum, & fermentescibili salivali lympha, lupus integrum cervum devorare, & concoquere possit, lucius pisces integros carpiones devoret inque liquamen convertat, canes ossa, Finni, ac Lappones.

nes crudas carnes, & duros, exsiccatos pisces digerere possint. Curiosa vero quæstio est, cum in ventriculo insit tanta solvendi potentia, quare non ipsius substantia tandem calore, & subtili salivali menstruo solvatur? cuius rei non alia videtur ratio, quam quod succus salivalis non possit ita penetrare poros, & partes ventriculi, ut libere undique in ejus plures superficies agere possit. Ita animadvertisimus, flamam non posse accendere materiam, v.g. chartam, quando duro corpori, ut plumbo, vel alijs metallo, circumvoluta est, quia nempe ignis recta linea transit, non vero æquali nisu, & quasi gyrorio motu, in chartam agere potest. Deinceps ventriculi compages admodum strictior resistit externæ actioni menstruorum. Et materia quoque calida, qua a visceribus adjacentibus continuo influit per ventriculum ad alimenta, impedit, quo minus calor, in alimentis susceptus, agere in ipsam substantiam ventriculi, eam dissolvendo, possit.

### §. XVII.

Menstrualis, & fermentalis liquor ventriculi, ex intimis succis corporis nostri defunctus est, quare chylosam massam fermentatione ita disponit, ut sanguinis, & humorum indelem facilius induat.

### §. XVIII.

Dissolvens energia salivalis laticis multum reliquias chymi, in ventriculo contenti, adjuvatur.

#### Scholion.

Est enim acidorum magna in dissolvente potentia. Ita ossa, dentes, lapides, metalla, acidis solvi menstruis chymica docet experientia. Atque propter penetrans acidum, etiam ossa devorata canes, item limaturam martis homines dissolvere possunt.

### §. XIX.

Acidum in ventriculo residuum, & calore, ac spirituascentia lymphæ gastricæ subtilius redditum, tunicam nerveam ventriculi, præsertim partis ejus superioris, blande vellicando, causa est appetitus.

#### Scholion.

Quare non obscura esse potest ratio, cur omnia acida subtiliora, & spirituosa, ut

spiritus salis dulcis, vinum Rhenanum, item volatilia salia, & aromatica, quæ acidum fixum in ventriculo contentum subtile reddunt, appetitum languentem excitant.

### §. XX.

Liquor salivalis, & gastricus, cum moderato calore, causa est digestionis, & solutionis alimentorum: quocirca omnia ea, quæ sanguinis calidi influxum in ventriculum impediunt, quæque menstrui virtutem dissolventem infringunt, aut ejus generationem prohibent, digestioni admodum sunt inimica; & contra, quæ salivalis menstrui influxum, proventum, & activitatem procurant, digestionis, & chylificationis negotio egregie favent.

#### Scholion.

Quare experientia discimus, nihil magis appetitum, & digestionem, quam alkalina terrea, lacticinia, dulcia, farinacea, nimis pinguia, opiate, adstringentia, & spirituosa morari, præsertim quando hæc copiose, & jejuno ventriculo assumuntur; infusa vero herbarum calida, acidulæ, thermæ, salia neutra, aromata paulo acriora, appetitum, & digestionem secundare, quia tunicas glandulosas in primis viis ab obstructione, & a mucositate liberant, ut sic liberior gastricæ lymphæ fiat affluxus.

### §. XXI.

Notatu digna res est, quod in omni fere morbo appetitus, & digestio lædatur.

#### Scholion.

Quia videlicet nullus morbus est, qui non temperatum calorem sanguinis, & temperiem, atque influxum fermentalis liquoris in ventriculi, atque intestinorum canale interturbet. Actio igitur ventriculi merito dici potest systematica, quia a systemate, & solidarum, & fluidarum corporis nostri partium dependet, hinc iis laetis, læditur etiam digestio, quare appetitus emortuus certum morbos & dispositio- nis humorum, vel partium solidarum indicium est, & appetitus quoque restitutio signum convalescentia, & morbi jam vieti faustum omen præbet.

### §. XXII.

Salivalis latex, qui fauces, & desophagum

gum irrigat, dirigit quoque appetentiam liquidorum, sive sitim.

*Scholion.*

Appetitus tam solidorum, nempe fames, quam liquidorum, sive sitis, est quidem res animæ, nihilominus a causis mere corporis, certis in organis, determinatur, atque dirigitur.

§. XXIII.

Sitis causa minime est defectus humidi in sanguine, sed in faucibus, atque œsophago.

*Scholion.*

Apparet id clarissime, dum in febribus, vel etiam in hydrope, ingens copia humidorum sitim non compescere potest, potus vero calidus, ut infusum herbae thee, item nitroса, in pauca quantitate sumta, eam sedare possunt. Quin imo observamus, sitim saepius in affectibus spasticis ventriculi, item in frigore intermittentium urge-re, quia videlicet spasmatica glandularum in faucibus, & œsophago fit constrictio, & hac ratione humoris influxus in has par-tes impeditur.

§. XXIV.

Somnus, nec non anodyna, sitim se-dandi facultate pollent.

*Scholion.*

Quia strictroram in glandulis faucium tollunt, ductus relaxant, ut copiosior hu-midi ad fauicium regnum fiat affusio.

§. XXV.

Saliva facit ad saporem.

*Scholion.*

Quia sapidas salinae indolis alimentorum partes optime extrahit, ut ad papillas lin-guae nerveas penetrent. Omnis sapor fit a sale, nullum vero sal agit, nisi sit solutum, quia alijs non ingredi poros, neque sapori organa nervea afficer potest; quia ve-ro saliva, propter tenuitatem partium, ex alimentis optime sapidas partes extrahit, hinc ejus in ore præfentia multum ad saporem facit, atque adeo ejus defectus, ac crassities in ardentibus febribus, vel alijs morbis, saporis, vel nullius, vel immi-nuti, amplissima est causa.

## C A P U T V.

*De chyli in intestinis perfectione, deque bilis ad hoc negotium usu, hujusque natura, & secretione.*

§. I.

**S**icuti in ventriculo, mediante saliva, compages alimentorum dissolvitur: ita in intestinis, præsertim in duodeno, hæc dissolutio ulterius mediante bile perficitur, & chylosus utilis succus elaboratur.

*Scholion.*

Quod duodenum vice fungatur ventricu-li parvi, vel ex eo patet, quia similem, ut ventriculus, habet flexuram, ut diutius ibi massa ciborum morari possit; & quia duo potentissima menstrua, bilis nempe, & succus pancreaticus, affluunt, tam ad ulteriorem alimentorum digestionem, quam ad correctionem, & meliorem chyli elaborationem.

§. II.

Bilis est humor resinoso-sulphureus, cororis flavi, saporis amari, sero dilutus, in que hepate secretus, dissolutioni alimen-torum, & secretioni chyli multum inser-viens.

§. III.

Bilis humor est resinoso-sulphureus, hinc inspissata bilis, non modo apertissi-mam flammarum concipit, sed & a spiritu vini rectificato solvit, remanente mu-cositate.

*Scholion.*

Dissert resinorum bilis principium ab aliis resinis vegetabilium, quod aliæ res-inæ solvuntur quidem a spiritu vini, sed non ab aquo menstruo, bilis vero inspissata, & extractum quoque resinorum, ex ejus solutione paratum, promte etiam aqua communis solvit. Secundo, elsen-tiae aliæ resinosæ instillatae lactescen-tem colorem faciunt, quod neutiquam solutio bilis præstat. Tertio, aliæ resinæ ex ve-getabilibus acidum liquorem fundunt, bi-lis vero igne tractata, & cremata, præ-ter oleum, sal volatile urinosum præbet,

fale

sale alcalino paucō, fixo, in cineribus relictō.

## §. IV.

Resinosum igitur bilis principium ab aliis resinis differt, quia has acidum sal, illam vero alcalinum ingreditur.

*Scholion.*

Bilis est resina ex animantium regno peccata: & sicuti ob intestinum calidorem insuevit corporis animantium motum, insipida terrea, vel etiam acida salia fixiora, subtilisantur, & alcalinam naturam suscipiunt, omnesque tam fluidae, quam solidae partes, de ejusmodi sale volatili urinous participant; ita etiam bilis mixtio nem sal alcali ingreditur, quod postea cum sulphureis partibus combinatum, in aqua menstrua habet ingressum.

## §. V.

Quod elementum alcalinum parti sulphureae bilis sit admixtum, plura experientia comprobant. Bilis I.) admixta syru po violarum, viridescentem, ut mos est alcalinorum, eam reddit: II.) omne acidum concentratum, ut oleum vitrioli, aqua fortis, cum bile ebullit, præfertim calore admoto, viridi colore emergente: III.) virtus ejus abstersiva, attenuatoria, & acidum temperans, id comprobatur, dum optimè maculas pingues dedit ex linteis, colores, uti pictoribus notum est, diffundit, & cerevisiarum acom rem corrigit.

*Scholion.*

Sicut ex sale alcali, & oleo, invicem combinatis, saponiformis sit mixtura; ita etiam ejusmodi saponiformi abstersiva virtute gaudet bilis, unde non inepte a quibusdam medicis sapo animalis appellatur.

## §. VI.

Bilis composita est ex particulis resinoso sulphureis, neque minus alcalinis; hinc sanguis, qui multum sulphuris, & salis continet, ad copiosam bilem ingenerandam admodum idoneus est.

*Scholion.*

Patet jam ratio, quare homines, qui calidorem sanguinem habent, ut cholericæ, quique motu corpus vehementer exercit, atque alimentis calidis, spirituosis

Tom. I.

nimum utuntur, copiam bilis progenerent; item, cur in omni febrili æstu, bilis copiosa in excrementis valde conspicua, etiam ex alimentis humectantibus, & refrigerantibus generetur, siquidem ex Chymia mechanica compertum est, calido intestino fluidi ætherei motu, materiam etiam insipidam, terream, fixam, incombustibilem, successive sulphuream, salinam, volatilem, & inflammabilem reddi posse.

## §. VII.

Secernitur biliosus humor in hepate, quod non nisi glomeramen est ex vasorum venæ portæ, cavæ, arteriæ, hepaticæ, & ductuum biliariorum capillamentis, sive granularibus, compositum.

*Scholion.*

Vena portæ adducit sanguinem ad hepar, & quia est vas venosum, lentior per illud cursus est, de quo jam supra latius egimus. Per venam cavam autem sanguis reducitur versus cor; arteria hepatica nutrimentum partibus, ex quibus hepar coagmentatum est, adducit, ductus vero biliarii secretam bilem partim per cholangium ad duodenum, partim per cysticum ad cystidem felleam deducunt, siquidem non aliud hepar usum, atque utilitatem habet, quam ut sulphuream, adustorem, & lixiviosam sanguinis partem, una cum sero, per venam portæ advehant, separet. Hallucinati enim in eo fuerunt veteres, quod hepar præcipuam sanguificationis officinam crediderint.

## §. VIII.

Bilis, quæ est humor crassus, & ipso sanguine ponderosior, peculiari eget apparatus mechanico ad suam secretionem.

## §. IX.

Ad secretionem crassioris humoris opus est, ut sanguis crassior accedat ad organon secretorium, ne tenue liquidum in nimia copia per ductus capaciores transeat.

*Scholion.*

Quia separatio crassioris humoris requirit canales, & ductus secretorios satis amplos, per hos autem, eadem, immo majori facilitate, liquidum tenue, quam crassum transit; hinc ne nimia tenuis lymphæ fiat separatio, opus erat, ut sanguis

F parte

parte tenui lymphatica maxima ex parte prius spoliatur, quod in renibus, ventriculo, toto intestinorum volumine, omento, & pancreate fit, quas partes omnes prius sanguis pertransire debet antequam ad hepatis deferatur.

## §. X.

Ut bilis in hepate separetur, opus est tardiori per hoc viscus progressu, atque itinere.

*Scholion.*

Nam sub tardiori motu in genere, omnes secretiones, & excretiones melius, quam motu existente celerrimo, celebrantur, quia partes fluidae a crassioribus solidioribus tunc longe faciliter se separant, & tenues aquae in vasa lymphatica, quorum copia in hepate est, crassiores vero per ductus biliferos vehuntur.

## §. XI.

Ad separationem crassioris humoris biliosi, singularis structura, ac connexio venae cavae cum vena portae, qualis in universo corpore non observatur similis, attendenda est.

*Scholion.*

Quandoquidem arteriarum extrema in aliis partibus cum finibus venarum conjunguntur, & unum continuum canalem constituunt, in hepate vero id non evenit, sed minima ramificationes venae cavae latera venae portae ingrediuntur, adeo ut haec ad angulos rectos dissecant, non alium in finem, quam ut sanguis, qui bile tenuior est, in vena cava orificia, non fecus, ac chylus in intestinis in vasa lactea, impellatur, crassiori liquore bilioso relicto, qui deinde in ductus biliosos, venae portae continuos, influit, indeque per ductum cholodochum, & communem, ad duodenum, & per cysticum ad felleam vesiculam truditur.

## §. XII.

Utcunque bilis sit humor, ratione sua mixtionis, partibus corporis nostri, tam solidis, quam fluidis, plane incongruus, & hujus respectu excrementitius; nihilominus respectu elaborationis chyli utilissimus est, unde antequam foras ejiciatur, huic negotio impendi debet.

*Scholion.*

Eximium bilis esse in animantibus usum compluribus argumentis comprobari potest: I.) quod nullum in rerum natura animal bile caret, ut non in omnibus vesicula fellea adsit; II.) in omni animantium genere bilis non ad intestinum rectum, sed ad duodenum, quod primum est a ventriculo, fertur, manifesto indicio peculiaris ibi praestandae utilitatis; III.) quia amplissimum hepatis viscus nullum in alium usum in animantibus prostat, quam ut bilis separat; IV.) quod duplice ductu, hepatico nempe, & cystico, ad duodenum tendit, ipsaque in cystide semper reservatur, ut ibi fiat saturatio; V.) quod insignis bilis copia ex hepate quotidie segregatur.

## §. XIII.

Non tam accurate bilis quantitas, quæ singulis diebus in hepate separatur, determinari potest.

*Scholion.*

Ductus illi satis conspicui, & capaces, cysticus, & hepaticus ex minoribus plurimis conflatus, tandem in unum amplum canalem cholodochum communem coentes, bilis copiosum ad massam chylosam influxum luculentem comprobant. Saturatus quoque fecum alvinarum flavus color, qui a bile est, largiore ejus quantitatatem indicat. Bianchi ad uncias sex quantitatem bilis affluit, idque sequenti experimento probat, quando nempe ex ductibus biliferis, & ex cystide fellea, hominis fani, & violenta morte extinti, bilis per repetitas aquæ tepidae, prius pondere examinata, injectiones eluitur, & aqua illa cum bile mixta rursus ponderatur, tunc facile bilis pondus in toto hepate contentæ explorari potest.

## §. XIV.

Duplex bilis datur, hepatica nempe, & cystica, illa per ductus, undique per hepatis dispersos biliferos ad cholodochum, & porro ad duodenum fertur, ac longe fluidior est cystica, quæ crassior, saturatior, & amaricantior est.

## §. XV.

Bilis per ductus hepaticos advecta, propter obliquam, & valde compressam ductus cholodochi per duodenii membranas in cavi-

cavitatem ejus insertionem, in cystidem facile regurgitat. In quibusdam quoque animantibus immediate per ductus peculiares, hepatico-cysticos, ad vesiculam fertur.

## §. XVI.

Bilis non tantum pondere ex ductibus biliaris, & cystide defertur ad duodenum: sed motu activo proprio, contractorio, ad illud, & intestina maxime fertur.

*Scholion.*

Non modo ipsa fellea vesicula, sed & ductus bilem vehentes, ex diversis tunicis, glandulosa nempe, nervea, & carneas, fibris motricibus donata, constant, vasaque arteriosa, venosa, lymphatica, & complures nervorum ramifications obtinent, non alio fine, quam ut motus constrictio nis ibi quoque exerceatur, cuius beneficio bilis motus, atque effusio dispensetur. Ex quo facile emeticorum operandi ratio intelligi potest, quæ subtiliori salino-sulphureo vellicante principio, motum peristalticum citatiorem efficiendo, bilis copiosiorem ad intestina effusionem simul carent. Dein ex hoc ratio patet, quare his ductibus nerveo musculosis, psalmo, v. g. ab iracundia, vel fortiori purgante vomitorio, aut veneno, constrictis, bilis per vasa lymphatica ad sanguinem regurgitet, unde id est origo.

## §. XVII.

Ventriculus, ab alimentis, & eorum fermentatione expansus, multum afflum bilis ex cystide fellea ad duodenum adjuvatur.

*Scholion.*

Notabilis est vesicæ felleæ situs in homine, dum cervix fundo altior est, qui ad inferiora jacet, quare difficultis est ejus ascensus, præterim cum ex loco latiori ad angustiorem debeat fluere; deinde, quia inter secundam, & tertium tunicam duodenii ductus choledochus longo itinere progressus, & demum foramine rotundo in cavum intestini hiatus, non potest omni tempore, sed tantummodo relaxatis intestinis & compressa cystide a dextra ventriculi parte, quæ ciborum copia, & fermentatio ne turgit, in duodenum exonerari.

## §. XVIII.

Quo copiosior est alimentorum in ventriculum ingestio, eo major ventriculi fit expansio, & consequenter cystidis felleæ adjacentis compressio, unde copiosioris bilis ad intestina tunc fit affluxus.

*Scholion.*

Notabilis est observatio, quod in animalibus, post longam inediam flaccido existente ventriculo, cystis bile admodum turgida sit, quæ post insignem alimentorum ingestionem semiplena observatur. Notabile quoque est, in foetibus humanis cystidem bile repletam inveniri, quia ventriculus in iis feriatur, & ab expansione liber est.

## §. XIX.

Differt bilis cystica a bile hepatica in eo, quod illa sit crassior, saturior, amarior, hæc vero tenuior, & magis sero diluta.

*Scholion.*

Sicut vero utraque hæc bilis indole differt, ita quoque ejus virtus, atque utsus distinguuntur, siquidem bilis hepatica non tam efficax est, quam cystica, quæ magis medicamentosa virtute praedita, & illa quoque perpetuo ad duodenum, hæc vero tantum, quando ventriculus cibi est onustus, influit.

## §. XX.

Bilis cystica hunc habet utsulum, ut purgans quasi sit, & clyster naturalis, quo tunica villosa, quæ chyli secretorium est, abstergatur, & intestina ad ejestionem secum stimulentur.

*Scholion.*

Chylus valde viscosus, dum transit per tunicam intestinorum villosam, relinquit magnam amurcam, qua crusta villosa, siue secretorium chyli, & intestinorum parietes valde obdueuntur, pori quoque, ac tubuli lactei, eorumque orificia oblinuntur, quo liberior progressus chyli impeditur, quare hic mucus est abstergendus, ad quod præter lympham ex glandulis, & pancreate continuo illantem, bilis acrior cystica multum contribuit, quæ lixiviosa, & saponaria virtute mucum abstergit, tubulosque lacteos, & oscula glandularum aperit.

## §. XXI.

Quemadmodum bilis, rite constituta ac temperata, est magna, & universalis medicina primarum viarum, digestioni alimentorum, & excretioni alvine maxime inserviens: ita si in temperie, & motu, item copia peccat, venenum est corpori.

*Scholion.*

Hanc rem olim latius in *Dissert. de bile medicina, & veneno corporis executi* sumus.

## §. XXII.

Bilis cystica chylo non æque, quam hepatica admiscetur, sed præcedit chymi effusionem ex ventriculo, & viam quasi præparat: bilis vero-hepatica, quæ continuo affluit, chylosæ ex ventriculo massa semper admiscetur.

*Scholion.*

Patet jam ratio, quare bilis cystica stagnans in duodeno, & ex mora corrupta, foecunda plurimorum morborum, maxime ex primis viis ortorum, vomitus nempe, cardialgia, cholera, dysenteria, inflammationis ventriculi, & intestinorum, ac omnium sere febrium biliosarum, mater existat.

## §. XXIII.

Bilis hepatica, item cystica benignior, & dilutior, in duodeno chylificationis negotium promovet, dum cum lympha pancreatica mixta, ulteriore solutionem partium, præsertim pinguium, & viscidarum in aliamentis, promovet, acorem chyli, qui sanguinis temperiei infestus est, temperat, & abstergit, & parte sua resinosa fulphurea subtilitatem, & blandam spirituascentiam chyli procurat.

*Scholion.*

Ex dictis jam facile patet ratio, quare bile vitiata, multæ eruditates primis in viis accumulentur, quæ nauseam, ardorem stomachi, flatulentiam, alvum adstrictam, cachexiam, ac tabem facile inferunt, & quare omnia fere amara, in chylificationis negotio secundando, in corrigendis primarum viarum vitiis, & præcavendis, ac sanandis multis chronicis affectionibus, tantæ utilitatis, atque ultius existant, quia idem præstant, quod bilis, cuius defectum, & via emendant.

## C A P U T VI.

*De secrezione chyli, & motu ventriculi, atque intestinalorum peristaltico.*

## §. I.

**A**limenta tam esculenta, quam potu lenta, non modo in ventriculo, sed & in duodeno, quod ventriculus succenturiatus, & in toto intestinalium tenuium canale, calore, & menstruorum, lymphæ nempe gastricæ, & bilis, ope dissolvuntur & extrahuntur in liquorem alimentarium, chylum, qui per colatorium intestinalis ab inutili massa alimentorum, quæ per alvum excernenda est, secretus, peculiaris mecha nica motuum ad sanguinem vehitur.

*Scholion.*

Quod duodenum sit ventriculus succenturiatus, vel ex eo patet, quia capax sati est, & flexuram habet uti ventriculus, quafit, ut diutius in eo morari chymi massa possit. Gaudet quoque suis peculiaribus menstruis, seu liquoribus solventibus, dum non modo innumeræ glandulae, a Cl. Brunnero detectæ, menstrualem lympham plorantes, ibi collocatae sunt, sed & succus pancreaticus cum bile permixtus ulteriore elaborationem, & rectificati onem chyli absolvit.

## §. II.

Chylus est liquor lacteus, insipidus, ex partibus oleosis, mucilaginosis constans, ex aliamentis solutis extractus.

*Scholion.*

Chylus est quasi emulso naturalis: & sicut ad hanc constituendam partes oleosæ, pingues, cum aqueis, & mucilaginosis mixta desiderantur, ita quoque ex iisdem ingredientibus chylum compositum esse, latet, quod nihil nisi chylus est, burrosa, caseosa, & serosa substantia demonstrat. Et sicut omnis emulso artificialis, ex seminibus oleosis contulis cum aqua parata, colore habet albicantem, qui ab oleo in tenuissimos globulos, radios luminis refle ctentes, subacto, proficit: ita etiam chyli albedo, vix aliam, quam hanc ha bent originem.

## §. III.

## §. III.

Quia chyli præcipuum elementum est oleum temperatum, dulce, & gelatinosa, ac mucilaginosa substantia: hinc facile patet, alimenta, quæ bonum, & copiosum chylum suppeditant, ea esse optima, quæ temperatam, oleosam, & mucosam substantiam obtinent, ut sunt præter carnes animantium, ex vegetabilibus omnia semina farinacea.

*Scholion.*

Hinc patet ratio, quare solo pane, & aqua homo vivere possit; nam hæc omnia chyli, & sanguinis ingredientia in debita temperie, & proportione complectuntur. Ex hoc identidem apparet, quare oryza populis orientalibus nutrientis loco panis sufficiat, & hordeo, avena, triticum, pisis, fabis, castaneis, homines optime nutriti, & omnis generis animantium pinguis reddi possint. Ex hoc eluescit porro ratio, quare ex alimentis ea, quæ non temperata sunt, ut acida, spirituosa, falsa, & plures vegetabilium succi, herbae, radices, acria, aromaticæ, ad chylum constituantur, & nutritionem præstandam minus idonea sint.

## §. IV.

Chylus ex solutis alimentis extractus, per tunicam villosam tenuium intestinorum colatur, osculisque vasorum lacteorum imprimitur, atque infunditur.

## §. V.

Tunica villosa, quæ optime in jejunio conspicitur, nonnisi congeries est innumerablem villorum, sive minutissimorum tubulorum, variis modis sibi intertextorum, atque hæc est principium vasorum lacteorum.

*Scholion.*

Intestinorum villosa cavitate gaudere, microscopiorum beneficio indaganda, Brunnerus in *Tract. de glandulis intestinorum* egregie demonstravit. Eodem auctore discimus, quod ubi villi intestinorum dantur, ibi etiam reperiantur vasa lactea, & ubi hæc non videntur, ut in ventriculo, ibi lactea quoque vasa invisibilia sint.

## §. VI.

Tunica villosa intestinorum non mere se habet passive, sed ob liquidi nervi, & sanguinis affluxum, gaudet vigore, & tono, sive motu constrictioñis, ac dilatatioñis, ita, ut canaliculi hi villosi, & vasorum lacteorum orificia, & nimirum contrahi, & relaxari, ac aperiri possint.

*Scholion.*

In spasmis, ac tormentis intestinorum, item ab acrioribus medicamentis purgantibus, vel erodentibus venenis summis, tunicam villosam valde constringi, ut nonnisi tenuerit liquidum transmittatur, symptomata, quæ maxime hypochondriacis familiaria sunt, & flatulentæ, ac nimirum congestiones vitiosorum humorum rati in statu confirmant. De quo in pathologicis prolixius agendum erit.

## §. VII.

Tunica villosa, qua gaudent maxime tenuia, est colatorium illud solenne, & publicum, per quod omnis humor ex primis viis accedit ad sanguinem, & ad universum corpus: hinc multum interest, ut hoc rite sit constitutum. Quod si enim nimis hiantia sunt oscula, crassior, & feculentior chyli pars recrementitia ad sanguinem fertur: si vero nimis angustata, & constricta sunt, tenuis saltus aquosa pars, remanente utili, & alimentosa solida, transmittitur.

## §. VIII.

Quia omnis chylus, & omne liquidum, per minima tunice villosæ capillamenta, vaseaque lactea, debet transire ad sanguinem: hinc tubuli, & oscula hæc debent esse hiantia, & aperta, non vero mucositate quadam obstructa.

## §. IX.

Ad obstruendos hos tunice villosæ tubulos multum contribuunt alimenta, quæ in viscosum coagulum abeunt, ut sunt v.g. panis calidus, & omnia farinacea, ac placentæ non bene fermentatae, lac coagulatum, cibi nimis viscosi, & compacti, pinguedines, ut vervecina, facile in coagulum abeentes, omniaque alimenta, & medicamenta adstringente facultate donata.

## §. X.

Provida itaque natura prudenti consilio constituit, ut bilis, saponaria, & abstergente vi, una cum lympha, ex glandulis, & tunicis glandulosis effusa, perpetua affusione facta, hanc tunicam ab obstrukione crassi muci vindicent.

*Scholion.*

Ex quo jam appetit aquarum salubrium & potum calidorum thee, coffee, aliorumque infusorum, & decoctorum ex herbis insignis utilitas, quæ in eo maxime consistit, ut tunicam hanc ab obstrukione liberent, & apertos tubulos teneant. Dileculscit & inde ratio, quare hæc liquida, vel etiam aquæ salubres, in principio, si copiosius bibantur, cum ob obstructa vasa non bene transeunt, multas turbas, flatulentias, anxietates, quandoque etiam vomitum, provocent.

## §. XI.

Per colatorium chylosum prius liquidum ex alimentis tenuissimum seceruntur, quod sine obstatculo ductus init, & progreditur, hinc quoque post pastum, vel potum liberaliorem, etiam aquarum salubrium, urina primo mere aquæ, & insipida, deinde coloratior profluit.

## §. XII.

Crassiora, & quæ non respondent orificiis vasorum lacteorum, minus ad sanguinem feruntur, sed ob angustiam ductuum retinentur, & per alvum potius eliminantur.

*Scholion.*

Bilis propter consistentiam crassiorum non transit per vasa lactea, sed cum alvinis fecibus eliminatur. Neque animadvertisimus, amara medicamenta, vel etiam alimenta, item potus amaricantes crassiusculos, ut potum coffee, cerevisias crassiores, ad sanguinem ferri, sed potius cum fecibus, quas etiam saturationi bruno colore tingunt, crassior, & coloratior pars foras exturbatur. Neque ex medicamentis, nisi subtiliora, volatilia, salina, & sulphurea, vasa lactea transcendunt, sed pleramque inter primas vias operaciones suas exserunt. Si vero diutius sub alvo strictiori ibi morantur, majori facta compressione intestinorum, etiam crassiores,

salinæ, & terrestres partes, in sanguinem penetrant.

## §. XIII.

Non vero tantummodo ex intestinis tenibus, sed etiam ex crassioribus, liquidum adhuc seceruntur, & per vasa lymphatica ad sanguinis, & humorum massam abit.

## §. XIV.

Alvo plus justo retenta, vel adstricta, feces, quæ prius liquidæ, & fetidæ ejiciabantur, jam exsuccæ, aridæ, gravis odoris expertes prodeunt, manifesto documento, foetidum illud liquidum ab iis fuisse separatum.

*Scholion.*

Ex dictis jam facilis dari potest ratio, quare alvi tardior secessio cacochymie procreatrix sit, & impuros admodum humores reddit. Et quod in intestinis crassis etiam adhuc secretio fiat, clysteres sic dicti nutrientes, quorum usus non est de nihilo, item clysteres antifebribiles; ex cortice chinæ parati, & antispasmodici, ac roborentes, ex herbis nervinis, & cephalicis, in capitibus affectibus, abunde id comprobant.

## §. XV.

Secessio chyli in vasa lactea intestinorum motu peristaltico valde adjuvatur.

## §. XVI.

Ventriculus, & intestina gaudent singulari dilatationis, & constrictionis motu, qui successive progreditur a superioribus ad inferiora, & a Græcis peristalticus appellari solet.

## §. XVII.

Hujus motus organon sunt maxime fibræ annulares, quibus totum intestinorum ductus, spiræ, vel helicis in modum, circumvolutus est, adeo, ut ab œsophago, usque ad anum, continuo ductu fibræ hæ producantur.

*Scholion.*

Confirmari hoc potest sequenti experimento: dum intestinum animalis coquuntur, & separatis cum tunica exteriori fibris longitudinalibus, annulares uno continuo ductu, & serie, instar fili longissimi, ab intestino separari possunt. Et hæ maxime constrictionem adjuvantibus longitudinalibus præstant.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Intestinorum motus peristalticus secundum naturam valde placidus, lenis, & quasi undulatorius est.

## Scholion.

Quod fit eam ob causam, ne alimenta concocta nimis præcipiti cursu intestinorum canalem pertransirent, & ne justo celerius ad ejusdem vergant, quod in diarrhoea accidit. Deinde, placidiori intestinorum constrictione, & dilatatione, tenuior, & subtilior tantum ex malla alimentorum concoctorum chyli portio, in villos intestinales, & lacteorum vasorum oscula infunditur, seculentiori, & rudiiori reliqua: quemadmodum id fieri in omnibus transcolationibus. animadvertisimus, ubi cibrum leni compressione facta, tantum tenuiorem humorem transmitit, fortiori autem accidente, crassior, & quæ turbida est, simul trahicatur. Tam lenis vero intestinorum motus, qui contentorum progressui servit, est, ut non nisi in grandioribus animantibus vivis dissectis, ut bobus, & equis, in sensu incurrat.

## §. XIX.

Sicut omnis humorum progressio, atque impulsus desiderat principium quoddam magno movendi robore instructum: ita etiam in motu peristaltico canalis alimentarii triplex observatur. Primum est in pharynge, alterum in pyloro, tertium in crassioris intestini, quod colon dicitur, initio.

## Scholion.

Fortiori facta pharyngis constrictione, ingesta per cesophagi canalem in cavitatem ventriculi truduntur: dextradein, & inferiori ventriculi parte, atque pylori labore, ibi contenta in intestina tenuia propelluntur, donec ad capaciora, & crassiora deferantur, ubi circa dextrum ileon initium coli est, ex membranis valde robustis, nerveo-musculosis, ac fibrosis compositum, cuius motu, ac impulsu, per totum hoc intestinum varie convolutum, excrementa usque ad ani sphincterem urgentur.

## XX.

Motus intestinorum, quo contenta propelluntur, satis validus est, quia magnam resistentiam vincit, & argentum vivum,

quod mineralium fere gravissimum est, in copia etiam haustum, per omnes intestinorum convolutiones, sursum, ac deorsum, ad exclusionem per anum urget, quod animadvertisimus in iis, qui passione iliaca afflitti, in ingeri saepius copia hoc fluidum metallum non sine fructu hauriant.

## §. XXI.

Successiva, & reciproca est illa constrictio, & dilatationis motio, quæ viget in intestinis. Nam quando una pars intestini contrahitur, & angustatur, materia contenta ex ea in vicinam partem propellitur, quæ inde dilatatur, & mox cessante dilatatione, rursus constringitur.

## Scholion.

Quemadmodum ad sanguinis, & humorum progressum perpetuo conservandum, talis est fibrarum motricum in corde, & arteriis constructio, ut earum dilatatio, sive diastole, fiat causa systoles, & hec rursus diastolen producat, & sic porro: ita etiam similis fibrarum, & membranarum motricum in structura intestinorum conditio observatur, ut earum dilatatio contractionem, contractio vero rursus dilatationem proferat.

## §. XXII.

Quod si constrictio in intestinis eorum dilatationis causa est, & dilatatio quoque constrictio excitat, sequitur, validiori, vel constrictione, vel dilatatione, in unatantum parte ventriculi, & intestinorum reddita, motum peristalticum in universum accelerari, ut celeriter ingesta ejiciantur.

## Scholion.

Ex quo jam facile intelligi poterit ratio, quare a purgante, quod in una saepius intestini parte haeret, & ibi dolorificam constrictio efficit, tam celeri cursu, & impetu, in intestinis contenta ejiciantur, quemadmodum id etiam ab humoribus acribus, biliosis in diarrhoeis fieri animadvertisimus. Patet etiam jam porro ratio, quare ab assumto in copia liquido, quod stimulante, praesertim salino elemento, imburum est, citissime alvus deficiatur, & ingesta procedant, quemadmodum id in thermatum, ac acidularum potu videmus.

## §. XXIII.

Quemadmodum robur, tonus, & motus fistoles activus partium motricium in universo corpore, a convenienti liquidi nervorum subtilioris, & sanguinis tenuioris influxu dependet: ita etiam motus ille, quo canalis alimentorum, & excrementorum gaudet, ab eadem causa proficiscitur.

*Scholion.*

Omnia ea remedia, quæ vires corpori addunt, quæ robur, ac tonum partium augent, ac restituunt, ut sunt, quæ subtilissimo, & suaveolenti, oleoso, aromatico, oleo imbuta sunt, vel sal subtile volatile fovent, aut resina temperata, ac suavi abundant; motum intestinorum quoque egregie conservant, & languidiorem restituunt; cum contra omnia, quæ vires dejectant, motus sistunt, ut sunt graveolenta, opata, vel etiam nimium refrigerantia, acida, adstringentia, harum partium robur non parum immittant. Ex nervis vero promanans fluidum intestinorum motui inservire, vel ex eo elucescere arbitror, quod animi affectus, qui operationem suam maxime in hoc fluidum exercent, potenter ventriculi, & intestinorum motum naturalem immutare, destruere, vel etiam induere possit.

## §. XXIV.

Motus itaque intestinorum peristalticus præcipua causa, & secretionis chyli, & ejus progressus per lactea est.

*Scholion.*

Non parum vero chyli progressionem, & iter ad sanguinem adjuvant, primo valvulae sic dictæ connientes, copiose in tenuibus conspicuae, quæ impediunt, quo minus facta compressione, chylosus succus lacteorum orificia, & intestinales villos statim præterlabatur, siquidem in illis moram nectere debet alimentorum digestorum massa, ut eo melius, & exprimi, & succus ex ipsa delibatior in vasa impelli ibi possit. Secundo, ad receptionem chyli faeciliorem in tenuissima lactea vasa, & villos, horum tubulorum angustia non parum contribuit, quod eo experimento illustratur, quo cernimus, in minimos, & capillares vitreos tubulos, subtile liquidum sponte ingredi. Tertio, progressum, & ascensum

chyli per lactea vasa, & ductum thoracicum, valvulae semilunares, quibus copiosis hæc ipsa instructa sunt, multum faciunt; illæ enim ex fibris carneis subtilioribus, & motricibus constructæ sunt, quarum motu ab una valvula ad alteram liquidum promovetur. Eum quoque valvulae habent sicutum, quo chylus, & lympha quidem sursum ferri, & progredi, minus vero regurgitare, & regredi possit. Quarto, neque minus glandulae, quæ in centro mesenterii sitæ sunt satis eximiae, ex congregatarum numero, impulsu fibrarum, ex quibus constructæ sunt, ulteriore chyli progressum adjuvant.

## §. XXV.

Chyli progressum per thoracicum, & lacteos ductus ad sanguinem, respiratio, qua muscularum abdominis continua, & successiva fit compressio, & dilatatio, multum promoveret.

*Scholion.*

Cum sub-inspiratione, & exspiratione, muscularum abdominis valida compressio, & dilatatio, alimenta non modo ex ventriculo, & intestinis, sed & chyli expressionem valde urgeat, qua de causa, & digestioni alimentorum, & sanitati, minus convenit, post pastum largiore vocem nimis intendere, vel corpus magno labore exercere. Hora autem circiter a pastu quarta, vel quinta, quando digestio peracta est, motus & exercitatio corporis minus nocet, sed magis proficit, ita, ut aucta respiratione, tunc chyli secretio, & progressio melius adjuvetur.

## C A P U T VII.

De excretionibus, in specie ea, quæ fit per alvum.

## §. I.

Quemadmodum sine ingestionibus congruorum alimentorum, vita, sanitas, nutritio, & vires subsistere, & temperari, laudabiles humores generari nequeunt: ita etiam sine excretione partium inutilium, superfluarum, noxiarum, hæc quoque identidem non reste, & secundum naturam se habent.

§. II.

## §. II.

Excretiones in homine perfecto & sano ingestionibus, ratione quantitatis, fere respondere debent.

## Scholion.

Equidem homo, ut vivat & sanus sit, quotidie alimenta assumere debet; horum tamen maxima pars in iis, qui non amplius adolefcunt, rursus ejici debet. Quandoquidem posito calculo liquidorum & solidorum, quæ robustus & laboribus assuetus intra septimanam assumit, is certe ad centenarium usque sèpius sese extendet: interim tamen pondus corporis non augebitur, evidenti arguento, eandem fere quantitatem illorum, quæ assumuntur, rursus debere excerni. Adeoque sub continuis ingestionibus corporis vita ac sanitas conservatur.

## §. III.

Non vero unius ejusdemque indolis sunt quæ excernuntur, sed sicuti diversissimæ naturæ ea sunt, quæ ingeruntur, videlicet solida, crassa, liquida, viscida, salina, sulphurea, pinguia: ita etiam excrementa diversissimæ indolis ut sint necesse est, quorum singula per congrua emanatoria separantur atque excernuntur.

## Scholion.

Ita crassiora & solidiora, mucus quoque & bilis, per alvum, liquida vero salina, crassiora & pinguia atque mucosa, per urinam, subtilia autem fluida & salino-sulphurea, per sudorem & cutis poros, commodissime ejiciuntur.

## §. IV.

Et sicut excretio partium inutilium, sine motu & impulsu, concipi nequit: ita etiam ad urinam & materiam transpirationis & sudoris propulsandam, motu cordis & arteriarum, ad feces vero ex intestinis crassioribus eliminandas, motu peristaltico opus est.

## §. V.

Per alvum omnia ea, quæ non lacteorum oscula ingrediuntur, neque ad sanguinem pervadunt, ejiciuntur. Ejusmodi sicut alimentorum crassior, feculentæ, terrestris, biliosa, mucida, acida substantia.

## Scholion.

Principium terreum & sulphureum, cum acido in stercoribus commixtum, vel ex eo concludendum esse videtur, quia ex sterco humanis, si liquidum vitriolo imbutum infunditur, color attractamento similis fit: quemadmodum identi fieri animadvertisimus, si infusa & decocta adstringentium, ut gallarum, corticis juglandium, granatorum, florum balaustrorum, quæ identidem ex mixtione terra solubilis & salis acidi exsurgunt, cuncti vitrioli invicem miscentur. Neque alia potest dari ratio, quare ab assumitis martialibus, quæ in ventriculo acido soluta in vitriolum satiscant, aut a vitriolaceis, quales sunt tinturæ martiales, vel ab acidulis, quæ parum vitrioli subtilioris continent, feces, quæ prodeunt solidiores, atramentoso colore tintæ sint.

## §. VI.

Non tantum impuriores, terrestres salino sulphureæ, sed & aquæ, & viscidae fortes per alvum secedunt.

## Scholion.

Chymicus Parisiensis Homberg cum sanguine humano hoc fecit experimentum: uncias nempe decem indidit Mariae balneo, ita aquæ limpidæ foetidi odoris uncias undecim destillavit, reliqua uncia solidæ materiae. Ex quo disce potest, multum aquæ phlegmatis simul cum fecibus exire, si que diutius eæ in crassis stagnaverint, ut sic diuissimæ evadant, indicium est, multum liquoris foetidi per poros & vasa lymphatica ad sanguinis & humorum massam abiisse.

## §. VII.

Quo major bilis in corporibus gignitur copia, ut in nimio astu, vel febre detentis, eo saturatior solet esse sterorum color.

## §. VIII.

Maxima quoque acidorum liquoritas pars per feces evanescit, unde a nimio usu vinorum acidorum, ut Rhenami, item fructuum acidorum, feces albidiiores producent, & cum tenesmo & vellicatione intestini recti excluduntur, acidumque adhuc spirant nitorem.

## §. IX.

Crassior quoque esculentorum & potulentorum coloratior pars alvo. excluditur.

*Scholion.*

Animadvertisimus a potu coffee, item cerevisiarum. lupulatarum, coloratores fieri feces, & ab oleribus. vegetabilium. assuntis, stercore viridescere.

## §. X.

Fœtor sterorum non sit a putredine, sed a mutua actione & reactione acidorum cum particulis sulphureis biliosis, non secus ac in chymicis ingens nascitur fœtor, quando lixivio sulphuris vulgaris, aut antimonii, acidus liquor assunditur. Quocumque vero & volatilior sulphurea & biliosa fecum pars est, & acidi parctor admixtio, eo intolerabilius sit fœtor: quo vero acidum est fixius & copiosius ac sulphur parcius, eo minor & tolerabilius fœtor exsurgit.

*Scholion.*

Experientia, & usus docet, fœtidissimas sæpenumero excludi feces in febribus ardentibus & biliosis, præsertim si aliquanto diutius stagnaverint, longe vero intolerabilius sit fœtor, ubi sanguis fuerit in intestinis extravasatus, ejctis tunc nigerrimis. In hypochondriacis vero, ubi copia acidi primis in viis est, ad albedinem stercore inclinant, & sèpe fœtoris expertia sunt.

## §. XI.

Excrementorum alvinorum color, odor, & consistentia multum in hominibus variat, licet eadem alimenta assumferint, quod dubio procul accidit a varia conditione humorum internorum.

*Scholion.*

Scitu dignum est, & canum, & hominum, si aqua & pane tantum vescuntur, valde differentia esse alvi excrements, id quod etiam in diversi temperamenti & etatis hominibus observatur, isdem licet alimentis assumptis. Neque enim eadem humorum, præsertim bilis, est constitutio, ut non diverso, sed eodem victu, homines usi fuerint.

## §. XII.

Quia alvi scybala diutius retenta valde exsiccantur, ob humiditatem ad vasa & sanguinem abeuntem, hinc clare intelligitur, quam gravis noxa impendeat iis, qui præsertim in febribus, alvum diutius clausam habent.

*Scholion.*

Quum valde corrupti, tam biliosi, quam lymphatici humores, in febrili æstu descendant ad intestina, & fœtidissimi quoque ejiciantur, patet, quam graviter pectent medici, si non caute eos subducant, nam diutius retenti, fœtidissimam putrilaginem rufus insinuant venis ac sanguini, unde non mirum, alvum aliquanto diutius in febribus cohabitam, pessima symptomata, ut purpuram, faucium inflammaciones, cephalalgias, appetitus & virium dejectiones, inquietudines provocare.

## §. XIII.

A motus peristaltici conditione dependet secum exclusio; hinc quo tardior, & placidior ille est, eo segnus hæc, & quo citior est ille, eo citius hæc procedit.

*Scholion.*

Cholerici citius deponunt alvum, quam phlegmatici, quia illorum motus vegetior, horum vero languidior est. In hypochondriacis, ob motum intestinalum valde destructum, alvi excretio ingenti vitio laborat, ita, ut quandoque ad longum tempus nequicquam ejiciatur, aliovero tempore, citior rursus fiat alvus.

## §. XIV.

Ordinario intra diem & noctem in sanis alimentorum ore assumptorum, recrementa excluduntur.

*Scholion.*

Sub motus peristaltici tanta in corporibus differentia, non adeo accurate egestiōnum tempus determinari potest, siquidem & alimenta indole differentia, & copia, vel parsimonia potus, & motus ac quies corporis, ad celeriorem, vel tardiorem excretionem, multum faciunt. Nam si fermentescibiles cibi, sale, aromatibus, vel dulcibus conditi, in copia fuerint assum-

sumti, expeditior fit alvus, sicut contra sub sedentaria vita, potu paucu, victu duro & crasso atque acido, difficilior hæc succedit.

## §. XV.

Ad tuendam itaque valetudinem & avertenda plurima mala, motum ventriculi & intestinorum peristalticum naturalem medicus omni cura custodire debet; quo destruto, nihil ad gignendos morbos perniciosos est.

*Scholion.*

Destruunt maxime hunc saluberrimum motum omnia excessivis qualitatibus, & viribus imbuta, ut nimis acida, frigida, adstringentia, opiate, narcotica, acria purgantia, nimium quoque humectantia ac refrigerantia, maxime omnium vero graves animi affectus, terror, diuturnus mœror, ira. Conservant vero & tuentur hunc motum salutarem omnia temperata, nervina, blanda balsamica, & quæ sanguinis atque fluidi nervei influxum in membranaceas has partes procurant. Faciunt huc quoque amara, elixiria stomachica, salia volatilia oleosa, pilulae balsamicæ &c.

## §. XVI.

Destructo intestinorum tono, alvina evacuatio non recte se habet, & flatulentia ac spasmi multas molestias creant.

*Scholion.*

Profecto malum illud, quod vulgo vocari solet hypochondriacum, in foemini hystericum, & frequentissimum est, spasmis, & flatulentis maxime tyrannidem suam exercet, & corpori humano infensum varia, & gravia producit symptoma, siue ejus originem paulo accuratius investigemus, certe hæc nulla alia est, quam nobilissimarum harum partium, quæ alimentorum digestioni, chyli secretioni, & fecum alvinarum exclusioni, dicatae sunt, motus & toni laxio, vel destrucio.

## C A P U T VIII.

*De sudore & transpiratione.*

## §. I.

**M**otus in sanguine & succis nostris continuus viget a calor, isque perpetuo in humidum agit, idque in tenues halitus resolvit, quicunque contineri nequeant, hinc per poros & insensibilia cutis foramina exhalare debent.

## §. II.

Calore exhalationum est causa efficiens, quare quo major est intra corpus æstus, eo fortior quoque est transpiratio, sicuti id manifeste appetit in febribus, inque iis, qui motu, & vehementori labore exercentur.

## §. III.

Quo mitior vero est calor & sanguinis cursus placidior, magis minuitur perspiratio, sicuti videmus in iis, qui otio & desidia dediti sunt, pulsumque habent debilem & languidum.

## §. IV.

Non vero tantum ex poris, quibus innumeris scatet cutis, superfluum humidum ex halat, sed & per peculiares ductulos & tubulos subcutaneos, serum subtile, salso-sulphureum effertur.

*Scholion.*

Non modo cutis humana, sed & omnia animantium coria, innumeris poris & foraminulis sunt pertusa, quod ex eo clarum fit, quia argentum vivum per quodvis corium compressione trajicitur. Recte itaque ab Hippocrate dictum est, totum nostrum corpus esse perspirabile. Glandulas exiguae, & tubulos subcutaneos recentiores anatomicon microscopiorum ope, detecterunt, quorum orificia foras spectant & inutile excrementum per sudorem egregie evehunt. Atque adeo halitus sum & tenue per transpirationem, per sudorem vero aliquanto crassius illud educitur. Vaporum exhalatio sub atmosphera maxime frigida, & compressa, in conspectum venit.

## §. V.

Cutis universale illud colatorium, & emunctorium sanguinis, est rete mirabile, ex fibris tendineis nerveisque, item ex arteriarum & venarum extremitatibus contextum, & papillulis nerveis, pyramidilibus obſitum, cui substratae sunt glandulae, majores minoresque tubuli, seu sphunculi, in cuticulam hiantes, ex quibus, velut ex fontibus, humor salsus, hauſuosus exit.

## §. VI.

Quia cutis fibrillis nerveis sensibilibus instructa est, quæ ad ipsas quoque papillulas, & tubulos subcutaneos pertingunt, hinc suo quoque tono ac motu gaudet.

## §. VII.

Tonus cutis ejusque tubulorum ac poros elater diversimode sudoris & transpirationis egressum modificat.

## §. VIII.

Tonus hic, si nimis intenditur, quod fita frigore externo, in horrore febrili, inque spasmis atque doloribus, tunc spiracula coarctantur, & parum exhalat: tono vero relaxato, & poris ampliatis, quod fit sub declinatione febris, vel ex morbo, aut alia ex causa debilitatis, cœlo maxime existente humido & calido, sudor largius profluit.

*Scholion.*

Patet jam ratio, quare in somno, ubi liquidi nervi influxu fibre multum destituuntur, sudor facilis producatur, item si aerem & halitum calidum & humidum, expirationem emissum, intra lectum continemus, vel in balneum concedamus, ubi corpora mox sunt exterius turgida, rubicunda & mollia. Deinde non obscura amplius est ratio, quare sedativa, opiate, & quæ dolores ac spasmos placant, item nitrosa, & diaphoretica fixa, transpirationem, & sudorem quandoque restituunt.

## §. IX.

Inest utique transpirationis, & sudoris materia sanguini, ac per ejus circulum ad cutem affertur; hinc sit, ut sanguinis circulus multum transpirationem modificeret.

## §. X.

In quibus partibus sanguinis circulus aliquanto difficilior, & calor mitior est, ex quoque nec tam facile transpirant, nec tantum bene sudant, ut videmus in pedibus, in abdomen & partibus extremis. Ubi vero celerior ac promptior sanguinis cursus est, ut in collo, dorso, pectore, ibi etiam fortior est transpiratio.

## §. XI.

Omnia itaque alimenta & medicamenta alaque ex rebus non naturalibus, quæ citatiorem sanguini motum inferunt, ut sunt sudorifera, spirituosa, volatilia, potus calidi, acris, aer serenus & calidus, motus corporis, transpirationem quoque adaugent: sicut contra quæ nimis refrigerant, & quæ adstringunt, acida sunt, item aer frigido-humidus, transpirationem imminuant, eo quod motum sanguinis retardant.

*Scholion.*

Usu discimus, ad nullum remedium nos fortius transpirare, vel sudare, quam ad potum calidum v.g.ad infusum thee, veronicae, præsertim si medicamento oleoso volatili fuerit acuumatum: nam liquidum calidum fluxilem reddit sanguinem, tenaces humores resolvit, obstructions aperit, & salium excrementitiorum vehiculum praebet.

## §. XII.

Non vero ad excretionem sudoris sufficit præsentia humili excrementitii, neque sanguinis motus citior satis est, sed etiam ut viæ sudoris, sive tubuli & pori cunctis, sint aperti, requiritur.

*Scholion.*

Discimus exinde, male consulere iphis ægrotantibus medicos, qui sub clausis ac constrictis cutis spiraculis ac tubulis, sicut sit in principio & statu febris, sub gravioribus doloribus & spasmis, fortiora sudorifera, calida & sanguinem exagitantia propinant, quibus vix aliud efficiunt, quam ut æstum, anxietates atque inquietudinem adaugeant. Hinc semper eo videndum est, ut in sudore elicendo, ad tonum cutis & ejus conditionem respiciamus.

## §. XIII.

Tanta vero est exhalationum vis & copia,

pia, ut bene posito calculo, omnibus ferme aliis excretionibus, junctim sumtis, major sit perspiratio.

*Scholion.*

Siquidem secundum *Sanctorii* calculum, plus uno die per transpirationem emittimus, quam per alvum & urinam quinque diebus ejicuntur; quando spatio unius noctis, lotii & fecum uncias septem, quadraginta vero uncias per transpirationem amittimus; vid. *Sect. i. obs. 59, 60.* quamvis id experimentum non omni tempore, neque sub omni climate & apud omnia corpora, valeat.

## §. XIV.

Non vero transpiratione & sudore tantum emittimus aqueum, sed & salso-sulphureum excrementum, quod ex indusis patet, quæ viscida & colorata sèpius pinguedine obducuntur, quin sub urinæ fluxu parciori & alvo seigniori facta, crassa fæpe excrements per sudorem, ob poros nimis ampliatos, evanescuntur.

## §. XV.

Exhalat quoque ex corpore, præter excrementum superfluum, etiam tenuë, spirituolum fluidum, quod patet ex virium dejectione, quæ continuum & largum sudorem sequitur,

*Scholion.*

Recte itaque *Hippocrates lib. de morbis* indicat, eos imbecilliores quidem esse, ubi corpus bene transpirat, sed saniores, promteque ad sanitatem redire præ aliis; nos quoque a morbis præservari addit; unde macilenter semper, teste eodem auctore, minus morbis obnoxii, & facilius quoque ab iis curatur, quam qui obesi sunt corporis habitus.

## §. XVI.

Quum itaque tanta sit copia excrements, quæ per cutem quotidie effertur, facile colligitur, nullam excretionem, quam hanc, suppressam vel cohibitam, tantum detrimenti corpori esse allaturam.

*Scholion.*

Plurimi morbi, præsertim acuti & epidemici, ex transpiratione sunt prohibiti; capropter, si eos avertere velimus, cunctum est, ut haec sarta rectaque maneat, sique eos tollere velimus, nihil plus curæ

cordique habeat medicus, quam ut convenientibus remedis eam restituat, quæ de causa diaphoretica omnium remediorum sunt securissima & optima.

## C A P U T VIII.

*De excretione urinae.*

## §. I.

**U**RINA est liquor aqueus, salibus diversi generis & partibus pinguibus, sulphoreis, mucidis, refertus, per renum-vasculo-tubulosam substantiam colatus, & in vesica ad excernendum collectus.

## §. II.

Proportio fluidi, & solidi, nec non diversorum elementorum, quæ urinam ingrediuntur, varie se habet.

*Scholion.*

Quandocunque libræ dux, sive uncias triginta duæ, urina sani hominis in aperito vase leni calore exhalant, tunc remanet crassa, quoad calorem, & consistentiam melli similis, quæ drachmas sex ponderat. Igitur unciae quinque urinæ drachmam tantummodo dimidiam substantiæ salino-sulphureo-terreæ nostro experimento complectuntur; id quod tam non perpetuum est, sed sicuti corpora ratione ætatis, temperamentorum, alimento rum, vitæ generis, & climatum variant, ita quoque quantitas urinæ & proportio ingredientium differt. *Antonius de Heide* obs. 89. ex urinæ unciiis tribus per evaporationem crassæ materiæ pariter drachmam unam eduxit. Experimento vero a *Bare Khuyseen in pyrosophia* allato, ex orina hæc fuerunt eductæ: unciae nempe sex urinæ sani hominis distillatione deducuntur uncias quinque & drachmas sex phlegmatis, residui in cucurbita scrupuli quinque & scrupulus semis; ulterius igne tractati, salis volatilis drachmam semis, oleii empyreumatici scrupulum semis, salis fu xi & terræ grana octodecim, præbuerunt.

## §. III.

Diversi vero generis salia in urinam continentur...

## Scholion.

Primo observamus sal tartareum, quod ex terra alcalina, sale acido & paucō oleo componitur, & lateribus matulæ, vel vitiū urinalis, non mediocri interdum mole se apponit, & genuinum calculorum, tum renum, tum vesicæ, elementum subministrat. Secundo, sal ammoniacale, quod ex sale volatili & acido mixtum est, quare urinæ inspissata, quando miscetur cum calce viva, vel sale alcali, protinus odor volatilis urinosus, æque ac cum sale ammoniaco, dispergitur, & nares ferit. Tertio, sal quoque in igne fixum, partim aleatum, partim medium, ut sal commune, in urina reperitur. Quod si enim urina igni ad exhalandum imponitur, & remanentia in crucibulo calcinatur, & quod relinquitur solvitur, & saturatius lixivium digestione exponitur, sal medium sali communi proximum obtinetur. Idem patescit ex eo, quod non modo urina inspissata, adjecto vitrioli oleo, spiritum & vaporem salis communis volatilem in auras emitat; sed & lixivium ex cineribus cremati residiuum lunam ex solutione in mensruo ad fundum dejiciat.

## S. IV.

Nullum sal magis naturæ animantium accommodatum est, quam sal medium illudque commune, quo cibos condire soleamus, non tantum ad meliorem saporem, sed & ad digestionem, & excretionem facilitandam. Quia vero sal purum vix unquam mixtionem animalem ingreditur, hinc debet ex corpore rursus expelli.

## S. V.

Quamvis homo omnia inspida, & sine sale assumat alimenta, tamen sal in ejus urina deprehendetur.

## Scholion.

Tota natura animantium est salifica, id est, ex humoribus temperatis, motus intestinus calidus salia fixa & volatilia, & sulphurea quoque, fabricat, nusquam vero, licet exterius assumatur, acidum purum in sanguine, & in succis animantium reperitur, sed omne sal, quod ex partibus animantium igne educitur, est alcalinæ volatilis naturæ.

## §. VI.

Calor salia gignit in animantium humoribus, ideo aucto calore, ut fit in febris, urina majorem salium copiam complectitur, & coloratio fit. Quanto mitior vero in corpore est calor, ut in ictis, qui quietum vita genus sequuntur, tanto dilutior urinæ color, tantoque minor quantitas salium est.

## §. VII.

Scorbuticorum urinæ salibus valde sunt saturatae & hinc coloratae, quod analysis docet chymica, quia obstructis emunctoriis hepaticis & cutaneis, nec bilis bene secernitur, nec volatile sal sudore evacuatur; hinc retenta excrementitia salia, & fortiori intestino calido motu ulterius agitata, incrementum, & majorem acrimoniam concipiunt.

## §. VIII.

Quanquam majori in copia acida, ut acetum, succi acidi vegetabilium, vinum, assumpcta fuerint, nunquam tamen urina acida emittitur, vel ad mixtionem alcalini salis effervescit.

## Scholion.

Ratio hujus rei est, quia acidum, licet etiam purum transeat ad sanguinem, invenit ibi principium alcalinæ indolis, cum quo congregens, mox medium naturam induit, adeo, ut vel in sal tartareum, vel sal ammoniacale, commutetur.

## §. IX.

Lixiviosa salia largiori copia sumpta transiunt integra per urinam, nisi acido in primis viis haerente immutentur.

## Scholion.

Observavimus id in thermis Carolinis, quæ præter sal neutrum, copiosum sal alcalinum fixum continent: haec, si quotidie ad libras sex vel octo bibuntur, urina prius lecedit plane limpida, nullius odoris & saporis, dein dilutum colorem accipit, hora postea a pastu tertia, vel quarta, valde saturata & colorata, instar lixivii est, saporis admodum salis, & tunc cum spiritu acido affuso, non secus ac lixivium, ebullit, & facta evaporatione, sal instar tartari vitriolati emergit.

## §. X.

Transiunt quoque per urinam partes sulphureæ, pingues, item bilioſæ.

*Scholion.*

Observamus manifestam sapientem pinguedinem, urinæ febricitantum, & heſtico-rum supernatantem, & lateribus vitri ſe- apponentem. Oleaginosæ urinæ ſine ſtre-pitu, ut oleum ſolet, minguntur & effun-duntur. Sulphurea vero materia, in urina contenta, ex eo colligitur, quod pu-trefacta admodum foeteat, & mafia urinæ inſpiſata ardeat, & per deſillationem o-leum empyreumaticum ex ea eliciatur. Sulphureis quoque partibus abūdare urinam ſolennis illa p̄paratio phosphori, qui ex urina inſpiſata & cum pulvere car-bo-num mixta fit, ſatis ſuperque declarat. Bilioſas vero urinæ admixtas eſſe partes, ex eo colligimus, quod evaporata urina jumentorum relinquit magma americanum, cui affuſus ſpiritus vini rectificatiſſimus ex-trahit tinteturam flaviſſimam, inſtar bilis amaricantem, remanente ſale tartareiſor-mi, inſtar terræ foliatæ tartari, cujus ſaliſ origo ſine omni dubitatione ex herbis coemetis, quæ ejusmodi ſale imbutæ ſunt, provenit. Deinde bilem transire cum urina iſterici docent, qui mingunt urinam ſaturati bruni coloris, quæ inſtar bilis lin-teamina croceo colore tingit.

## §. XI.

In urina ſubſtantia quoque mucosa, viſcida continentur.

*Scholion.*

Conflata hæc eſt ex tenui terra, cum aqua & oleo pingui mixta, & fanguinis eſt ſoboles. Mutoatur inde urina ordinariam nubeculam, & crassius ac copioſius ſedimen-tum inde ſit, quo iſtorum urina inſtructa eſſe ſolet, qui bene pranzi ſunt, & vietū laudabili fruuntur.

## §. XII.

Quia urina ex diuersâ indolis partibus, videlicet ex ſalſis, sulphureis, mucidis, pinguis, aqueis mixta eſt, hinc calore facile putreficit, & foetidissimum odorem exhalat, remanente in fundo crassa ter-reſti ſubſtantia.

## §. XIII.

Calor urinæ quam maxime particulis sulphureis ſalinis commixtis debetur, unde quo major amborum ingredientium in urina eſt quantitas, ut in febricitantibus, ſcorbuticis, & in iis, qui parum bibunt, eo color eſt saturatior.

*Scholion.*

Sola ſalia, praefertim alcalina, cum pauxillo ſulphuris commixta & digeſta, colorem ſaturate rubicundum exhibent, cujus rei teſtis eſt tintura antimonii acris, cujus color ad rubedinem ſaturatus, unice a ſalibus alcaliniſ fortiſter calcinatis eſt, unde evaporato ſpiritu vini, remanet pu-rum ſal fixum aurantii coloris, ſine ullo veſtigio ſulphuris, quæ remanentia rurſus in aqua ſoluta, eandem tinturam reſtituit. Notabile circa hanc rem eſt experimen-tum Bellini, qui urinam ſaturate ru-bram, admixtione aquæ, pro lubitu mutari, ejusque colorē vel intendi, vel minui poſſe, ex vero tradit.

## §. XIV.

Quo major in corpore calor eſt, eo ſatu-ratior urina eſt, eoque copioſius ſedi-mentum deponit.

*Scholion.*

Ratio ſedimenti eſt partium aquosarum deſectus, & ſalinarum, sulphureo-muci-darum terreftrium copia, unde frigore partes graviōres coeunt & fundum petunt; quod non accidit, ſi ſufficiens adeſt phleg-matiſ vehiculum. Quia vero calor abluvit humidum, hinc urinam quoque ſatu-ratorem efficit, ut ſedimentum promte deponat, ut videmus ceſſante febris im-petu.

## §. XV.

Copioſior urina redditur liberaliori po-tu, & aliarum excretionum imminutio-ne.

*Scholion.*

Largior potus copioſam reddit urinam, quia hæc maxime ex phlegmate conſtat. Ob alvum adſtrictiorem, vel transpiratio-nem imminutam, leſofior pars ſanguinis ad rehale cribrum majori in copia vergit, ibique facta duolum renaliū majori di-latatione, copioſius separatur, quare at-mo-

mosphæra borealium ventorum flatu frigidiori & compressiori reddita, majorem & crebrearem urinæ profusionem fieri animadvertisimus.

## §. XVI.

Mitior sanguinis calor, ejusque tardior progressio, urinæ copiosorem facit fluxum.

## Scholion.

Hinc promte peti potest ratio, quare refrigerantia, ut sunt acidulae, cerevisiae minus spirituosa, & quæ subtilem acorem habent, serum lactis, emulsiones ex seminibus quatuor frigidis, fraga, melones; ex remediorum classe nitroſa, spiritus nitri, item salis, urinæ fluxum vehementer moveant: contra opinia ea, quæ calidum intestinum sanguinis motum intendunt, ut sunt calida, sudorifera, spirituosa, purgantia, parciorem urinæ fluxum efficiant.

## §. XVII.

Renes sunt congruum illud salvi laticis emunctoriū, & ex meris tubulis sanguinis & urinariis sunt compositi.

## Scholion.

Tota renum substantia est contextus vasculorum continuorum, siquidem ductus Bellini, sive urinarii, nonnisi continuationes capillarium arteriolarum renalium sunt, quod manifesto evinci potest, dum aqua arteriæ emulgenti per siphonem injecta, vena prius ligata, non interrupto itinere per siphunculos urinarios ad pelvem & inde ad uretheras & vesicam fertur. Quin imo testante Ruyshio in thesauro anatomico 2. pag. 64. si arteriæ renales materia ceracea infarciantur, simul etiam ductus Bellini omnes urinarii, ipsique tubuli pelvis, eadem materia repletur.

## §. XVIII.

Universa renum vasculosa compages, ob tunicas nerveas & musculosas, ex quibus ductus constant, peculiariter elatere, tono, motuque dilatationis & constrictio- nis gaudet, qui ad liberiorem sanguinis transitum & urinæ separationem non pa- rum contribuit.

## Scholion.

Neque enim ullum visitur emunctoriū in corpore, quod robore, tono & vigore motus destitutum sit. Non hepatis mere vasculosa compages & ductus biliarii hepatici, cysticus & cholodochus, non uretheras, aut vesica, neque tunica villosa intestinorum, vel salivales glandulae, tono, sive potentia se dilatandi, & contractandi, carent. Pro varietate autem hujus toni, secretio, & excretio humorum diversimode modificatur.

## §. XIX.

Constrictis renalibus, e. gr. a spasmis, a doloribus, tubulis, urina instar aquæ pellucida, saporis & odoris ex-pers, redditur.

## Scholion.

Igitur urina ante coloratior, si subito in aquam & limpidam mutatur, certissimum affectus spasmmodici, vel præsentis, vel imminentis, indicium est, quod in hypochondriacis, hysterics, calculosis & epilepticis subinde observamus. In febrili impetu, ubi universalis est fibrarum constrictio, tenues, crudæ, & sine sedimento urinæ minguntur, siue ex subito aquosæ & large redundunt, ingens vitæ imminentem periculum, quia partim vehementem spasmus, quo sanguis ad pectus, vel caput impellitur, partim separationem seruæ sanguine & infarctum ab eo vasculorum minimorum, adeoque periculotam & lethalem in meningibus, vel ventriculo, inflammationem denotant.

## §. XX.

Sub remissione toni, sive robore deperito ductuum renalium, tardior sanguinis & urina fit progressio.

## Scholion.

Toni realis nimia resolutio, morborum, qui renes occupant, potissima causa & origo est. A nimia enim sanguinis ibi facta congettione, & vasorum renalium dilatatione, renes vel in ingentem molem solvuntur, vel vasorum sanguineorum fit aperio, & mihi cruenta producitur. Ob nimiam quoque tubolorum arteriosorum & urinalium dilatationem, serum, crassiорibus, lapidescentibus & terreis parti- bus

bus onussum, separatur, quæ perquam facile in concretionem calculosam coeunt. Qua de causa temperata, adstringentia & roborantia, in calculo, tam præservando, quam curando, palmam cæteris præripunt. Quo de argumento legi meretur eruditissima Diff. Cl. Heucher de adstringentium usus in calculo.

## §. XXI.

Renaliū tubulorum tonus, spasmis, doloribus & febrium paroxysmis remittentibus, ordinario relaxatur.

*Scholion.*

Ea est indoles spasmorum, ut partem, quam vehementer exagitarunt, postea valde debilem reddant. Nam gravem partis spasmus ordinario atonia & relaxatio sequitur. Videmus hinc, remittente dolore ex calculo, crassam mingi urinam, quæ anteā erat tenuis & pellucida. Quiescente febrili æstu, urina crassior, & ponderosior, quæ facile sedimentum deponit, emittitur, qualis a veteribus dicitur cocta, inque acutis bonam crisi & eventum morbi, in intermittentibus vero paroxysmi solutionē designat.

## §. XXII.

Neque vero taatum renes, sed & canales, qui urinam ad vesicam deducunt, & Græcis uretheres vocantur, dilatationis, & constrictio motu, tono ac potentia instruti sunt.

*Scholion.*

Quare non solo pondere, sed simili constrictione horum ductuum, humor ad velicam propellitur. Canales hi magnam dilatationem patiuntur ab affluxu urinæ, si in parte inferiori horum cavitas calcu- lo obturata fuerit. Meminimus, tunc instar sarcinim eos diductos repertos fuisse. Idem canales nimium quoque constringuntur, & angustantur ex dolore, quem calculus acutus parit; hinc etiam ipse dolor a calculo excitatus ejus per uretheres progressum ac transitum in vesicam impedit. Quare, quæ spasmus & dolores sedant, quæ partes constrictas emolliunt, & laxant, ut balnea, ad propulsandum calculum sunt efficacissima. Sæpe etiam spastica uretheris constrictio tanta est, ut

Tom. I.

alterum, ut ut a calculo liberum, simul ita consensum trahat, quo casu, urinæ fluxus in totum supprimitur, & quandoque unica sedativi vel anodynī medicamenti dosi restituitur.

## §. XXIII.

Neque elastiæ, contractibili potentia vesica est destituta, quippe quæ ex tunicis musculosa, nervea & glandulosa est composita.

## §. XXIV.

Distensionem patitur vesica ab urina contenta, cui semper elater vesicæ renitit, quare sub tractionis actu urina in angustum & arctum ductum urethræ coacta, redditur. Hic renis vesicæ elastiæ est quoque causa, quod urina non proprio pondere, sphinctere vesicæ aperito prodeat, sed contractione & compressione fibrarum ejus musculosarum propellatur. Observamus, ab improvida, diuturna, & molestissima urinæ copiosæ retentione, ejus exitum difficile fieri, quia nimia urinæ copia, & distensione, elater vesicæ fractus, & destrunctus fuit, ita prorsus, ut ad debitam constrictiōnem difficulter redeat.

## §. XXV.

Urinæ inspectio medico valde necessaria, & insignissimi in præxi medica usus est.

*Scholion.*

Quemadmodum empiricam illam ac divinatricem artem imperitorum ex urina judicandi, & specialissima præagiendi in totum damnamus, & pro fallaci ignorantia habemus: ita ejus inspectio perito medico magnam utilitatem fœnerat, siquidem hac ipsa non modo constitutionem ac naturam sanguinis & humorum, sed & eorum circulum ac progressum celeriter, neque minus partium solidarum ipsarumque viarum urinalium spasmus, tonum, & conditionem cognoscimus, quod ad morbos tam chronicos, quam acutos dijudicandos, multum utique facit.

## C A P U T   I X.

*De excretione muci.*

## S. I.

**M**ucus est humor glutinosus, qui in certis emundotoriis glandulosis, ad varios s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> usus secernit & excernit.

## §. II.

Exstant in corpore multa & varia lymphæ mucosæ colatoria. Obsita his est tota narium, palati & faucium regio. Dein de tota interior arterie asperæ glandulosa tunica mucum s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> crassum, & copiosum separat. Denique solenne muci emundotorium glandulæ lenticulares, quæ in intestinis crassis consistunt, constituant.

## S. III.

Tota interna faucium ac narium strutura ac regio ossaque turbinata squamosa, & capitis ossium cavitates tunica glandulosa, quæ pituitaria audit, obductæ sunt, inque his locis sanguis & humores a moco egregie liberantur.

*Scholion.*

Sinus, qui in ossibus capitis absconditi sunt, duodecim numerantur: duo frontales, qui in inferiori ossis frontis parte siti sunt, quorum singuli tres adhuc habent concamerationes: duo sphenoidales, in osse sphenoidis, sub sella Turcica delitescentes, septo osso distincti sunt: sex ethmoidales, minimi, in osse ethmoides inter nares & oculi orbitam exstant, & duo majores intra maxillam superiorem collocati, qui ab *Hightmo* antra vocari solent. Haec omnes & singulæ ossium capitum sinuositates tunica glandulosa & pituitaria obductæ sunt, quæ lympham in mucum abeuntem separant, eamque per ductus invicem connexos ad unum & communem narium canalem vehunt.

## §. IV.

Non mucositas in ea forma, qua ex naribus vel aspera arteria, aut per alvum ejicitur, separatur, sed demum facta separatione, hanc consistentiam induit.

*Scholion.*

Muci materia, dum vehitur in sanguine, satis fluida est, alias neque ad minimas arteriolas & ductus, qui sunt in glandulis, accedere, neque ibi fecerni posset, spissam vero consistentiam stagnatione & effusione in cavitatibus demum acquirit, ubi partes æthereæ tenuissimæ, quæ fluiditatem humoribus conferunt, avolant, & aquæ tenues per poros refluent, inque ductus lymphaticos recipiantur. Quam facile vero fluidi & tenues humores, dissipatis partibus subtilioribus, in coagulum abeant, albumen ovi documento est, quod calore firmum & stabile coagulum induit. Neque parum frigidoris aeris accessus in alpera arteria inque faucibus & naribus, flosdiorem lympham ad glutinositatem disponit.

## §. V.

Neque tamen mucositas per emundatoria sua omni tempore, neque in eadem quantitate & consistentia, secernit.

*Scholion.*

Animadvertisimus copiosas mucositates in infantibus, in pueris, in senibus, in foeminis, inque phlegmaticis, & qui sponsiosi sunt habitus corporis, & delicatum & quietum vitæ genus sequuntur, aere maxime humido secerni.

## §. VI.

Excretoria, quæ mucum separant, vasa & ductus, peculiariter tono, robore & motu constrictorio, & dilatatorio gaudent, atque adeo pro hujus motu variatione muci excretio diversimode modificatur.

## §. VII.

Ubi magna horum vasorum est dilatatio & toni remissio & mucosæ materiæ in sanguine abundantia, tunc ductus ampliati majorem copiam lymphæ mucidæ separant: contra vero, ubi horum ductuum fit constrictio, & parcior materiæ mucidæ in sanguine quantitas existit, ibi parcior ejus est excretio.

*Scholion.*

In procinctu jam posita est ratio copiosioris secessionis muci in imbecillioribus, & phlegmaticis, in declinatione morborum, in fine tussis & coryzx, prahumida-

existente atmosphera tempore quoque verno & autumnali, neque minus in pueris, & senibus, in phthisicis, ubi sicuti totius corporis, ita maxime ductuum horum excretorum tonus laesus & imminutus est. Supprimitur vero hec salutaris excretionis in scybalibus, in spasticis affectibus, pulveris tabaci & constringentium calidorumque abusu, item ab acri admisso frigore: leniori vero erhinorum stimulo, neque minus eorum, que humectant, humores crassos diluant, ut sunt balnea, infusa herbarum calida, thermæ, usu promovetur.

## §. VIII.

Ingentem quoque muci copiam intestinorum crassa, ut colon & rectum, lenticularibus glandulis separant, que ad humectanda scybalia, & eorum progressum facilitandum, multum contribuit.

## Scholion.

Neque existimandum est, mucum intestinalem sub forma spissa, qua visitur, in glandulis separari, sed omnino in principio etiam tenuis & fluidus in intestina influit, paulatim vero sub tardiori alvo spissificit, ob subtiliorem aquositatem in eos ductus redeuntem, per quos etiam humiditas, si diuturniori mora scybalia penitus exsiccantur, pertransit.

## §. IX.

Res notatu admodum digna est, solennia muci emunctoria singulare inter se commercio & communicatione gaudere, & invicem conspirare.

## Scholion.

Quapropter uno ex emunctoriis istis obstruто, v.g. naribus, major mucositas copia in intestinis deprehenditur, siue per asperam arteriam multum sputi, & muci redditur, intestina & feces exsiccantur. Proinde non melior datur via ac methodus copiosum sputum & tussim humidam curandi, ac si stimulo laxante, vel purgante, 2d intestina nimia serofitas alliciatur.

## §. X.

Dantur adhuc alia muced lymphæ secretoria glandulosa, quorum in numero sunt prostatæ virorum, que corpora sunt globosa, instar nucis juglandis, ante colum vesicæ sita, que liquorum albicantem

fecernunt, cumque decem plerumque vel duodecim ductibus excretoriis in urethram pro ejus lucubratione ejaculantur. Huc etiam spectant glandulæ, que in vagina uteri & circa meatum urinarium, item in vesica urinaria reperiuntur, que mucosum liquorum fecernunt, cumque per peculiaria oscula, sive lacunas, pro humectatione harum partium, excernunt.

## Scholion.

Ob harum glandularum nimiam relationem tonumque deperditum, hi ductus identidem nimium ampliati, ingenitem lymphæ muced copiam separant, quod in gonorrhœa & fluore albo visitur. Interior vesicæ urinariæ nervea tunica glandulis, juxta collum maxime conspicuis, obsita est, que mucosum humorum, quo hec sensibilis tunica ab erodente urinæ sale defenditur, separant. Huc etiam spectat urethra tunica glandulis exiguis referata, que liquorum viscidum, rotundis & longitudinalibus foraminulis, ad urinæ acrimoniam temperandam, plorant. Quo etiam referenda sunt glandulæ tres a Copero inventæ; parvæ fabæ magnitudine, que liquorum mucidum per speciales ductulos in urethram inferunt: necnon glandula Littræ, pollicem lata, urethram proxime infra prostatas ambiens, & aliquot osculis liquidum mucosum urethra immittens. Quibus glandulis nimium relaxatis, vel erosis, ingens mictam in vesica, quam in urethra, fit proventus.

## §. XI.

Ut omnes glandulæ, & glandulosæ tunice, ita maxime, que mucosi liquidi secretioni serviant, id habent peculiare, ut erosæ in magna copia mucum separent.

## Scholion.

Tunica pituitaria, que narium & palati ossa cingit, si in lue venerea eroditur, viscidæ & glutinosæ muci copiam fundit; si a calculi alterioris attritione, vesicæ tunica nerveo-glandulosa eroditur, magna quantitas muci in urina conspicitur; sique glandulosæ prostatæ, vel urethrae utriusque lexus, aut circa collum vesicæ, in infectis, vel in scorbuticis, eroduntur, ingens viscosi humoris profusio fit, non parum vires debilitans.

## §. XII.

Dantur adhuc alię intra juncturas artuum glandulæ, quæ mucilaginosæ & pinguedinosæ appellantur, & ad eorum flexuram facilitandam, diaphanum mucum sequent, cui fini quoque serviant ligamenta glandulis obsita, quibus artus invicem colligantur.

*Scholion.*

Diętæ hæ glandula ab insigni anatomico Anglo Clopton Havers inventæ sunt, earumque inventio in pathologicis non minimum usum scenerat. Si enim mucus hic lymphaticus, acribus, erodentibus salinis particulis imbutus est, dolores articulorum, qui difficulter discuti possunt, suboriuntur; si tartareis, fixis, terreis, partibus onustus est toporum, qui arthriticis & podagricis familiare sunt, origo sit. Hic mucus quoque copiosius transmissus, si in luxatis membris coagulatur, laxatorum ossium repositionem impedit. Glandulis vero articulorum mucilaginosis, aridis, exsuccis redditis, strepitus ossium, peculiare scorbuticorum symptoma, producitur.

## C A P U T X.

*De excretione sanguinis per uterum.*

## §. I.

**A**uctus naturales, qui motibus vitalibus succos & materiam aptam preparant, pertinet omnino menstrua foeminarum purgatio, quatenus superfluum & inutilem sanguinem excernit, ut reliquus in venis eo melius circulet & depuretur.

## §. II.

Excretio sanguinis ab utero, singulis mensibus, ob nimiam sanguinis in feminis abundantiam & ob peculiarem uteri fabram, sanitatis, & alendi foetus causa fit.

## §. III.

Sanguinis, qui ejicitur singulis mensibus, quantitas exactius determinari nequit.

*Scholion.*

Diffrerit hæc ipsa pro differentia etatis, viræ generis, & habitus corporis: primis annis solet esse parcior, in juvenili etate plerior. Macilenteriores & sanguineæ plus quo-

que sanguinis effundunt, quam in obesæ & frigidioris naturæ foeminæ: plus quoque gula & otio deditæ, quam quæ tenui vietu & multo exercitio utuntur. Hippoc. lib. I. de morbis mulierum sect. 15. duas heminas assignat, alii libram, vel etiam libram usam & lemis, effundi statuunt.

## §. IV.

Causa menstrui fluxus est nulla alia, quam nimia sanguinis redundantia, quæ optimo consilio ad sanitatem tuendam evacuatur.

*Scholion.*

Varix prostant de his fluxus causis in scholis medicorum opiniones. Alii ad longum motum & mutationem, alii ad fermentum uteri peculiare, nonnulli ad Helmontii archaeum seu corporis nostri restorem, quidam ad arcana & sapientem naturæ legem, eam referunt. Nos reconditis, & a communis sensu longissime remotis ejusmodi principiis penitus neglectis ex re maxime obvia & simplici, sanguinis nempe plenitudine majori, quam necessaria est, hujus fluxus originem ac causam repetimus.

## §. V.

Mollior & laxior solidarum partium in foeminis textura vasorumque angustia in causa est, quod foeminæ majorem sanguinis abundantiam habeant, quam viri.

*Scholion.*

Quo major partium fibrosarum est soliditas, eo majori resistentia ac labore ad impellendum fluidum sunt instructæ; contra quo fibræ moliores, quo laxiores sunt, eo minoris roboris & efficacitæ ad impellendum sunt. Quale autem est fibrarum robur & vasorum capacitas, talis est pulsus cordis & arteriarum. In viris, qui solidiorem partium corporis compagm & majora vasa obtinent, pulsus vegetior, plenior & velocior est, quam in mulieribus, in quibus ob vasorum angustiam, & fibrarum mollietatem, languidior, mollior & magis exiguis. Qualis vero est pulsus, talis est fluidorum progressio, & quale secretorii vasis orificium, talis est transpiratio, & humidiconsumtio. Et quia in foeminis minor sanguinis velocitas & tardior circulus est & major capillarium angustia, quam in viris, minor quoque

in foemini humidi perspirabilis erit secre-  
tio, & consequenter major erit sanguinis,  
& humorum in vasis redundantia. Huc  
accedit, quod foemina labore minus e-  
xerceant corpus, quam viri, quo tamen  
corpora secundum Sanctorium sect. 5. aph. 9  
semper leviora fiunt, eo quod multum  
humoris detrahit.

## S. VI.

Plethorae menstrui fluxus causam esse,  
plura adhuc alia sunt, quae id declarant.

*Scholion.*

Ordinario ex foemina, quae gulæ libe-  
ralius indulgent, quæ otio fruantur, quæ  
macilenteriores & mollioris sunt texturæ,  
largiorem experiuntur mensum fluxum,  
propter uberiorem sanguinis redundantiam;  
obea vero, in quibus sanguis,  
non tam intra vas colligitur, quam in  
corporis habitum diffunditur, mulieres  
rusticæ, qua labore corpus fortiter exer-  
cent, necnon quæ ex diuturniori morbo  
convaluerunt, aut puerperio, vel alis  
evacuationibus, multum sanguinis amise-  
runt, aut lactantes sunt, vel prægnantes,  
ex vel parcus, vel plane non purgantur.

## S. VII.

Optimus & nutritio succo refertus san-  
guis, non vero corruptus, utero expur-  
gatur.

*Scholion.*

Error fuit veterum, ex sanguinis circu-  
li ignorantia profluens, venenatum, &  
corruptum sanguinem esse menstruum,  
quod ex eo dijudicabant, quia fluxus men-  
struum suppressus, ingentem corpori struit  
perniciem. Atvero sanguis, qui utero in  
sapis purgatur, fluidus & floridus est, in  
junioribus tenuior, in adultioribus cras-  
hor. Si vero in vasis stagnaverit plus juxto,  
ex mora utique congruatus, niger &  
fœtidus reddi potest.

## S. VIII.

Peculiaris uteri structura & fabrica in  
causa est, quod non per alia loca, sed per  
ipsum, abundans sanguis evacuetur.

*Scholion.*

Ipsius enim uteri compages ita est com-  
parata, ut fibrae & vasa in ea incredibilem  
in modum distendi & explicari, iterum-

Tom. I.

que contrahi & sponte ad pristinum statum  
redire possint, quo sit, ut sanguis copia redi-  
dens eo quam facile ruat, ibique colligatur.  
Vasa deinde arteriosa, quam venosa,  
ex spermaticis & hypogastricis orta, nu-  
mero sere infinitas ramifications ad ute-  
rum ejusque vaginam emittunt; quæ non  
recto cursu, sed varie contortæ, curvæ &  
quasi serpentinis ductibus prosperrunt, &  
in non gravidis minimæ sunt, in prægnan-  
tibus vero sensim crescente utero, & ma-  
iores fiunt, & ex porrigitur: nisi enim  
ejusmodi incurvatio & flexura vasorum es-  
set, uterus a foetu, sine vasorum disrup-  
tionis metu, non posset distendi. Porro  
membranæ, quæ & internam, & exter-  
nam uteri superficiem cingunt, & per quæ  
vasa disseminantur, nulla adipe obductæ  
sunt; quare ejusmodi fulcro destituta vasa  
facilius distendi & aperiri possunt. Tum  
truncus aortæ descendens multo amplior  
semper in foeminis, quam in viris obser-  
vatur, propter sanguinem copiosorem,  
qui ad uterum deferri debet, quod in viris  
non accedit. Præterea, sicut omnem fluidi  
ad perpendicularium ascensum, ita sanguis  
per venarum spermaticarum admodum  
longum & valde tortuosum, & inflexam  
ductum, valde esse difficilem ad superiora  
perpendiculari via cursum animadver-  
timus. Demum, uti valvulae, in aliis cor-  
poris partibus venis accretæ, sanguinis  
progressum egregie adjuvant, ejusque restau-  
rationem impediunt, ita vicissim in ve-  
nis uterini valvulis destitutis, crux uti-  
que ægrius circumagit, & in amplioribus  
collectus, ad minores & capillares relati-  
tur, eorumque tenera oscula plus justo di-  
stendit ac premit. Quod si igitur major  
sanguinis copia congesta fuerit, quam vasa  
capere, & robur cordis ac solidorum regere  
possit, tunc in nulla parte difficilis regredi-  
tur, nullibq; commodius ipsi diverticulum,  
quam in utero, unde in alveis vasorum  
sensim lapsu temporis accumulatur, va-  
sculosas sinuositates replet ac infarcit, do-  
nec earum extremitates, quæ oblique hiant  
in uterum nimium distentæ, diffilant  
tandem & crux effundant.

## §. IX.

Causa eruptionis sanguinis per uteri vascula capillaria, præter stagnationem in venis, est quoque spasmatica partium constrictio.

## Scholion.

Constans est observatio practica, in omni majori & critica sanguinis eruptione, extremonum quandam refrigerationem, dolorem dorsi & inflationem in abdomen, alvum strictam cum corporis languore & gravitate observari: siquidem nimia vasorum a sanguine repletio, secundum Hippocratis effatum aph. 39. sect. 6. efficit spasticas constrictiones, quibus liber progressus sanguinis per capillaria vascula impeditur, hinc ad vasa majora regurgitat, in corde vero nimium congestus, ejus validiorum & velociorem contractionem, quam pulsus durus & magnus in omni sanguinis enorti eruptione conspicuus indicat, suscitat. Impetu igitur per arterias sanguis ad uteri vascula delatus, ea aperit, idque multo facilius, quia uterinæ venæ, jam tum sanguine infarctæ, liberiori sanguinis cursu obicem posuerunt.

## §. X.

Sanguis menstruus per minima vasa tum uteri, tum vaginæ, evacuatur.

## Scholion.

Ex quibus canalibus, utrum ex iis, qui ad uterum, an qui ad vaginam feruntur, sanguis menstruus promanet? magna inter medicos, rei anatomicae peritos, controversia agitatur. Utraque sententia suos habet patronos, ad autoplam provocantes. Nos utrumque fieri posse affirmamus. Quia vero plura vasa ad uterum, quam ad vaginam excurrunt, & spermaticæ, quæ ovarium perreptant, venæ, valde flexuose sunt, non sine ratione asserimus, largiore sanguinis effusionem, ut in abortu, e vasis uteri apertis, ordinari vero mensium fluxum, ex vaginæ vasis fieri. Num vero ex arteriolis, an ex venis, prodeant menses, tam exquisite determinari non potest; quia tamen guttatum succedit fluxus, potius ex venis, quam arteriolis, eum deducere vellem, præsertim cum teste Fantoni in anatomia corporis humani pag. 186. flatus venis uteri-

nis immisso, in cavum uteri & vagina commodissime impelli possit, & venarum tunicae facilius, quam arteriarum latera, aperiantur.

## §. XI.

Periodicæ fluxionis sanguinis ab utero causæ sunt mere mechanicæ.

## Scholion.

Plurimi hujus notabilis phænomeni causas in lunam rejiciunt, quia ad certum e. j. statum, vel phasim recurrere solet. An vero imbecille argumentum est, astrum esse causam, ubi ad certum mensem, diem, vel horam, effectus idem recurrat. Res potius ita se habet: ob tardiorum sanguinis in fœminis progressum, ac languidiorum perspirationem, necesse est, in dies quipiam succi, vel sanguinis superflui in vasis coacervari, ex quo paulatim crescit plethora. Ponamus jam, certam mensuram sanguinis abundantioris requiri, v. g. libram unam semis, ad efficiendam eruptionem per uteri vasa, ad hanc vero colligendam requiri certum tempus, v. g. viginti octo dies; manifesto exinde consequitur; non tempus esse directam fluxionis causam, sed mensuram certi temporis necessariam esse ad certam abundantioris sanguinis quantitatem accumulandam, quæ potens sit ad spasmum concitandum & vasa uteri perrumpenda. Ex quantitate igitur sanguinis, qui sub mensuum fluxu singulis fœminis evacuat, haud difficulter invenire possumus, quantum sanguinis & succi nutritii superflui in quavis fœmina singulis diebus generetur, & quænam quantitas rursus debeat expelli.

## §. XII.

Sanguinis menstrui in fœminis fluxus sanitati prodest.

## Scholion.

Veritatem hujus problematis quotidiana comprobat experientia, siquidem recte se habente hoc fluxu mulierum quoque sanitas bene se habet, is autem, si vitium capit, vel deficit, vel excedat, ilias morborum ingruit; vid. Hippocratis aph. 57. Sect. 5. Galenus libr. de vene sectione adversus Erafistratum ita scribit: Nonne natura ipsa mulieres cunctas evacuat sanguine

ne superfluo singulis mensibus foras effuso? quippe muliebre genus, quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, neque sub claro sole viveret, & propterea quam plurimos humores coacervaret, oportebat, opinor, evacuationem hujuscē plenitudinis, tanquam remedium a natura datum, aceipere. Ad æquabilem enim, liberum & moderatum sanguinis circulum, & cursum, qui omnium partium & actionum integratatem tuerit, certa & proportionata sanguinis mensura requiritur, qualis, sive in excessu, sive in defectu, motus ille humorum, qui sanitatem dispensat, necessario læditur.

## §. XIII.

Nimia sanguinis ex suppressis mensibus redundantia circulum sanguinis impedit, & robur, elaterem & contractionem cordis vasorumque infringit, hinc valde infensa sanguinis stases, stagnationes, congestiones, viscerumque obstruktiones, quæ chronicorum morborum foecundæ procreatrices sunt, resultant.

## Scholion.

Ab imminutis vel deficientibus mensibus, magna utique muliebrium morborum copia nascitur, qui pro differentia partium valde differentes sunt. Si enim sanguis stagnat in capite, melancholiā, capitib⁹ gravem dolorem, vertiginem, oculorum, & auditus gravitatem, pallorem, insaniam, quandoque etiam apoplexiā, concitat; in praecordiis nimium congestus, dyspepsiam, asthmatum, tussim, hæmoptylin, cordis palpitationem, syncope parit: in ventriculo & intestinis si restagnaverit, fiunt inflationes, borborygmi, ructus, praecordiorum anxieties, cardialgia, vomitus etiam cruentus a tormentis, viscera abdominis, si sanguine crasso infarcta fuerint, cachexiam, totius corporis gravitatem, scorbutum, iterum, pathemata hysterica, purpuram, tumores crurum ac pedum, venarum varices, progigni in confessu est. In utero, fluor albus, ejus inflammatio, molles uterinæ & abortus resultant, quæ omnia fluxu hoc restituto levantur vel tolluntur, vel matura sanguinis missione præcaventur. De quibus quidem omnibus, iisque

medendi methodo, ex instituto egimus in dissertatione, de ignota uteri structura multorum in praxi errorum fonte.

## §. XIV.

Circa decimum quartum annum, menses incipiunt, circa septimum vero ætatis septenarium desinunt, & tunc multa sanitatis incommoda procreari solent.

## Scholion.

Incipiunt menses plerumque circa decimum quartum ætatis annum, quia hoc tempore major alimenti copia ingeritur, digeritur, & plus sanguinis ingeneratur, qui prioribus annis multo serofior & nutritio corpori inserviebat. Hic sanguinis incipiens fluxus corpus non raro a plurimis malis, quæ a copiosori sero primis in annis nasccebantur, vindicat. Cessat vero sanguinis fluxus circa quinquagesimum, quia tunc fibræ rigidiiores sunt, capillaria oscula occluduntur, & motus naturæ spastici, qui fabri solent esse excretionum sanguinearum, deficerunt. Nisi itaque tunc plethorae maturavenæ sectione, aut evacuatione, per urinem, vel per transpirationem, auctiori reddita, succurramus, profecto fœminæ post quinquagesimum annum in varia & diuturna mala incurront.

## §. XV.

Non vero tantum fœminæ, verum etiam viri, qui multum sanguinis superflui ingenerant, ejus excretionem, & quidem pervenas sic dictas hæmorrhoidales, presentuntur.

## §. XVI.

Sicut fœminæ ob laxiorem, flexiliorem ac molliorem fibrarum structuram vasorumque exilitatem plethoricæ fiunt, & sanguinis effusionem cum sanitatis emolumento experientur: ita etiam ejusdem texturæ & habitudinis viri, ob plethoram auctam, per hæmorrhoides sanguinem superfluum emitunt.

## Scholion.

Profecto hæmorrhoidum fluxus non tam infrequens est, ac vulgo putatur, uod medici accuratori factū scrutinio optime norunt. Patent vero quam maxime huic fluxui viri fucci pleni, facies formosi, lponiosioris carnis, quia ejusmodi corporis

habitus, ob vasorum etiam secretoriorum angustiam pulsumque languidiorem, non tantum consumit, quantum fuerit assumptum. Junioribus annis ejusmodi homines narium hæmorrhagiis obnoxii sunt, vel etiam ad hæmoptysin inclinant; adultores vero facti, hæmorrhoidalem fluxum experiuntur, qui eo largior, & frequentior est, quo plus sanguinis in venis coacerwatur.

## S. XVII.

Salubris est maxime hæmorrhoidalis fluxus, quia corpus a plethora liberat, & morbos ab hac oriundos præservat.

## Scholion.

Non inepte igitur a veteribus fluxus sanguinis per venas sedis, propter egregium commodum, quod sanitati præstat, vocari solet aureus, oder die guldene Ader. Alii hanc fluxum egregium naturæ bene valentis opus salutant, quod longam sanitatem ac senectutem pollicentur. Nihil itaque deterius est, ac si hic fluxus consuetus & salutaris, prava diæta, vel medicina, intempestive minuantur vel cohibeatur, siquidem graves viscerum obstructions & infarctus, & exinde chronicæ passiones, ut cachexia, hydrops, calculus, flatulentia spasmatica, melancholia, colica convulsiva, passio ischadica, resultant, quæ hoc fluxu prudenter ac tempestive restituto, sanantur. Distinguendum vero est inter fluxum hæmorrhoidalem criticum & sua natura salubre, qui ex sanguinis redundantia & ad eam tollendam fit, & inter eum, qui ex constitutione viscerum abdominis præternaturali originem suam trahit; hinc observamus cachepticos, hypochondriacos & hydropticos fieri hæmorrhoidarios, quæ excretio quandoque cum levamine, quandoque etiam cum detimento fit, præsertim nimia fuerit.

## S. XVIII.

Conservatio corporis nostri valde corruptibilis, a libero sanguinis circulo & progressu, hic vero a convenientibus ingestis, retentis & excretis, dependet.

## Scholion.

Actus utique vitales in motibus tam solidarum, quam fluidarum partium consi-

stunt, hi vero nec diu subsistere, aut continuare possunt, nec materiam, in quam vim suam exerceant, habent, nisi per actiones naturales, quæ alimentorum congruorum ingestionem, & convenienti secrectione ac excretione continentur. Magna itaque vis est ingestorum & egestorum ad vitam & sanitatem conservandam, & ad morborum quoque causas statuminandas, quare medicum ad hæc semper diligenter respicere oportet.

## C A P U T XI.

## De generatione corporis humani.

## S. I.

**G**eneratio est actus, quo minimum, sed organicum corpusculum, in semine præexistens, nutritione evolvitur ac producitur.

## Scholion.

Generatio nil nisi nutritionis & auctiōnis species est, qua mediante lympha nutritia, corpusculum in semine contentum extenditur, quare etiam hæc materia ad actiones naturales recte refertur.

## S. II.

Organica tantum corpora, non vero alia, virtutem sui multiplicativam habent.

## Scholion.

Per corpora naturalia organica ea intellegimus, quæ singulari artificio ad certos edendos motus a natura constructa sunt, & quia in metallis talis organica constructio non datur, ideo multiplicativam vim ibi querere vanus labor est: in regno autem vegetabili & animantium vis seminalis, sive multiplicativa, observatur.

## S. III.

Virtus multiplicativa in eo nobis constare videtur, quod omnes vegetabilium & animantium partes sint organicæ, id est, totius corporis ideam complestantur.

## Scholion.

Quemadmodum minima atomus auri totam texturam auri continet, ita etiam minima molecula plantæ, vel animantis, eius structuram complectitur. Quid enim

semina; tam vegetabilem, quam subtilissima, & delibatissima succi nutritii portio, & unica arbor, planta, aut animal, vel multa millia seminum producit, quorum singula novum, & simile organicum corpus producunt. Neque tantum in seminibus vegetantium, sed in quovis etiam minimo ramulo arborum, ut ex insitione patet, vis propagativa consistit.

## §. IV.

Ergo in quovis semine jam totum, quamvis stupenda exiguitatis, organicum corpus, latet.

*Scholion.*

Utut intellectus nostri limitatae vires minime capere possint modum, quo in semine, & quavis corporis organici naturalis parte totum lateat; hoc ipso tamen rei existentia, & veritas non destruitur, quia plura sunt, & fiunt in rerum natura, quae limites intellectus nostri longissime exsuperant. Neque ad medici scopum pertinet, abdita, & sublimiora haec, quomodo videlicet organica in semine corpuscula producantur, inquirere, aut sollicitius agitare. Sufficerit, ea adesse, & nutritione evolvi, & in conspectum dari. In minimo, proceræ etiam arboris semine, jam tum ejus rudimenta plena latitare, inque insectorum ovis, integra eorum corpuscula jam formata contineri, inque humano semine vivâ animalcula accuratioribus microscopis coaspici, recentiorum curiosæ inventioni debemus.

## §. V.

Subtilissimum illud, quod medullæ cerebri, & nervorum porulos incolit, fluidum, ad specificas, & organicas actiones, & motus recipiendos, & producendos apertissimum est.

*Scholion.*

Singularis, & plane mirifica res est, perversam matris phantasiam deformandi foetum, ejusque partium naturalem conformatiōnem mutandi, ac destruendi potentia instructam esse. Neque enim infantes tantum lineamentis corporis, sed & moribus, ingenio, inclinationibus, ratione animi, parentibus subinde similes sunt. Admiratiōnem meretur, quod scribit *Avicenna in Canone Med. Lib. I. can. 98.*

natum similem esse illi, cujus imago impensa cogitatione tempore congregatus fuit representata.

## C A P U T XII.

*De semine humano utriusque sexus.*

## §. I.

**A**D producenda vegetabilia unicūm tantum semen desideratur; ad generationem vero animantis duo, maris nempe & foeminae, ut concurrent, necesse est, ob duplēm animalium sexum, qui in vegetantibus non observantur.

*Scholion.*

Ad arborem, vel plantam producendam, ut semen in terra fecundetur, tantummodo solis calore, & tenui pluviarum humido opus est: ad generationem vero animalis duo semen requiruntur, alterum, quod in membranacea capsula continetur, sive ovum, alterum fluidum, quod in subtilissimos halitus resolvitur, quale est masculinum.

## §. II.

Animantium semen ex liquido longe tenuissimo conflatum est.

*Scholion.*

Semina vegetabilium nihil aliud sunt, quam suci nutritii subtilissima per angustissimos demum canales secreta portio, multo vero magis in animantibus tenuissima seminis indoles ex subtilitate canalicularum, quibus secernitur, dijudicanda est. Neque si non adesset tanta in semine tenuitas partium, in minimos meatus corporis organici ingredi, nec motum inibi cire, aut partes extendere posset.

## §. III.

Semen maris est tenuissima lymphæ nutritiæ portio, in canaliculosa testium fabrica a sanguine secreta.

*Scholion.*

Anatomicis experimentis constat, testes viriles ex meris concavis, sed tenuissimis tubulis, & secundum *Bellini* calculi triginta ulnas Florentinas ex equantibus, invicem convolutis, esse compositos, quæ diuturniori, in acetō præsertim, materia.

tione, dissolvi possunt: neque minima hæc vascula cavitate destitui, vel ex eo dijudicandum est, quod per hæc ipsa liquidum ad vasa deferentia, & inde ulterius ad seminales capsulas, quæ convoluta quasi intestinula constituunt, deferatur. Sique interdum liquidum in minimis testium canaliculis restagnaverit, ingens sœpe tumor nascitur, qui redditio humore fluidiori, quam facile discutitur.

## §. IV.

Quemadmodum per angustissimos tubulos nonnisi tenuissimum, & quod eorum diametro responderet, liquidum fertur; ita longo ductuum itinere per attritum motum multo subtilius redditur.

## §. V.

Fluidum, quod in testium vasculosa compage secernitur, ejusdem fere indolis videtur, ac illud, quod corticalis, & vasculosa cerebri substantia a sanguine arterioso separatur.

## Scholion.

Fabrica enim testium, & corticalis cerebri muleum inter se convenit. Utraque fluidum a sanguine separat tenuissimum, magna activitate, & potentia movendi instructum. Et hinc petenda est ratio, quare ab intemperativa, & immoderationi venere, non modo animales functiones detrimentum capiant, sed & vitale partium robur, ac tonus inde enervetur, ita prorsus, ut qui in prima aetate si frequentem venerem exercent, corpus infirmum, & morbis obnoxium reddant. Id quod etiam jam suo tempore *Hippocrates Lib. de Genitura*, §. 1. his verbi agnovit: *Genitura viri provenit ab humido, quod in corpore est robustissimum; argumentum vero, quod robustissimum secernatur, hoc est, quia a veneris usu, tam pauca materia emissa, imbecilles reddimur.*

## §. VI.

Summa tenuitas, sive spirituascentia feminis, in causa est, quod circa tempus pubertatis ingens mutatio in corpore obliteretur. Tum enim vox fit sonora, & aspera, pili in mento, & pube incipiunt crescere, neque minus vigor, ac robur animo, & corpori accedit.

## Scholion.

In eundem hæc omnia non visuntur, neque barba in iis crescit, neque vocem sonoram edunt, habitus corporis manet laxus, animus est effeminate, capilli ad muliebrem modum in longitudinem crescunt. Animantibus castratis, ut equis, multum decedit roboris. Caro in castratis boibus, hircis, vervecibus, caponibus, fit succulentior, & pinguior.

## §. VII.

Subtilior succi nutritii pars, per testium canaliculosam compagem transitu spirituosa facta, & ex vesiculis seminalibus per vas lymphatica ad corporis succos reflua, toti corpori agilitatem, spirituascentiam, elaterem, robur, calorem, quo castrati destituuntur, confert, & instar medicinæ optimæ confortantis, & balsamicæ se habet.

## Scholion.

Refluit semen retentum ex vesiculis seminalibus per lymphatica vasa ad sanguinis, & lymphæ massam, ob vasorum lymphaticorum communicationem, quæ ipsis cum vesiculis seminalibus intercepit. Nam si fatus per tubulum in deferentia vasa fortiter immittitur, non modo ipsæ seminales capsulæ, sed & totum lymphaticorum systema, cum ductu thoracico, inflatur.

## §. VIII.

Liquoris seminalis, qui naturæ mobilissimæ, tenuissimæ, simplicissimæ est, minima pars, universi corporis organicam structuram continet, & secundum hanc vividissime operatur.

## Scholion.

Est enim ea indoles fluidi tenuissimi, omnium impressionum, quæ nonnisi vestigia sunt objectorum, recipiendarum capacissimum sit, quemadmodum id videmus in cerebri, nervorum, ac sensoriorum fluido, quod veteribus spiritus animalis nomine venit. Neque dubium est, vel minimam seminis portionem, organismum similem corporis, in quo subsistit, ut ut modo ineffabili, complecti. Et hoc modo veterum sententia intelligi potest, semen a singulis corporis partibus decidere, & animam in corpore unam esse, sed totam in singulis ejus partibus.

## §. IX.

## §. IX.

Constat observatione, tanto saniorem, ac robustiorem fieri infantem, quanto semen matius, magisque excoctum, & subtile est.

## Scholion.

Perfectio vegetabilium, florū quoque, multum dependet a seminis maturitate, & perfectione; quare, si in horti cultura flores, ut tunicæ, primularum, auricularum, pleniores, copiōsiores, & bene coloratos reddere velimus, opus est, ut non omnes feminales capsulas relinquamus, sed paucas tantum, quibus diutius aeri sereno, & calido, minime vero cœlo pluvioso, & frigido, expositis, semen inde magis coctum, & perfectum evadit.

## §. X.

A semine aquoso, minus maturo, vel cocto, debiles infantes, morbis obnoxii, neque diutius viventes, & feminæ frequentius, quam mares progignuntur.

## Scholion.

Attenta observatione discimus, debiles & morbosos parentes gignere etiam ejusmodi liberos. Observamus quoque, liberos in extrema senectute, vel prima adolescentia, aut in ebrietate, vel ab iis, qui venerem nimis mature, & copiose exercent, genitos plerumque admodum debiles, & brevioris vitæ esse.

## §. XI.

Genitura virilis est soboles optimi succi nutritii; ea propter, qui benigno, temperate spirito suo alimento fruuntur, qui que succi nutritii, & sanguinis copiam in generant, tardiusque congregantur, neque vires perdunt, ii ad coitum, & procreandam sobolem sunt aptiores.

## Scholion.

Recte igitur dictum, sine Cerere, & Baccho frigere venerem. Et parentes, qui nec congruis alimentis, nec satis largiter fruuntur, & vires ex morbo, vel aliis causis deperdiderunt, minus bonum, & laudabile semen proferunt, & ad procreandam sobolem inceptiores sunt.

## §. XII.

Uti omne animal, ita etiam homo, ex ovo producitur.

## Scholion.

Quare ovulum, quod nonnisi tenuissimus lymphaticus est inclusus humor in capsula membranacea, ad animalis generationem necessarium sit, haec videntur rationes: quia in liquido inclusu partium situs, formatio, nutritio commodissime, neutrāliam vero in humore, qui difficit, qui exhalat, fieri potest; deinde quia ovula foeminarum a spiritu geniturali virilis actuari, & fecundari debent, opus est, ut humor seminalis membranis includatur, per quas subtilior semen virilis pars transire, & penetrare debet.

## §. XIII.

Neque tantum in minutissima genitura virilis portione, sed & in quovis foemina oculo, integra corporis organici structura, utat maxime exigua, latitat.

## Scholion.

Nisi in oculo ipsa stamina, & prima rudimenta foemella continerentur, nulla ratio appareret, qua ex virili semine foemini corpus, diversis generationis organis donatum, posset prodire. Accedit & hoc, quod infantes non tantum patris, verum etiam matris lineamenta, & utriusque corporis, & que ac animi dispositiōnem similem habeant. Ex oculo vero foemino, quod malculus generetur, id nostro quidem judicio sic procedit. Si genitura virilis corpuscula organica majori motu, & activitate praedita sunt, quam ea, que in oculo continentur, tunc unum ex iis nutritur, & mas fit: si vero major motus in organis corpusculis lymphæ seminalis ovo inclusa est, foemina gignitur. In hanc sententiam concedit quoque *Hippocrates*, qui in *Lib. de genitura* prodidit, mare generari, si semen viri fortius, & foemina debilis; foemina vero nasci, quando semen maris debilis, & foemina fortius est. Quæstio vero moveri potest: quomodo corpuscula organica mascula in ovulum perveniant? verum, si consideremus, omnes partes animalis multo magis minimas, & subtilissimas, hinc seminis etiam esse organicas, facile eas in pores ovuli ingredi, illudque fecundare posse, res non adeo intellectu difficultis est.

## §. XIV.

## §. XIV.

Vulgo habitum ovarium an vera ovula generationi apta contineat, nondum res fatis plana, ac perspicua est.

*Scholion.*

Corpora globosa, & membranacea, valis dictis spermaticis, nec non vesiculis plurimis turgida, & ad latera uteri posita, secundum receptam sententiam, usque eo pro testibus, & ovariis foeminarum habita sunt: hæc tamen assertio plurimis adhuc difficultatibus premitur. Primo, utut concedendum sit, vesiculas quasdam humore lymphatico refertas in dictis ovariis contineri, quæ etiam aquæ calidæ injectæ coagulum induant, neutiquam tamen rationem assequi licet, quomodo hæ ipsæ fecundatae a firmo membranarum involucro, cui altius insident, sine insigni læsione, & erosione ovarii, & extravasatione humorum, se liberare possint. Secundo, nullo modo concipi potest, quomodo ovulum ab ovario liberatum, per canales Fallopianos, ultra duos transversos digitos ab ovario distantes, recipi, & ad uterus provolvi possit. Tertio, non intelligitur, quomodo genitura virilis per solidum uteri corpus, vel tubas clausas, commode ad ovarium, & ovulum, salva sua textura, pervenire, idque fecundare possit.

## §. XV.

Verisimilior eorum appetet sententia, qui ovarium intra uterum, & circa internum ejus orificium, ac cervicem consti-tuant, ubi unique racemos innumerorum ovulorum semper conspicitur, quæ & facilius virili semine fecundari, & a competitibus liberari possunt.

*Scholion.*

Recentiorum quorundam anatomicorum industria, & dexteritati detectio novi ovarii debetur, inter quos merito ego numerare possum anatomicum peritissimum, Liphensem quondam Professorem, D. Naborum, qui ovarium hoc novum inventit, & in dissertat. de Sterilitate egregiis argumentis stabilivit. Is enim jam ante triginta annos, in anatomia publica cadaveris foemini, in nostra Academia disseceti, nobis illud monstravit, & ego

etiam postea semper, quoties occasio tulit, foemininum corpus dissecandi, inveni idem aliisque monstravi. Evidem harum vesicularum jam alii etiam mentionem fecerunt, sed plurimi pro hydatidibus eas habuerunt, vel earum usum nesciverunt: uti Grafius, item Novesius in Zodiaco medico Gallio, itemque Litrius dans les memoires de l' Academie Royale des sciences, nec non Morgagni in adversariis anatomicis abunde confirmarunt. Fatemur vero, contra hanc sententiam pugnare, quod foetus humanus quandoque intra tubam Fallopianam inclusus repertus fuerit; deinde, quod nullus appareat testium muliebrum haec tenus pro iis habitorum aliis usus; cum tamen in iis ovula, calore in coagulum abeuntia, reperiantur. Ut vero ad has dubitationes paucis respondeamus, dicimus, longe facilius ovulum ex uteri cavitate ad tubam Fallopianam, secundo coitu, quam ex testibus sic dictis muliebris ad tubam pervenire posse. Ad secundum reponimus, corpora, quæ huc usque pro ovariis habita sunt, potius esse fulcimenta valorum sanguineorum, quæ inflata ad uteri substantiam copiosissima abeunt. Tum capsulae vesiculares, quarum humor inclusus a calore coagulatur, non modo in testibus vulgo habitis, sed & in uteri ligamentis inque externa uteri superficie copiose subinde conspiciuntur, quas utique, quoniam dispersæ sunt, longe meliori jure pro vasorum lymphaticorum expansionibus, quæ copiosissima sunt circa uterum, quam eas, quæ in cervice hærent, & quæ semper prostant, ut acervatim collectæ, limitibusque suis inclusæ sunt, haberri posse assertimus.

## C A P U T XIII.

## De nutritione foetus.

## §. I.

**N**unquam ex ovo animantis, nisi fecundetur a semine virili, prodit animal. Idem etiam fit in ovo foemino humano, quod agitari in motum, hoc est, fecundari debet semine viri, ut calore aqua-

æquabili, & temperato alimento, per uteri vascula allata, nutriatur, & augmentum accipiat.

## §. II.

A seminis fœcundi immissione, mediante coitu in uterus facta, ingens in eo mutatio subsequitur, quia ejus vasa incipiunt turgere, sanguis incalescit, ac liberius per uterus mouetur, succum nutritum ibi deposit, mensiumque fluxus definit.

## Scholion.

Semen masculinum, ex tenuissima elastica lympha compositum, non modo ovula, sed & sanguinem, & succos in vasis uteri rarefacit, expandit, neque minus tonum, & robur uterinis fibris confert. Jam patet ratio, quare coitus ex mensium defectu cacheeticas sanas reddere, & salutarem hunc fluxum restituere soleat, quod etiam jam suo tempore optime notavit Hippocrates Lib. de genitura, dum ait: coitus sanguinem calefacit, ac viam faciliorem mensibus facit. Etenim mensium defectus, ob nimiam valorum uteri angustiam, & contradictionem subinde accidit. In quibus autem menses fluunt, in iis coitus secundus eorum fluxum siltare solet.

## §. III.

Facta imprægnatione, menses desinunt, quia amphori a virtute seminis expansiva facto valorum uteri spacio sanguis jam liberius per ea circulatur, ejusque stagnatio, que causam, & occasionem eruptionis sanguineæ præbet, impeditur.

## Scholion.

Supra modo demonstravimus, redundantem sanguinem in vasis uteri stagnantem, segniusque progredientem, & spalmi, & eruptionis croris menstruæ, causam esse; quia vero a coitu fœcundo vasa liberius expanduntur, & partes fibroæ majus robur acquirent, & vasculorum orificia, quæ in mensium fluxu aperiri solent, contrahuntur, sanguis effluere definit.

## §. IV.

Incipit in feminis potentia generativa cum mensium fluxu, & definit quoque eo desinente.

## Scholion.

Neque enim aliter generatio, sive corporis organici in semine evolutio, quam actu nutritionis fit, quæ succum gelatinosum, temperatum desiderat, & qui sanguinis quoque materiam constituit. Hæc succi nutritii, & consequenter etiam sanguinis superflui redundantia, circa annum decimum quartum incipit, inque non gravidis optimo consilio omni mensis spatio effunditur. Quia vero in gravidis non amplius ob dictas causas menses fluunt, hinc succus alibilis superfluus per porosam uteri a coitu mutati substantiam filtratur, ac deponitur, qui ad ovuli augmentum, & infantis nutritionem spectat. Definit vero hæc potentia generandi, sive potius nutriti, circa annum quinquagesimum, uteris fibris tunc factis durioribus, rigidioribus, & poris ac vaseulis arctioribus, ut nec sanguis, nec succus nutritius superfluus, ad minima uteri vasa amplius accedere, vel ibi deponi possit.

## §. V.

Gravidæ prioribus mensibus a sanguinis, & succi nimia abundantia, mensiumque defectu in gravia mala incident.

## Scholion.

Fiant hæc ipsa, cum sanguis singulis mensibus purgari solitus non evacuatur, neque ad nutritionem prioribus mensibus omnis impenditur, hinc superabundans, & passim in vasis stagnans, pro partium, ac temperamenti differentia, graves & molestas parit afflictiones. In ventriculo vomitiones, nausea, inflationes, inappetentia; in präcordiis anxietates, spirandi angustiæ; in capite dolores, vertigines, tinnitus, & fusurus aurium; in partibus externis varix fluxiones, dolores, & tumores odontalgiae, capitis erysipela-ta, russet, tumores crurum, dolores dorsi, & artuum languores oriuntur, quæ cuncta symptomata posterioribus mensibus, ubi infans majorem nutrimenti quantitatem exposcit, sua sponte conquietunt, vel etiam si. gravidæ nimium indulgentio, & gula, atque nimis plethorica sunt, usque ad partus tempus durant.

## §. VI.

Nutritur infans medianre succo compre-

satio,

rato, gelatinoso matris, qui per spongiosam uteri substantiam transcolatur, & a secundina recipitur, per cuius vasa ad infantem defertur.

*Scholion.*

In principio ovulum foecundatum, & ingressu feminis virilis turgidum, & expansum, succum tenuem, lymphaticum ex uteri osculis stillantem, per poros recipit, ac nutritur, donec ejus externa membrana poris uteri continua fiat, sive eidem agglutinetur.

§. VII.

Secundina est corpus figuræ orbicularis, octo vel decem pollicum diametrum, & unius pollicis crassitudinem habens, ex innumerabilibus majoribus, & minoribus vasis compositum, quod parte convexa, & spongiosa uteri, ut plurimum fundo adhaeret, in parte vero concava funiculum habet, qui ex duabus arteriis, una vena, & uracho, invicem contortis compositus, inque umbiculum infantis implantatus est.

*Scholion.*

Secundinæ primordia intra ovulum continentur, & primum producentur. Glandulosum maxime esse ejus corpus eo usque anatomici crediderunt, sed Cl. Ruyfchius in *Thesaur. Anat.* 5. Fig. 1. pulchre demonstravit, ex meris, & numero infinitis vasculis illud esse compositum, cuius externa tunica, quæ chorion dicitur, utero continua est, ipsique adhaeret, & exterius quoque ipsum infantem eingit, valdeque crassa vasis sanguineis referta est, interior vero, & subtilior, quæ amnios dicitur, ejus concavam partem obducit, & immediate ipsum involvit.

§. VIII.

Ipsa secundina, quatentis utero adhaeret, ex ejus substantia porosa succum albilem, non vero sanguinem matris, recipit.

*Scholion.*

Crediderunt veteres, sanguinem matris nutritre infantem, & vasa uteri cum vasis secundinæ, & foetus invicem connecti; sed notabile est, liquorem siphone per umbilicales arterias injectum per venam umbilicalem redire, modo placenta illæsa fuerit, ex quo apparet, nullas dari anasto-

moses vasorum utericum vasis secundinæ & foetus, neque sanguinem foetus rursus ad venas matris redire.

§. IX.

Succus nutritius, & chylosus matris ex poris, & vasculis uterinis, interventu membranæ villosæ tenuissimæ, quæ chorio contigua est, non secus, ac chylus a tunica intestinorum villosa recipitur, absorbetur, & per umbilicalem venam fertur, ex qua cum sanguine ad hepar infantis deducitur.

*Scholion.*

Vas, quod succum nutritium matris, & sanguinem per arterias ex infante refluum ad venam cavam, & eorū infantis adducit, est vena umbilicalis, quæ in venæ portæ sinu terminatur, ubi sanguinem cum nutritio succo deponit, quem vero non prius per hepatis viscus, & ramifications venæ portæ, sed per singularem venosum cylindricum canalem, qui in *Ephemericibus natura curiosis Cent.* 5. & 6. obser. 27. a Cl. Heijero recte delineatur, proxime in venam cavam, & exinde in cœr transmittit, manifesto documento, eum succum, & sanguinem tam purum esse, ut non necesse sit, biliosas, & excrementitias fordes prius ibi separari.

§. X.

Placentæ uterinæ munus est, non tantum succum nutritium ab uteri orificiis recipere, inque corpus foetus infundere, sed & sanguinem ex arteriis foetus iliacis acceptum fluidiorem, & subtiliorem reddere.

*Scholion.*

Placenta uterina ex innumeris capillaribus minimis vasculis est contexta, per quod dum transit sanguis, atteritur, comminuitur, inque minimas partes, ac globulos dividitur, intima unione suæ nutritiæ cum sanguine facta, ut hac ratione per tenues canaliculos embryonis commodius transire, & nutritionem præstare possit: unde revera secundina in foetibus vice fungitor pulmonum, qui in foetu a numero suo vacant, quod identidem in intima sanguinis partium comminutione, earumque unione cum chyloso succo consistit. Qua de causa etiam vena umbilicalis id habet peculiare cum vena pulmonali, ut sanguinem flu-

xilem, floridum & arterioso similem ve-  
hat, quod omnibus aliis venis negatum  
est. Gaudet præterea placenta uterina hoc  
officio, ut motu dilatationis, & compres-  
sionis muscularam abdominis, in matre  
compressa, & dilatata, fluxum, & reflu-  
xum sanguinis ex fœtu in placentam, &  
rursus ex ea ad hunc, egregie promoveat.

## §. XI.

**¶** Quando orificia vasorum uteri, ex qui-  
bus succus nutritius a villosa placentæ sub-  
stantia recipitur, sanguinis copiosi impetu  
nimium distenduntur, & aperiuntur, &  
secundina divellitur, fit abortus, qui est  
contraëcio uteri convulsiva fœtum ejiciens.

*Scholion.*

Abortum semper præcedere solet enor-  
mis uteri hæmorrhagia, & ipse plerumque  
circa mensem tertium, & quartum sit.  
Hæmorrhagia vero sine nimia distensione,  
& apertione vasorum uteri contingere ne-  
quit, qua non modo succus nutritius, cu-  
jus vehiculum sanguis est, infanti detrahi-  
tur, sed & secundina ab utero separatur,  
atque avellitur, quia ejus conjunctio cum  
tenuissimis vasorum uteri orificiis amplius  
persistere nequit. Qui sanguinis fluxus &  
separatio, si levior fuerit, & tantum quo-  
ad partem, salvus semper manet embryo.  
Neque cum hoc fluxu sanguinis ex secundi-  
na divulsa confundi debet menstruus flu-  
xus, qui in nonnullis gravidis plethoricis  
per aliquot menses, sine ullo vita, & sa-  
nitatis detrimento, quandoque adhuc du-  
rat, sed per vaginæ vascula effertur.

## §. XII.

Quocunque itaque impetum sanguinis  
ad uteri vasa urget, eumque ad spastico-  
mas contractiones disponit, id abortum  
quam facile provocat.

*Scholion.*

Cujus generis sunt motus, & exagita-  
tiones corporis nimiae, ira & terror vehi-  
mentior, ex medicamentorum classe, forti-  
tiora purgantia, emetica, balnea sanguini-  
nam nimis rarefacientia, ex morbis febres  
acutæ, variolæ, affectus hysterici, quæ  
frequentissimæ, præsertim in dispositis,  
solent esse abortus cauſæ.

## §. XIII.

Quæ semel abortum passæ fuerunt, fa-

cile in eundem recidunt, præsertim si non  
ita brevi post factæ rursus fuerint gravide.

*Scholion.*

Quia tenuissima vasorum uterinorum ra-  
mificationes, a sanguinis impetu nimium  
distractæ, & dilaceratæ, non tam subito  
rursus contrahi, & consolidari possunt,  
hinc facile rursus facta imprægnatione, a  
sanguine plethorico, circa tertium, vel  
quartum mensem, aperiuntur. Elucefecit  
inde ratio, quare prudens missio sanguinis  
gravidas a periculo abortus securissime  
præserves.

## §. XIV.

Abortus periculosior solet esse partu ob  
lethalem subinde evenientem hæmorrhia-  
gam.

*Scholion.*

Abortus periculosior est partu, quia si  
impetu sanguinis vasa uteri nimium ape-  
riuntur, & placenta avellitur, infans mo-  
ritur, qui, præsertim grandior, ob vires  
imbecilliores matris factas, difficulter  
egreditur; unde utero ab infante mortuo  
distento, orificia vasorum, ex quibus san-  
guis stillat, aperta manent, & quam faci-  
le lethalem sanguinis profusione effici-  
unt, quæ alias post fœtus exitum, spon-  
tanea uteri contractione, clauduntur.  
Unde utique tali in casu abortus, sive cita  
fœtus ejectione, vel etiam ejus artificiosa ex-  
tractio, salutifera dicenda est, quia morti  
eripit.

## §. XV.

Succus nutritius matris fœtum in utero  
nutrit. Qualis itaque indolis est, talis quo-  
que est nutritio fœtus in utero.

*Scholion.*

A sanitate omnino matris, ejusque san-  
guinis, atque humorum bona temperie,  
ac indole, fœtus humani nutritio, & vigor  
dependet. Qua de causa omnia errata dia-  
tetica matris gravidæ luere debet infans,  
& quo melius habet ea, & sana, ac inte-  
gra est, eo robustior, & minus morbis ob-  
noxius infans prodit; quin imo inordinata-  
tos animi affectus in matre mox percipit  
fœtus in utero.

## §. XVI.

Cum motus constrictio[n]is, & dilatatio-  
nis in placenta uterina circulum sanguinis  
per

per eandem, & fætum egregie promoveat, hic autem a respiratione matris dependeat, sequitur, vitam nimis sedentariam, & otiosam infanti maxime esse inimicam.

*Scholion.*

In vita sedentaria respiratio admodum lenta est, hinc circulus sanguinis in matre etiam lentior, succos valde spissos gignit. Nam respiratio lenior motum quoque musculorum abdominis leniorem efficit, hinc non potest aliter fieri, quin placenta motus, & compressio legnior evadat: quare succus, & matris, & infantis valde spissus, & glutinosus evadit, qui firmorem agglutinationem in utero non modo efficit, sed & succos impuros in fœtu producit. Ex quo apparet, quam salutaris sit moderatus gravidarum motus, & quam inimica sanitati sit nimis otiosa earum vita.

**§. XVII.**

Non probabile est, fœtum ultimis mensibus succo gelatinoso ia amnio contento nutriti.

*Scholion.*

Erronea utique videtur sententia, infans per os, non vero per umbilicalem funiculum, accipere nutrimentum. Nam organa, ventriculus, & intestina cum vasibus lacteis, in tenello corpore minutissima sunt, ut succum nutritium non bene capere, multo minus per tam longum iter venarum lactearum, & ductus thoracici ad cor deducere possint, cum via longe brevior, & amplior ad cor per funiculum umbilicalem detur. Neque ego ullam magni momenti rationem invenire possum, quæ mihi nutritionem fœtus per os ultimis mensibus fieri persuadeat. Etenim suetio, & deglutitio sine respirationis ope fieri nequit; quæ tamen in utero materno plane cessat. Deinde, illud tam certum est, quam quod certissimum, aquas in amnio contentas, fœtu grandiori facto, non decrescere, sed potius augeri, quia plus urinosis, quamquam insipidi, liquoris emitit. Sique fœtus in utero alimentum ore assumeret, tanta excrementorum moles in ejus intestinis colligi deberet, ut necesse haberet in utero aluum deponere. Neque hic objicere sufficit, liquorem amnii

esse nutritiis partibus turgidum; eum enim nutrire, inde haud quamquam evinci potest, nam serum hydropicorum extravasatum ejusdem indolis est.

**§. XVIII.**

Fœtus in utero non respirat, sed pulmones feriantur.

*Scholion.*

Deficit enim aer atmosphæricus, qui, nisi pulmonum vesicularem, & vasculam substantiam distendat, sanguis ex uno ventriculo in alterum transire nequit, sed breviorem viam, per canalem arteriosum, ex arteria pulmonali in arteriam aortam porrectum, & insertum, & per foramen ovale, quod ex auricula dextra ad venam pulmonalem spectat, instituit. Quod ve- to nullus aer in fœtus pulmone contineatur, experimentum per antilam pneumaticam institutum probat, dum pulmo infantis, arteria aspera constricta, sub campana collocatus, educto ex eodem aere, nihil prouersus intumescit, aut inflatur, & aquæ immisus submergitur. Qua etiam de causa non de nihilo est illud experimen- tum, quo nimirum in casu infanticidii per pulmonem infantis injectionem in aquam explorare solemus, utrum fœtus vivus, an mortuus in lucem prodierit? nam in priori casu, pulmo aquæ supernatat, in posteriori, ad fundum fertur.

**§. XIX.**

Fœtus humanus mense solari nono, secundum naturæ ordinem, partu excluditur.

*Scholion.*

Plures causæ partus dari solent, inter quas hæc mihi valde videtur verosimilis, quod grandior fœtus majorem potentiam movendi in artibus acquirat, qua non modo, sed & pondere, membranas, quibus includitur, ipsumque uterum distendit, atque lacessit, unde spasmus in universo genere nervofarum partium concitat, cuius beneficio uterus comprimitur, fœtusque expellitur, ipsaque secundina hac ratione paulatim sese ab uteri villosa substantia separat, atque divellitur.

**§. XX.**

Excluso fœtu cum secundinis, uterus se rursus contrahit, & humor sanguineus dilutior

Iutior ex ejus vasis, ac poris exprimitur, qui fluxus lochalis a medicis appellatur.

*Scholion.*

Maxima & plane mirabilis vis elastica utero inest, qua supra modum distendi, & contrahi potest, quæ partim a fibrarum, ex quibus variis conflata est uteri substantia, mechanica structura, partim etiam a subtilioribus succis, & sanguine ibi conten-tis dependet. Compressionem uteri editio-facto externæ ligaturæ promovent, quæ ad eliciendos ex uteri poris stagnantes luceos valde necessaria est, ne ibi corrupti putredinosam inflammationem causentur.

## C A P U T X V.

### De Secretione lactis.

#### §. I.

Post foetum editum, tertio ut plurimum die, mammæ turgescunt, at tolluntur, & lac copiosum gignunt.

*Scholion.*

Humores redundantes, inque uteri insignioribus vasis contenti, ejus contractio-ne in venas ingrediuntur, inque copiosa, & laxiora mammarum vasa divertunt, ea-que distendent, ut lac in earum glandulis separetur, quæ mutatio in mammis, nec non glandularum, ac ductuum subita, & solita distensio, dolorem, & febrem sub-inde producere solent, quam vocant *das Milch-Fieber*.

#### §. II.

Lac est succus chylosus, a sanguine in glandulis mammariis ad alimoniam infan-tis secretus.

#### §. III.

Lac est chylus, non vero sanguis, im-mutatus.

*Scholion.*

Hoc theorema pluribus argumentis de-monstrari potest. Etenim dantur nutrices, quæ duas lactis libras quotidie emittunt; quædam ex vaccis in Frisia singulis die-bus triginta pintas lactis, quæ lexaginta libras complent, reddunt: si vero lac es-set sanguis, hic non tam copiosus in venis

Tom. I,

existeret, neque sine virium, & vita de-trimento posset amitti. Deinde ipsæ nu-trices animadvertunt, non multo post a pastu, calido sumto potu, ingentem, & sensibilem lactis ad mammae fieri adflu-xum. Porro, a varietate alimentorum la-tis magna est differentia. Ita vaccæ, quæ vere tenui gramine, & herbarum floribus vescuntur, optimum lac, flavum, & bu-tyrosum, præbent; quando vero hyeme stramine hordeaceo pascuntur, lac laporis subamaricantis fit, & parum butyri red-dit, quod statim melius evadit, si matres familiæ floridas herbas reponunt, & pa-bulo adniscient. Ipsa quoque virtus, & color alimentorum transit in lac, & hæc est causa, quare croco, vel rhabararo assumto, tingatur, ac purgante paulo va-lidiori nutrici dato, infantis alvum laxan-di virtutem acquirat. Et quia sic lac suam bonitatem ab alimentis mutuatur, viden-dum est, ut nutrices, si salutare pro alen-do infante lac gignere debent, alimenta congrua, & amica assumant, vel etiam medicamentis lactis vitium corrigant. Differt demum multum sanguis a lactis texura, & crasis; nam hoc in butyrum, serum, & caseum facile fatiseit, atque acescit, sanguis vero mora in foetidam abit putrilaginem, neque unquam buty-rum, aut caseum præbet.

#### §. IV.

Licet sanguis non sit proxima lactis ma-teria, ejus tamen gelatinosam, & pin-guem partem ad lactis generationem multum conferre, vero videtur proximum.

*Scholion.*

Singularem indaginem meretur, quod nutrices febribus detentæ a cibo absinen-tes, nihilominus lac in mammis copiosum subinde generent, quod citra noxam infantibus offertur; videtur hoc quam origi-nem habere ex colliquata per calorem pin-guedine, quæ cum potu tenui mixta, la-cteum succum ingenerat.

#### §. V.

Neque tenuissimum, quod per cerebri canaliculos, & nervos vehitur fluidum, a confortio, & mixtione lactis alienum est.

H

*Scho-*

*Scholion.*

Hoc subtile fluidum videtur, & excrementitis, & alimentariis corporis succis admixtum esse, quorum copiosa excretione vires amitti in propatulo est. Et longe quoque salubrius lac esse, quod mox ex mammis emulctum sumitur, quam si illud frigidum redditum rursus calefactum fuerit, certissimum est. Notum quoque est, a vehementi animi affectu, terrore, ira, lac insaluberrimum reddi, ita, ut epilepsiam, vel ventris tormenta, in tenellis infantibus suscitet. Animam autem agere immediate in fluidum nerveum, id que inordinate movere, nulla ratione negari potest.

## §. VI.

Mammæ, quæ ex copiosis glandulis, medium potissimum locum occupantibus, & ductibus lactiferis compositæ sunt, genuinum lactis colatorium constituant.

## §. VII.

In gravidis, & lactantibus mammarum increscit magnitudo, quæ in virginibus, & ante pubertatem minima est.

*Scholion.*

Mammarum, quæ ex glandulosis globis pinguedinosis, arteriis, venis, & ductibus lactiferis constant, magnitudo a copiosioris sanguinis, & succi chylosi affluu, adeoque a tubolorum, & vasculorum diffensione, maxime dependet, unde abundantiori facto sanguine, quod fit post pubertatem, vel cessante mensium fluxu in gravidis, & lactantibus, turgidiores quoque mammae fiunt. Observamus quoque macilenteriores, & quæ vasa capaciora habent foeminas, mammas majores, & copiosorem lactis proventum habere, quam pingues, atque exilibus vasis donatas.

## §. VIII.

Neque tono, & motu elastico destiuntur mammae, ita ut & dilatari, & contrahi possint.

*Scholion.*

Gaudent enim, & glandulæ, & lactiferi ductus tunicis nervosis fibrosis, & sensibilius, quarum motus est dilatationis, & constrictiois. A frigore itaque, a terrore, cum ductus mammarii constringuntur,

parcius lac affluit; frictionibus vero cum oleo factis, calidis, & temperantibus, sedativis, quia tonus constrictus relaxatur, lac rursus copiosum reddi potest. Per hinc quoque potest ratio, quare medicamenta sale volatili, acri, aromatico imbuta, in calidioribus, & macilentis, lactis incrementum plus impedian, quam promoveant.

## §. IX.

Lac difficulter profluit, sed suctione elicetur.

*Scholion.*

Nam tubuli lactei, ex folliculis glandulosis prodeentes, variis ramiculis, & anastomosibus coeunt, illique modo expansi, modo coarctati, cellularum instar lac custodiunt, qui circa papillam in fistulas angustiores, & exigua ostiola desinunt, ut exitus prohibeatur.

## §. X.

Lac primum, & optimum tenellorum est nutrimentum, quia in iis ventriculus valde adhuc est debilis, & salivæ, nec non bilis, tanquam liquorum solventium, atque etiam caloris digestoriæ est inertia, ut alimenta in chyolum succum minus possit dissolvere.

*Scholion.*

Ex hisce petenda est ratio, quare lactis potus phthisicus, & imbecillis corporibus, in quibus vis digestrix, & dissolatrix ventriculi languida est, saluberrima, & ad resiciendas vires admodum opportuna sit medicina.

## §. XI.

Cum itaque lactis materiam constituat chylus, ejus autem bona, vel mala indoles, ab assumtis, & digestis alimentis, & a salutaribus excretionibus, quæ chyli, & sanguinem depurant, dependeat, satis appetet, ad laudabile lac pro nutrimento infantis generandum, opus esse, ut ad ingesta, & excreta nutricis maxime respiciamus.

*Scholion.*

Attenta edocet experientia, nutritiōnem, & sanitatem infantis a lactis materni bonitate maxima ex parte dependere. Quare, si nutrices varia incongrua devorant, corpus non motu exercent, & immu-

minutas excretiones habent, vel animi affectionibus obnoxiae sunt, graves statim noxas tenelli infantes experientur.

## §. XII.

Lac mutuatur suam naturam ab alimentis ipsis nutritis: unde ex horum indole, ac conditione, lactis conditio dijudicari potest.

## Scholion.

Multum refert ad lactantium iofantum sanitatem conservandam, ut lactis conditionem perspectam habeamus; id vero variis modis explorari potest, I.) evaporatione, II.) pondere, quod optime exploratur instrumento statico, quo specificam gravitatem cerevisiae, vel aquæ falsæ cognoscimus, III.) affusione spiritus vini rectificatissimi; hac enim ratione, proportio solidi, crassi & terrestris elementi, neque minus fluidi, perspicitur. IV.) Butyrosa ejus substantia apparet, si per virginati quatuor horas in locum tepidum seponitur..

## §. XIII.

Quoniam nutricum lac valde differt, & corpora quoque infantilia, eorumque constitutio, ac vires, multum inter se ratione teneritudinis, & imbecillitatis dissident; hinc facile colligitur, non onne lac singularis infantibus convenire, ita prorsus, ut quod alii ferre possunt, ab eo alii lardantur.

## Scholion.

Sicut enim & copiam, & facultates, alimentorum ad corporum vires assilimare,

secundum sapientissimum Hippocratis monitum *L. de prisa medicina*, semper convenit: ita teneriores infantes a lacte crassiori, ejusque copia valde laedi, animadvertisimus, siquidem exiliora eorum vasa facile obstruuntur, & ab ejus crassitate subtilior tunica villosa intestinorum obducitur, ut atrophiae, & flatulentiae primarum viarum inde sequantur. Huc accedit, quod lac crassum in coagulum facile secedat, & diuturniori mora corruptum, corrosivum evadat, quo postea facile tortima, & convulsiones concitantur.

## §. XIV.

Cum major, & deterior noxa a lacte crassiori, quam a tenui metuenda sit, consultius semper est, nutritibus ejusmodi alimenta præbere, quæ lacteum humorē faciat tenuem, fluxilem, ac dulcem generant.

## Scholion.

Pessimus est mos, & falsa vulgaris persistatio, optimum, & sanitati infanti convenientis lac generari, si nutritibus alimenta substantifica, ex carne, ovis, farinaceis parata administrentur, ratio potius ex perversa hac diæta deducenda est, cur divitium liberi frequentius, & facilius ægrotent, & moriantur, quam pauperum. Semper itaque tutius est, primis mensibus lac tenui infantibus præbere: successive vero, & circa exitum anni primi, crassius & plus alimenti continens, minori periculo offerri potest.

PHILOSOPHIÆ  
CORPORIS HUMANI  
LIBRI PRIMI  
SECTIO III.

*De actionibus animalibus, fluidi tenuissimi in cerebro secretionem ejusque usum, atque animæ potentiam in corpus, necnon sensuum exercitium.*

CAPUT PRIMUM.

*De secretione tenuissimi in cerebro,  
& nervis fluidi.*

§. I.

**I**N cerebro fluidum sécernitur, & mediante duræ matris tono, ac motu syphilitico, placide & æquabiliter tubulos corticales, & medullares comprimente, ad medullam oblongatam, ac inde per nervos ad partes fertur, ut motum, sensum, & nutritionem præstet, ac perficiat.

*Scholion.*

Neque enim ullus alius cerebro usus, nisi secretorius assignari potest, quem tota ejus fabrica, ac valorum apparatus satis, abundeque ostendit. Nisi etiam per cerebri substantiam liquidum progrederetur, periculum foret, ne in corruptionem abiret, quia vix quicquam, nisi solus motus, ac progressus fluidorum, universi corporis partes a præsentanea corruptione defendit. Cujus vero proprietatis, & indolis sit id, quod ibi seernitur liquidum, de eo variae sunt auctorum sententiae. Veteres, quibus fluidorum, & subtilissimorum corporum natura, agendi & movendi vis, atque potentia ignota fuit, hoc spiritum appellau-

runt, & quidem animalem, quia anima hoc tanquam instrumento ad functiones suas exercendas utitur. Complures ex recentioribus hoc fluidum aereo-æthereum, lucida, ac igneæ elementaris naturæ esse volunt. At, qui lucis, ignis, aeris, & ætheris proprietates perspectas habet, is quam facile judicabit, ejusmodi fluidum a sanguine per canales, utut tenuissimos, neque separari, neque illi contineri posse.

§. II.

Duplex in fluido cerebri, & nervorum admittenda est substantia, altera omnium tenuissima, ad motum celerrimum, & varium recipiendum, atque propagandum apta, altera crassior, quæ magis humida, atque illius vehiculum est.

*Scholion.*

Liquores magnæ agilitatis, qui spiritus a chymicis vocantur, ex tenuissimis, exilissimis vaporibus, & qui celerrime in auras avolant, compositi, sub phlegmate, tanquam involucro, detinentur, inde fit, ut in spiritum mineralium præparatione, receptaculis parum aquæ indatur, quo vapores tortura ignis ex iis expressi, commodius in hac recipi, & custodiri possint. Similem quoque in modum tenuissimum, ac spirituosum cerebri fluidum in lymphatici humoris sanguini servatur.

§. III.

## §. III.

Fluidi tenuissimi secretorum est cerebri cinericea, corticalis, & mere vasculosa compages.

*Scholion.*

Cerebrum jam tum olim Hippocrates glandulam agnoscebat. Ex recentioribus Malpighius glandulosum corticem eius pronunciabat, ibique separari tenuem quoddam liquidum affirmabat. Ruyshius autem in thesauro anatomico pulcherrimis injectionibus ad oculum demonstravit, corticem cerebri non glandulosum, sed ex minimis vasculis compositum esse, quia ater liquidi injecti color intime hunc ipsum tingit, quod etiam nobis in nuperima anatome visum est, ubi tenuis rubicundus liquor, per carotides injectus, pluribus in locis in corticem cerebri penetravit.

## §. IV.

Stupenda vasorum, quibus cortex cerebri constat, angustia, clare docet, liquidum summe subtile, remanente crassiori parte, ibi deponi, atque secerni.

*Scholion.*

Per canales, qui sunt amplioris diametri, liquidum non modo subtilius, sed & crassius transit; ubi vero summa canalium est angustia, nihil, nisi quod eorum diametro respondeat, transmitti potest. Neutquam hinc mirandum est, si chylus multis excrementiis, & impuris particulis adhuc scatens, & recens sanguinis affusus, atque ad caput delatus, tantummodo delibatissimam, & subtilissimam ex alimentis portionem, non vero crassas, atque impuras aquaeas partes ibi deponat.

## §. V.

Materia fluidi, quod in cerebro separatur, est spirituosa, & subtilior chyli, lymphæ, & sanguinis pars.

*Scholion.*

Certum est, neque negari potest, mox a pastu, maxime vero ab alimentis robustis, e.g. pane, vino, & aromatibus, protinus hominem refici, & corpus inde vigorem, & partes robur accipere, cum contra inedia corporis æque, ac animi vires, deficere incipient. Animadvertisimus quoque, a vaporibus graveolentibus, &

Tom. I.

in primis narcoticis, languorem & stuporem menti, ac corpori induci. Ergo necesse est, separari quippam ex alimentorum perinde, ac medicamentorum tenuiori substantia in cerebro, quod sensum, motum, partiumque robur faciat, augeat, vel etiam immixuat.

## §. VI.

Tertia fere pars sanguinis cum chylo, & lymphæ permixti, transituque per pulmonum vasculosam fabricam prius inter se probe comminuti, & subiecti, ex sinistro cordis sinu, per arteriosa vasa, ad cerebrum defertur.

*Scholion.*

Consideratione omnino dignum est, quod sanguis in dextro ventriculo, affluxu lymphæ, & chyli de novo quasi animatus, & in pulmonum canaliculosa substantia prius comminutus, in ingenti satis copia, brevissima via, & antequam contingat alias partes, per carotides, & vertebrales arterias, mirifice inter se anastomosibus junctas, protinus ad cerebrum propellatur; certe non alio fine, quam ut tenuissima, & spirituosa chyli cum sanguine con fermentati pars ibi in peculiarem usum separetur.

## §. VII.

Tardior etiam sanguinis per vasa cerebri progressus multum ad secretionem lymphæ spirituosa fluidissimæ confert.

*Scholion.*

Validus quidem sanguinis ad cerebrum ob validiorem in propinquuo cordis systolen, per carotides est impetus: nihilominus plura sunt, quæ eundem minuant, infringunt, atque retardant. Facit huc arteriae magnæ, ubi e sinistro cordis ventriculo egreditur, incurvatus arcus, qui propter obliquam resistentiam propulsit crux impetum multum frangit. Deinceps curvatura carotidum, quæ observatur, dum per quartum foramen, sub osse petroso, in canali ossi sphenoideo insculpto cranii cavum ingrediuntur, & sub dura matre prorepunt, appulsum impetuoso refrænat. Idem præstant variae illæ complicationes, innumeræ divisiones in minutissimos ramos, & anfractuosus tratus vasorum, eo quod in singulis curva-

turis, & flexionibus angulus incidentia mutatur, & nova oritur resistentia. Accedit arteriarum, tam carotidum, quam vertebralium, utrarumque, æque ac ambarum, inter se se connexio, & mutua inservit, qua sanguis oppositis velut nisi bus sibi occurrit, & unus impetus alterum infringit. Maxime omnium vero ad placidum sanguinis per cerebrum progressum confert, quod arteria tum vertebrales, tum carotides, simul ac cranium subeunt, validam suam tendineam tunicam, cui vis systaltica elastica inest, deponant, & venarum similes quasi fiant. Hæc ergo lentior sanguinis per cerebri, & arteriolos, & venulos, canales ac sinus progressio, admodum velificatur secretioni subtilissimæ, & spirituosa lymphæ, idque legibus naturæ microcosmicae admodum est conforme, quum in iis partibus, in quibus tardius procedit sanguinis iter, ut in mesenterio, hepate, ipsis quoque pedibus, notabilis humoram, per vala, præsertim lymphatica, observetur secessio.

## §. VIII.

Separari liquidum in cerebri cortice, idque per medullarem substantiam ferri, plura sunt, quæ confirmant.

*Scholion.*

Quandocunque consideramus arteriolarum tomentosum quasi habitum, imperscrutabili contextu corticem cerebri componentium, deinde arteriosi cruoris, ex pulmonibus egredientis, parte subtiliori lymphæ, & chyli imbuti, copiam, validiori cordis vi ad cerebrum appulsum, porro si perpendimus, assidua illa, ordinata, ac proportionata staminum cerebri, a primo vitæ punto, ad ultimum ipsius terminum, incrementa, atque propagines, & quod lymphæ in cerebro contenta citissime exhalet, neque ad ignem concrescat, facile apparebit, cerebri & cerebelli canaliculos esse debere tenuissimos, pervios, quod etiam *Levvenhoeck*, se per vitra optica vidisse, in epst. 36. testatur, & qui subtilissimum corporis humorem excipient, qui in cortice secretus, in minimas medullæ fistulas impulsus, inque medulla oblongata, & spinali collectus, undique ad omnes corporis partes deferatur.

## §. IX.

Non minimam, sed insignem esse liquidi, quod in cerebro separatur, copiam, partim ex hujus, necnon cerebelli, & medullæ spinalis mole, nervorumque copia, partim etiam ex sanguinis appulsa, qui ad hæc loca fertur, dijudicare possumus.

*Scholion.*

Cerebri moles in homine major est, quam in robustissimo bove, & non raro libras quatuor ponderat, & medulla, quæ in spina dorsi continetur, nil nisi corticalis, & medullaris cerebelli portio continua est, ita tamen constructa, ut corticalis interior, medullaris vero exterior sit; & quia ex hac tam numerosa nervorum pars prodeunt, nullum est dubium, quin etiam in hac ingens tenuissimi fluidi copia separetur.

## §. X.

Fluidum in cortice cerebri separatum, in medulla oblongata, quæ nervorum radix est, colligitur, & ad sensoria, & alias partes, pro motu, & sensu efficiendo, transfertur.

*Scholion.*

In cerebro novem paria ex medulla oblongata, quæ basis & inferior pars cerebri compactior est, prodeunt, siquidem nervi olfactorii, & optici ab inferiori, & anteriori crurum medullæ oblongatae parte producuntur, ideoque error est, ex thalamis sic dictis opticis visui inservientes nervos prodire. Tertium par, quod oculorum motui destinatum est, ab antica & superna, quartum & quintum a media, sextum a posteriori processus annularis parte enascitur. Septimum vero ex caudice medullari prope secundum cerebelli processum emergit. Octavum ex corporibus pyramidalibus, nonum ex olivaribus, incunabula trahere conspicitur. Reliqua tria, quæ paria nervorum cerebri a quibuidam venditantur, ex vertebbris potius colli, ad ejus motum sustinendum, prodeunt.

## §. XI.

Quod liquidum nervos ingrediatur, & per eos ad musculos pro motu efficiendo feratur, evidenti experimento evinci potest.

*Scholion.*

Quandocunque canis viventis sternum, & anterior diaphragmatis portio caute a se invicem separantur, ita, ut nervi phrenici nil detrimenti capiant, & alteruter horum paulo superius, antequam diaphragmati se inserit, digitis comprimatur, tum paulo post moveri desinet diaphragma; & si pars nervi inter diaphragma, & comprimentes digitos, alterius adstantis digitis per totum suum ductum ad insertionem usque comprimatur, ut possit exprimi, si quis superest e nervo succus, & diaphragmati immitti, tum rursus in motum redibit diaphragma, eumque servabit per aliquod tempus, alterne se contrahendo; & quando hoc peracto, amoventur per paucillum temporis a nervi contactu digiti, & postea rursus admoventur, & in compressionem adducuntur, cessabit a motu diaphragma, donec pars nervi inferius intercepta, altera manu admota, successive exanimiatur versus diaphragma, tumque rursus in motum deducetur ille musculus, eademque omnia sibi eveniunt.

*§. XII.*

Medulla oblongata est omnium partium in toto corpore, si a corde discedamus, priinceps, & praecipua.

*Scholion.*

In hac enim fluidum in cerebro secretum colligitur, inque nervos, sensum, ac motum partibus conciliando, infunditur. Qua ex causa, vel minima etiam ejus laesio, compressio, aut dilaceratio, lethalis habetur, ut videmus in apoplectis, & graviori, ac violenta capitis laesione, ubi languis extravasatus hanc partem si comprimit, subito mortem infert. Et notabile est, quod nulla cerebri vulnera, si modo stagnantibus humoribus exitus maturus possit concedi, in se sint lethalia, quod ingens clavus, salva vita, per caput, & cerebrum canis, modo non finus cerebri, vel medulla oblongata tangatur, transfigi possit.

*§. XIII.*

Nervi sunt fasiculi plurimorum pellucidorum, & tensilium filamentorum, quorum latera interventu membranarum inter se invicem uniuertuntur.

*§. XIV.*

Nervos esse fasiculum canaliculorum, qui, intus cavi, liquidum vehunt, non facile affirmaverim. Sed tamen tenuissimum quoddam liquidum nervea stamina, a cerebro usque ad extrebas partes, & ibique per eorum poros, comitari ac perfundere, utique recte infertur.

*Scholion.*

Qui liquidi in nerveis existentiam, ejusque influxum in partes negant, vel in dubium vocant, hisce argumentis uruntur: primo, quod dissectis nervis, neque ulla cavitas, neque manifesta humiditas, appareat, deinde, quod ligato nervo, non fiat inter ligaturam, & cerebrum turgescentia. At vero, qui considerant, in plantarum radibus, inque ramis, & foliis arborum dissectis, identidem nec ullum ad sensum succum extillare, nec cavitatem conspici, nec etiam ligatura constricta haec intumescere, quum tamen liquidum nutritioni, & incremento serviens, per has partes ferri certum sit, is facile hujus argumenti debitatem animadvertiset. Nervos autem a ligatura non turgescere, haec maxime est ratio, quod ipsi ex fasciculo filamentorum tenuissimorum, quorum singula subtili membrana, & poris praedita sunt, & innumerabilibus ramificationibus constent: hinc facile liquidum compressum per latera in alias vicinas partes influit. Nervos vero multis poris pervios esse, vel ex hoc unico dijudicandum est, quod portio nervi cranialis absissa, & per aliquot dies in aqua pluviali macerata, in triplo majorem excrescat magnitudinem.

*§. XV.*

Dura mater, motu dilatationis, atque constrictions, in cerebro, fluidi tenuissimi separationem, sanguinisque progressum egregie adjuvat.

*Scholion.*

Mater dura refluum per venas ex arteriis piæ matris, inque sinus suos receptum sanguinem reducit ad cor, & motu leniori tonico adjuvante, quo placide succusat cerebrum, liquidus nervi motum, & secretionem simul promovet. Considerandus hunc in finem est peculiaris fibram, nervarum, membranacearum, &

musculosarum, ex quibus componitur, apparatus, situs, atque structura, siquidem situm rectum, atque obliquum, non secus, ac in vesica urinaria, nausta sunt; praterquam quod circa sinus duos laterales, magis arcuatæ, & circulares deprehendantur. Neque minus fibra nervo-carneæ, instar columnarum, & lacertorum cordis, ab uno pariete transversim, in tribus majoribus sinibus dissecatis, ad alterum abeunt, ibique cellula rotunda, atque ovales, secundum seriem vasorum, sinus ingredientium, dispositæ conspicuntur. Fibrae hæc impedunt, quo minus ab irruente sanguine arterioso sinus plus justo dilatentur, & dum successive sese contrahunt, sanguinis progressum promtiorem efficiunt. Ipsæ vero colaninae faciunt, ut sanguis ibi magis conquassetur, & cellulæ sunt quasi valvulae, & obices, ne semel elapsus sanguis ex sinibus, in vasa eadem rursus pellatur. Quemadmodum vero omnes membranæ, ex vario situ, ductu & ordine fibrarum compositæ, & sanguine arterioso, & fluido per nervos subtiliori perfusa, non magis tonum, ac robur, quam successivum quandam contractio- nis, & dilatationis motum exercent: ita etiam nullum dubium, quin dura mater non nudum cerebri involucrum, sed ma- china compressoria, elastica sit, cuius ordinatis systoles, ac diastroles iectibus fluidum cerebri in nervorum tubulos imprimuntur, & ad universi corporis par- tes propellit. Nam quandounque hæc membrana a sanguine arterioso, & a pulsu arteriarum, cerebrique elevatione expanditur, fit, ut tabuli cerebri, ner- vorumque pori magis aperti, separando, & recipiendo fluido fiant aptiores, remittente vero dilatatione, hæc mem- brana, fibrarum suarum forti elatere, sese constringit, fluidumque ex cerebri cortice in ejus medullam, principiaque nervorum trudit.

## §. XVI.

Pro hujus itaque membranæ elasticæ varia constitutione, labore, constrictio- ne, laxitate, aut atonia, motus ejus systoles, ac diastroles differt, unde etiam

fluidum nerveum cum majori, vel mi- nori celeritatis gradu ad partes move- tur: indeque peculiares in hominibus ad sensum, ac motum differentes effectus, & affectiones dependent.

## Scholion.

Igitur a differente, & præternaturali hujus elasticæ membranæ motu, atque affectione, indeque pendente multum discrepante secretione, & influxu liquidi in nervos, necnon sanguinis per ce- rebrum circuitu, recte utique gravissi- morum capitis morborum, huc usque fere incognita generatio, deduci potest. Quod si enim hæc membrana atonia laborat insigri, sanguis hinc tardius pro- greditur, simulque per arteriolarum po- ros transfudat humiditas nimia in me- dullarem substantiam, affectus nascun- tur soporosi. Viciissim quando dura ma- ter longius, & validius spasmo detine- tur, liber etiam sanguinis progressus in- tencipitur, & substantia medullaris com- preesa, fluidi ex tubulis cerebri nihil admittit, neque illud ad sensoria distri- buit, unde omnium sensuum privatio, & apoplexia emergit levior, gravior, quando disrupta vasa humorem effundunt, & quidem vel sanguineum, ut in sanguinea, vel serosum, ut in serosa. Ubi demum vehementior, & celeriori constrictorio, & dilatatorio reciproco- motu agitat hoc cerebri involucrum, intenditur sanguinis motus, augetur se- crecio, & liquidum magno impetu fer- tur ad nervos, ac inde ad universum corpus, quo epilepsia suscitatur, que idem in systemate nervosarum partium, quod febris in systemate vasorum.

## §. XVIII.

Ex medullæ spina ossæ inclusa, que non nisi cerebelli elongatio, & pia æqua- ac dura matre, vasis tam arteriosis, quam venosis dotatis, investitur, eodem modo, ac ex cerebro, & oblongata me- dulla prodeunt nervi; hinc nullum uti- que dubium, quin duræ matris mem- brana, hoc eodem constrictio- & dilatatio- motu, eademque functione gaudeat.

*Scholion.*

Morbi quorum sedes in spinali medulla a Medicis adhuc non satis cogniti sunt atque perspecti; ego vero omnium motuum febrilium initium ac fundamentum ibi constitendum esse censeo. Nulla enim febris sine universalis quadam spastica tunicarum & fibrarum nervearum oritur constrictione, quæ meo quidem judicio, ex spastico membranarum, quæ medullam in spina cingunt, nascitur, prout latius peculiari dissertatione de vera motuum febrilem indole ac sede, deduxi. A validiori autem & crebrius repetito systaltico & diastaltico membranæ hujus motu, motiones artuum convulsivæ, & animia ipsius resolutione, paralyses, ortum trahunt.

## §. XVIII.

Fluidum nervorum, quum ex partibus ad modum tenuibus, flexilibus & mobilissimis compositum, a globulis æthereis, solari calore vigoratis, quibus innatæ, omnes in partes agitari possit: facile sequitur, partim id sanguini & lymphæ reafundi, partim etiam insensibiliter perspirare.

*Scholion.*

Sicut fluida corporis continuo accrescunt & decrescent, inque perpetua circulatione ac motu sunt: ita nil dubit, quoniam nervorum fluidum, ex parte cum sanguine, & lymphâ rursus mixtum per circulum transferatur, partim etiam per excretiones abeat, unde sit, ut nimis excretiones ad modum debilitent. Ingentem vero hujus fluidi copiam lymphæ & salivali latici adnisciri, ex eo colligendum est, quod omnis generis glandulas insignes nervorum rami ingrediuntur.

## §. XIX.

Nervorum in universo corpore datur continuitas, unde in generatione motuum per eos datur consensio & conspiratio, quæ in vicinis ramis maxima est.

*Scholion.*

In pathologicis ad mirabilem symptomatum rationes explicandas utique necesse est, nervorum per universum corpus structuram, texturam, ac propagationem nosse, nisi mire in causis reddendis hallucinari, vel nomina ac fictiones tantum-

modo afferre velimus. Conferatur nostra dissent. de consensu partium, item Baglivi in elegantissimo libro de fibra motrice, nec non Vieussen in Neurologia, qui nervorum propagationem in corpore humano omnium optime descripsit. Cæterum neurologia in corpore hydrope demortuo omnium optime demonstratur.

## CAPUT II.

## De usu fluidi cerebri ac nervorum.

## §. I.

**I**n cerebri cortice ex subtilissima & temperata sanguinis ac lymphæ portione secretum liquidum ac fluidum, & per nervos, interventu pororum, ad membranas & fibras elasticas delatum, tam ad sensationes motusque voluntarios & involuntarios, quam ad nutritionem quoque plurimum conferit.

## §. II.

Nervo ad partem abeunte ligato, corrupto, vel absctisso, ipsa pars non tantum motu & sensu, sed & debita nutritione privatur.

*Scholion.*

Crebriori in chirurgicis experientia perspectum nobis est, si sphacelosa corruptio ulque in nervum quendam penetrat, quod fit non raro in pessimi scorbuticorum ulceribus, ipsam purredinem lentius continenter per tendines grassari, nec prius fisti, nisi ad partes, & tendines accedat, qui ab illibato alio nervo vigorem ac robur accipiunt. Spinalis medalla læsa, vel diffracta si fuerit, partes infra lesionem omni sensu, tono, vigore, ac laudabili nutritione privantur, adeo, ut a levi externali lesionе promptissimus in sphacelum transitus sit. Membra paralytica, vel tabe, vel præternaturali tumore infestantur: certo indicio, nec partium conservationem, nec eorum nutritionem ac debiram functionem, sine nervorum integritate: , sine eorum fluidi sufficienti affluxu, persistere posse .

## §. III.

Neque vero nervi materiam, & succum nutritium vehunt ac subministrant.

*Scholion.*

Fuit hæc superiori tempore nonnullorum in Anglia medicorum sententia, quod nutritionem, vitio laborantibus nervis, admodum lædi animadvertebant. Utur vero nervi non materiam nutritioñis præbeant, artamen ad eam recte perficiendam multum utique nervorum integritas confert, quia advecto subtilissimo fluido, fibræ partesque solidæ robur vigorem aetotonum accipiunt, quo nutritius succus ad intima fibrarum melius penetrare, apponi, & purum ab imparo ac solidum a liquido rectius secedere possit. Demum succus, quem vekunt nervi, & propter summam subtilitatem, & propter parciorem quantitatem, minus idoneus est partium auctiōni, & ad materiam tam copiosam, qua continuo exhalat, & excrenit, refaciendam. Neque fluidum, quod per nervos vehitur, ad ipsorum nutritionem quicquam confert, eo, quod eorum, ut aliarum partium nutritio, identidem sanguine arteriis advecto perficitur.

## §. IV.

Nervorum fluidum motuum, tam voluntariorum animalium, quam naturalium involuntariorum, sive mechanicorum, prima & præcipua est causa.

*Scholion.*

Primus fuit Willifus, qui motus voluntarios a cerebro, involuntarios autem & automaticos, quibus maxime integritas & vital corporis efficitur, a cerebello venire notavit. Nota etiam sunt Bohnii, & Perraultii experimenta, quibus docemur, cerebrum totum fere ex canis cranio frustulatum eximi posse, salva tamen vita & cordis successione, exempto autem cerebello, integro quantumvis manente cerebro, illico vitam tolli. Is autem nobis dicitur mechanicus motus, qui ex absoluta quadam necessitate, ordinariis motuum legibus, a causis mere corporeis proficietur, quem pro lubitu nec sistere, nec impedire, nec suscitare, nec augere possumus. Motus autem animalis a causis identidem corporeis perficitur, quia ta-

men anima pro arbitrio & imperio eas dirigere potest, voluntarius ac animalis vocatur.

## §. V.

Organa motuum voluntariorum sunt musculi, ex fibris cylindraceis mollioribus ac porosis, in fasciculum collectis, constructi: motuum autem mechanicorum instrumenta sunt tunicae nerveæ & musculosæ, seu carneæ, ex fibris maxime annularibus compositæ.

*Scholion.*

Fibræ carneæ, sive motrices, vel rectilineum, vel transversum situm habent, illæ longitudinales, hæ annulares vocantur. Ex duplice hoc ordine canales membranacei, qui fluida vehunt ac propellunt, compositi, motu constrictioñis & dilatatioñis, sive systoles ac diastroes, instructi sunt, quorum omnis generis vasa, arteriola, lymphatica, in primis venenosos durae matris sinus, ventriculū cum cesophago, & intestinis, canales, qui bilem vehunt, tubulos renū urinosos, cum urethribus & vesica, neque minus glandularum & viscerum minimos ductus, referimus. Harum autem partium motus voluntati humanæ subjicere sapientissimus opifex, qui solos vitæ nostræ est dispensator, noluit. Nam si directam & plenam dispositionem horum motuum anima habuisset, ut pro lubitu eorum organa regere potuisset, propter innatum vivendum, ipsum quoque vitæ terminum pro arbitrio disponere, & prorogare potuisset.

## §. VI.

Sphincteres & valvulae, quæ ex fibrarum annularium copioso strato sunt compositæ, motibus mechanicis maxime patent.

*Scholion.*

Sphincteres, qui pluribus canalibus præsunt, ex copioso strato fibrarum annularium compositi sunt: ejusdem structuræ etiam solent esse valvulae. Tales sphincteres, quibus inest magna constringendi & propellendi potentia, in sinistro, & dextro ventriculi orificiis, in ano, orificio vesicæ urinariæ, nec non interno uteri ostio sunt conspicui; orificium quoque du-

ductus cholodochi , item pancreatici , ubi duodeno inseritur , fibroso ejusmodi sphincter munitum est . Et valvulae , in primis ea , quæ colli initio apponitur , ex copiosis & conspicuis carneis circularibus motricibus fibris constant .

## §. VII.

Quia magna potentia motrix constrictoria ejusmodi sphincteribus , & orificiis ductuum inest , in excretionibus utique sustendis , & promovendis multum valent .

*Scholion.*

Quando spasmos ventriculi orifica constringit , vapores & flatus , ob denegatum exitum , molestam & anxiam ejus inflationem caulfantur . Orificium ductus cholodochi spasmis constrictum , bile regurgitante , icteriam parit . Violenta & celerior pylori & valvulae coli systole & diastro crebræ alvi dejectionis causa est ; fortissima vero constrictio pylori cum ventriculi parte inferiori , nimiaque orificii sinistri dilatatio , vomitus procreatrix est ; validior orificii interni uteri spasmus , vel ejus magna atonia , causa ut plurimum sterilitatis est . Spasmus sphincterem vesicæ cum urethra afficiens , parit dysuriam . Ani sphincter validissime una cum intestino recto constrictus flatum & secum descensum non modo moratur , sed & stagnationi sanguinis , adeoque cœcis hemorrhoidibus generandis , occasionem subministrat . Neque dubium est , quin medicamenta , præsertim magnæ activitatis , ut emetica , mercurialia , purgantia , in ejusmodi machinulas activas motrices vim suam ac operationem potissimum exercant . Quo magis instar axiomatis tenendum est , has partes , quæ fibris robustis , elasticis , copiosis , in circulum ductis donatae sunt , præ aliis a venenis , ab animi affectibus , a morborum causis , & a validioribus quoque remediis , vehementius pati atque affici .

## §. VIII.

Omne robur ac potentia motrix , quæ musculosis partibus insidet , partim ab ipsa structura fibrarum , partim a fluidis , nerveo videlicet , & sanguineo , influentibus , quæ eas animant , dependet .

## §. IX.

Certum est , si nervorum liquidum , etiam sanguinis , ad musculosas partes affluxus quoconque modo intercipiatur , eorum motum , tonum , resistentiam periire , ac atoniā , sive debilem fibrarum resistentiam , produci .

*Scholion.*

Nunquam igitur musculus conspicitur , qui non sanguine & liquido nerveo personatur , neque unquam in corpore canalis vel ductus observatur , qui præter tunicam carneam , non simul etiam nervosa cinctus sit , in quam etiam ordinario sanguinea vascula nervorumque rami inseruntur .

## §. X.

Quo copiosior itaque , & intensior fluidi nervei , & sanguinis ad partes , quæ motibus inserviunt , est affluxus , eo majori quoque labore & potentia movendi pollent .

*Scholion.*

Quare videmus , corpora vasis ampleribus , & nervis eximioribus instructa , plus roboris , & fortitudinis habere iis , quæ vasa exiliora , & nervos subtiliores habent , quæ ordinario naturæ sunt imbecillioris .

## §. XI.

Neque vero tantum copia succi nervei , & sanguinis ad robur & vires solidorum sufficit , sed simul etiam singularis solidarum fibrarum textura requiritur .

*Scholion.*

Rustici magno labore pollent , & summas vires in sustinendis laboribus habent , licet alimentis fruantur simplicibus & qui paucos spiritus ingenerant . Ii vero , qui lazieri cibo ac vino utuntur , subinde imbecilles observantur .

## §. XII.

Certa & indubitate experientia confirmat , quod illa animantia , iisque homines , qui fibras valde compactas , tensas , duras & elasticas habent , plus roboris obtinent , præ iis , quibus fibræ sunt teneriores , subtiliores & laxiores .

*Scholion.*

Qui leones & alia fortissima animalia dissecarunt , in eorum fibris peculiarem striae .

stricturam & soliditatem, ut non facile distrumpi possent, observarunt. Veterum Romanorum & Græcorum athletæ immenso labore pollentes, cibis levioribus, & simplicioribus contenti, admodum robustas fibras habebant, quas assidua exercitatione acquirebant. Et observamus quoque in mechanicis, quod funes ex cannae confecti plus resistentia habeant iis, qui serico vel lana parati sunt. Ergo vis ingens, in obeundis moribus necessaria, non modo a fluidis, sed & a solidis, eorumque varia dispositione, & structura dependet.

### §. XIII.

Observamus, partes eas multum ratione roboris pollere & magnam resistentiam vincere posse, quæ ex robustis & copiosis ac durioribus fibris compactæ sunt, uti videamus in corde & arteriis.

### §. XIV.

Gaudent universi corporis fibræ duplice motu, systaltico, sive contractorio, & diastaltico, sive expansivo, cuius beneficio circularis fluidorum progressus atque impulsus, & inde dependentes secretiones, & excretiones peraguntur.

#### Scholion.

Simplicissima hęc motus species partium solidarum rectissime vitalis dici meretur, quia hac cessante, protinus fluida stagnant & corrumpuntur, & hac recte se habente, fluidorum circulus recte & ordinate fit. Neque enim solum cor, cuius vis movendi determinata ac limitata est, tantum impetum sanguini imprimere potest, quantus requiritur ad superandas tot resistentias partium, per quas perpetuo fluit refluitque, sed fibræ, ex quibus partes constant, quasi infiniti multiplicati vectes insensili suo systaltico motu fluidorum cursum adjuvant, & quasi in subsidium, & levamen cordis factæ sunt. Quod verum esse, manifeste ostendit utilitas, quam ab assidua motione corporis & a quotidiana exercitatione percipimus, & contra ingens dampnum, quod otiosa & sedentaria vita experimur. Liquidum enim per continuas fibrarum muscularium pressiones impulsum, feliciter cursum per partes

perpetuat, & versus cor magis magisque urgetur, ut ab eo novum motum atque impetum ad vitam necessarium acquirat. Quæ pressiones, cum in otiosis & sedentariis vel deficiant, vel non ita vividæ sint, necesse est, ut fluidum, quod ad contum fibrarum circulat, tardiori motu progrederiatur, atque hinc inde per fibrarum spatio hærendo, corpus ad cachexias timoresque pedum disponat, & inde alvi siccitates & consuetarum evacuationum suppressiones succedant.

### §. XV.

Fluidum nervum primum impulsum, sive instinctum ad motum producit, vis vero ingens muscularum, quæ in obeundis motibus est, partim ab elatere fibrarum, partim a sanguinis copiosiore affluxu dependet.

#### Scholion.

Potentia muscularum, quibus artus moventur, ita peragit: anima dirigenz nervum fluidum majorem ejus efficit influxum, unde fibræ rectilineæ incurvatae in angulos facile ducuntur, hinc partium fit contractio venarumque compressio, adeoque sanguis paulo diutius in partibus constrictis moratur, nec tam cito refluit; remittente vero hujus liquidi pressione atque affluxu, contractæ antea partes rursus facile elongantur, sanguisque refluit.

### §. XVI.

Ut ut fluidum nervorum non per capiles influat, subtilissima tamen ejus substantia, qua intime & ubique nervi profunduntur, eorum flamina ac filamenta satis valide movere, flectere, atque agilia reddere potest.

### §. XVII.

Notum ex staticis est, vel minimam corporis vim accidentem, aut decedentem, motus facere, vel sistere posse.

### §. XVIII.

Ita videmus, infantem etiam, vel aliquot centenarios in machinis sursum tollere, atque leve pondus in bilancibus constituta ingentis molis corpora deprimere, & elevare posse, si illud adjicitur, vel demitur.

## §. XIX.

Nervorum quoque, & cerebri liquidum ad sensationes magni & amplissimi usus est.

## Scholion.

Dari in homine inque reliquis animantibus quoddam principium, quod varia motuum species, diversis organis & sensoriis, ab objectis externis percipiat, extra omne dubium est; id vero mediante liquido nerveo operatur, quod ejus quasi instrumentum est, in quo agunt objecta, & in quo etiam eorum actiones, & motus percipiuntur: videntur vero actiones & motus objectorum in fluidum nervorum motu undulatorio, non secus ac radii luminis in undis aethereis, propagari & ad sensorum commune in cerebro deferri.

## C A P U T III.

## De sensibus eorumque ratione &amp; indole.

## §. I.

**I**N homine non tantum artificiosa illarum partium fabrica, quae ad vitales pro incolumitate & conservatione corruptibilis corporis motus edendos sunt conformatae, medico est per noscenda, verum etiam ingeniosa harum organicarum partium structura atque dispositio, quae ad sensus, sive perceptiones faciunt.

## Scholion.

Tria potissimum, ratione essentiae & operationum distincta admodum agentia in homine sunt consideranda, & distinctis nominibus, ne confusio frat, insignienda. Sunt haec secundum Veteres natura, anima sensitiva & rationalis. Per naturam nihil aliud intelligendum, quam universa economia motuum, quae in partibus solidis ac fluidis, ad tuendam corporis vitam & incolumitatem, vigent. Anima scilicet sensitiva illud est agens, quod homini cum aliis animantibus commune, impressa a variis externis objectis in fibrillas & tonicas nervosas peculiares motiones percipit, sive sentit, & inde ideas vel aversationes, vel appetentiae excitat. Et tertium.

I nobilissimum principium, quod sensuum ministerio utitur & sui & aliarum rerum ac sensationum conscientiam est, ideas inde prognatas non modo conferre, sed & estimare, intelligere & dijudicare novit, & libere quoque actiones suas instituit atque determinat, rationalis vocatur anima, sive mens, qua distinguimur a brutis.

## §. II.

Quum perceptio, appetentia, aversatio, item cogitatio, estimatio, liberima actio, neque a figura, neque a situ, magnitudine, nexus, unione & dispositione fluidi, vel solidi, neque a virtute, nitente & reniente, pendeant, opus utique est, ut prater mechanismum, sive coordinationem motuum, qui ex structura & situ partium profluant, aliud quoddam, licet sensibus minus obvium principium, quod sentiat, & percipiat motus, eosdemque dijudicet, sponnatur.

## Scholion.

Essentia quidem & natura tam pure sensitivi appetentis, quam intelligentis, & libere in corpore agentis, in sensu non cadit, sed intellectum humanum transcendet. Interim tamen magna utriusque est differentia & diversa plane ratio, ideoque ambo non pro uno eodemque habendi, ne confusio, quae mater errorum est, oratur, sed probe ratione diversarum operationum, quae discrepantem etiam essentiam produnt, sunt distinguenda. Est vero etiam summopere necessarium, ut medicus & philosophus solcite inquirat, & consideret, quomodo bina in corpore humano sint connexa atque unita, quomodo unum alterius ministerio utatur, & unum ab altero afficiatur, disponatur, ve mutetur.

## §. III.

Ea vero lege atque conditione anima unita est cum corpore, ut per certas motuum species, vibratoriis scilicet & oscillatoriis, nervis nervosisque partibus impressos, veri perceptiones & differentes sensationum, grata etiam, vel ingratissimas, species, suscitentur.

## §. IV.

Omnis igitur sensatio, sive percipiatio, duplicit generis, & in dubiis est,

respectu nimirum vel animæ vel corporis.

## §. V.

Ratione animæ perceptio nihil aliud est, quam certa idea, sive notionis, de diversimoda motione productio, cuius illa conscientia est. Hinc ubi nulla notio, ibi etiam nulla sensatio.

*Scholion.*

Vehementer igitur errant, qui animæ adscribunt internum quendam, cuius nulla datur notio, in nervis corporis nostrí partibus sensum, productum vel a morbis, quæ exitium minantur, causis, vel a salubribus rebus, ut medicamentis, ita, ut occurrentibus illis, ipsa postea dirigat motus ad expellendas easdem, has autem applicet, earumque vires ad salutarem effectum dederat. Nititur enim assertum hoc gratis supposito principio, nec prius ceu principium demonstrandi in explicandis medicis rebus potest admitti, quam evidenter argumentis fuerit evictum, & interea potius speculationibus tantum seu figuris annumerandum.

## §. VI.

Ratione corporis, sensatio est certa & specifica motus, a vario objecto externo facta in partes, seu membranas nervosas, quæ genuinum sensationis organon constituant, impressio.

*Scholion.*

Sensus nusquam in ulla corporis parte vigeat, quam quatenus est nervosa. Hinc in osse, cartilagine, pinguedine, ipsis quoque fibris, in quantum nervis destinariuntur, immo in ipsa musculosa cordis substantia, nullus sensus nullusque dolor percipitur. Idem patescit ex nostro experientia, quod ligato, abscisso, vel compresso, aut alia etiam ratione vitiato nervo, partis ad quam tendit sensatio velex toto pereat, vel valde imminuat aut corrumpatur. Contra vero quo copiosioribus, subtilioribus magisque tensis atque expansionis tunicis nervosis partes constant, eo acutiori & exquisitiori sensu pollent, cuius generis sunt periostium, pericranium, ventriculus, intestina, uretheres, ligamenta dentium, artuum, item cutis,

præsertim quando præter naturam extenuatur, uti fit in erysipelate.

## §. VII.

Non tamen tam nervi ipsi, quam potius eorundem expansiones membra naceæ, proprium sensationis sunt instrumentum.

*Scholion.*

Ita visio non sit in nervo optico, sed in retina oculi tunica, quæ nonnisi tenuis membranacea hujus nervi expansio. Ne que auditus in nervo auditorio celebratur, sed in elongata & ducta ex ipso membrana, quæ internam auris partem, labyrinthum & cochleam, investit. Olfactus etiam non in nervis olfactoriis, sed nervosa illa membrana, quæ interius narium cavum, maximeque ossa squamosa obducit, perficitur. Eodem modo sapor neque in musculosa linguae substantia, neque in ipsis nervis lingualibus, sed in horum extremitatibus, papillulis nempe nerveis pyramidalibus, sedem habet; ut etiam tactus genuinum organon nerveæ cutis fibrillæ & papillulæ constituant.

## §. VIII.

Quo major itaque fibrarum & nervorum membranarum tensio est, & vehementior earum ab objecto externo agitatio, eo acutior & sensibilior quoque est perceptio.

*Scholion.*

Ex quo patet ratio, quare juvenes, & qui temperamento sunt cholerici, tenasque ac teneras fibras obtinent, acutiores dolores ac sensus habeant; item quare fibræ cutis tumore nitium expansæ, ut in podagra & erysipelate, vel a levissimo contactu, male & cum dolore afficiantur. Quod ab usu externorum in cutis lachrymibus, alii bene, alii male se habeant, & quidam emplastræ ac pinguis humidaque ferant, alii vero ab iis graviter lachrymabunt, quidam spirituosa balsamica linimenta optime tolerent, a quibus alii pessime afficiantur, id unice a diversitate roni fibrarum nerveo-tendinofarum cutis dependet, quam omnino exacte nosse in quibusvis individuis, utile non minus, quam valde necessarium chirurgis ac medicis est.

## §. IX.

Vicissim, quo magis ha<sup>r</sup> nerve<sup>a</sup> membranæ sunt relaxata<sup>e</sup> atque remissa<sup>e</sup>, aut humore obsessa<sup>e</sup>: eo hebetioris sensus, eo que plus minuitur sensatio.

*Scholion.*

In coryza olfactoriis, & gustatoriis narium membranis nervosis multo humido obsessa<sup>e</sup>, gustus, & olfactus perit, vel male habet. In membranis paralyticis nulla sit perceptio, eo quod in hoc effectu fluido elastico nervorum, quod tensionem efficit, partes destituntur. A tympani atonia sit surditas, a laxitate retinæ cœcitas sensibus familiaris est.

## §. X.

Neque vero in nerveis membranis, tanquam solidis, sit sensatio, sed necesse est, ut animatæ sint fluido tenuissimo, æthereo, quod in cerebro & spinali medulla a sanguine separatur.

*Scholion.*

Id vel exinde clarum redditur, quia quando sanguinis affluxus ad cerebrum cessat, vel intercipitur, ut in syncopticis, omnis fere pereat sensatio, quæ mox redit, simul ac motus sanguinis rursus procedit ad caput. Deinde compressa, vel depressa medulla oblongata cerebri, & principio spinalis medullæ, omnis sensus perit, & experientia docet, a valde vaporosis rebus, item graveolentibus, ut croco, opio, papavero, strammonio, hyoscyamo, vel interne dati, vel exterius applicatis, sensus minui & auferri, salva structura sensorii organi, neque prius redire, nisi discussi hinc vaporibus sulphureis, manifesto indicio, fluido quodam bene constituto & naturæ amico, quo ab heterogeneis sebus alterato, vel immutato, recte secundum leges nec motus fiunt, nec sensatio rite perficitur, egere organa sensoria, ad percipiendos motus nervis impressos.

## CAPUT IV.

## De visu &amp; auditu.

## §. I.

**S**ensus, quorum numerantur quinque, visus, auditus, olfactus, gustus & tactus, menti, sive substantiæ in homine ratiocinanti & judicanti, vi ordinationis divinae, materiam cogitandi, sive varias ideas, ex diversis innumeris rebus conditis exhibere debent: unde utique ad ratiocinationis actum sensus quam maxime necessarii.

*Scholion.*

Homo sensibus, maximeque auditu & visu, a nativitate destitutus, parum a bestia differt, immo ex parte eadem inferior est, quia deficientibus ideis, circa quas sit cogitatio & dijudicatio, ratiocinationis actum minime exercere potest.

## §. II.

Pro varietate autem objectorum, quæ diversis modis debent percipi, divina sapientia varia in machina animali singulare artificio organa construxit sensoria, quorum fabricam medicus omnino penitus debebat habere perspectam, quo eo melius varias sensationum lassiones earumque causas & modos distinguere, cognoscere & tollere queat.

## §. III.

Hec inter supremum in corpore situm obtinet visus organon, quod est ipse oculus, orbitæ osseæ inclusus & palpebris munitus, cuius compages interior, & stratura ex tunicis, humoribus, musculis, nervis & vasis artificiosissime est coagimentata.

## §. IV.

Tunicæ igitur oculorum propriæ, præter exteriorem adnatam, ex ambito orbitæ a periostio ortam, re paullo accuratius inspecta, a cerebri membranis ortum ducunt. Nam vagina illa, quæ nervo optico a dura matre obducitur, quando orbitam subiit, in sphæricam admodum solidam mox sese expandit membranam, quæ anteriorius pellucida & prominens appellatur cornea,

nea, posterius vero crassior, durior, magisque opaca est, ac sclerotica audit, vasa nervosque fulcit, & musculos, tendines eorum sustinendo, firmat.

## §. V.

Tenuis dein tunica, quæ immediae opticum nervum invoivit, a pia est matre, subtilissimis sanguineis vasculis dotata & sclerotica contigua in duas dividitur lamellas, & intus nigrore imbuta est, sive oculum investiens, postea in regione choroideam, in antica autem, ad marginem corneæ reflexa, uveam sic dictam tunicam efficit, quæ in medio rotundo pertusa est foramine, quod constituit septam colorata iride pupillam, ex cuius margine emergunt fibræ nervosæ, & musculares, quæ in limbum orbicularem desinentes, & introrsum flexæ ligamentum, arcus instar & vinculi humoris crystallino incumbens, conficiunt ciliare, atque adeo ut pupillæ spatium definitur, & tam hæc, quam lens crystallina, motu cum pupillæ modificatione consimili, amplietur & dilatetur, faciunt.

## §. VI.

In fundo tandem oculi medullosa interior nervi optici portio instar tenerrimi muci undiquaque diducta, retinam sic dictam constituit tunicam, in qua pinguntur imagines & primaria visionis sedes.

## §. VII.

Humores porro in oculo observantur tres pellucidi, quorum primus fluidus admodum est, & aqueus audit. Replet hic utramque oculi cameram, tam anteriorem, quæ inter corneam & uveam, quam posteriorem, inter uveam & lentem crystallinam, atque ex osculis arteriarum, quæ in uvea & choroidea, profluit.

## §. VIII.

Secundus humor, ob pelluciditatem, crystallinus vocatur, & cum tertio, vitreo dicto, tenui coeretur membrana vasculosa, arachnoidea vocata. Lentiformis figura est crystallinus hic humor reliquisque solidior, ex lamellis sibi invicem incumbentibus conflatus, & ita locatus, ut convexa una superficie pupillam respiciat, altera vero subiecto vitreo humoris inhæret, eidemque fibrillarum membranacearum

ope necatur, a ciliari vero ligamento suspensus teneatur & excipiendis radiis luminosis adaptetur.

## §. IX.

Vitreus autem humor, a vitreo colore ita nuncupatus, densior est aqueo, reliquoque mole superat, & quidem aqueum duodecies, & crystallinum quater. Tenui obducitur propria membrana, a choroidea elongata, posteriorem oculi partem, retina ubique contiguos, occupat, & anterius in excavato sinu crystallinam lentem excipit. Vasculare quoque est vitreum hoc corpus, & non secus quam ipsa crystallina lens, canaliculis, tam adduentibus, quam abducentibus, instructum, per quæ pellucida subtilissima lympha ad nutritiōnem circulatur.

## §. X.

Hic tot diversarum oculum constituentium partium apparatus universus, id efficit, ut in fundo oculi, recta post pupillam, distincta & vivida radiorum luminis fiat collectio, qui ab uno puncto objecti progressi, oculum ingredientes, per lentem crystallinam feruntur, ut ita in retina tot represententur puncta, quot fuerunt in objecto conspicua; unde similis objecti in retina pingitur imago, quæ eam sensorio communi offert.

## Scholion.

Oculus itaque optime refert cameram obscuram, ubi pupilla foramen, tunica uvea & choroidea locum tenebris sum obscurum, humor crystallinus & vitreus lentes, ac retina tunica papyrum efficiunt. Et uti distincta representatio imaginis in camera obscura a pelluciditate lentium; ita visio quoque ab humorum perspicuitate & figura dependet, ut videlicet radii ab uno puncto visibilis objecti in unum distinctum retinæ punctum colligantur quasi in foco, qui nec nimis remotus, nec nimis proprius esse debet.

## §. XI.

Accedunt musculi oculorum motui servientes, quorum sex numerantur pars obliquum superius, & inferius, rectum superius & inferius, ac rectum internum, & externum. Primum horum vocatur etiam trochlear, amatorium, & patheticum,

cum , & ab osse sphenoide , juxta foramen nervi optici in parte superiori recta procedens , in angulo oculi interno supra trochleam moveretur , & in scleroticam inferritur , pupilla oblique demittend & quodan tenus educend serviens . Secundum ab osse maxillari , juxta foramen lacrymale , sive in confinio ossis zygomatici & lacrymalis , oblique versus exteriora vergens , posteriori & inferiori oculi parti inseritur ad latus insertionis nervi optici , ac ut bulbus oblique sursum moveri & extorsum trahi possit , facit .

§. XII.

Ex reliquis quatuor rectis , idem cum pathetico ab osse sphenoide , juxta foramen nervi optici , principium habentibus , & eidem sclerotice in confinio ambitus cornue insertis , superius , superbum alias dictum , oculum superiora versus elevat & attollit ; inferius , deorsum movet , sive deprimit oculum , humile hinc dictum ; internum , bibitorium & studiosum vocatum , naso adducit oculum ; & exter num ab eo quo oculum afficit motu , ab ducens nuncupatur , sive indignabundum .

§. XIII.

Vasa denum , & nervi oculorum sunt multi . Ex nervis quintum par oculum prope nasum ingreditur , & in retinam explicatur , opticum ideo vocatum ; tertium par oculorum motorium musculis , palpebris , ipsique tunicis ramulos impertit ; quartum musculam trochlearem subit , patheticum dictum ; quinti ramus superior ophthalmicus , & potissima sexti abducentis paris portio , per musculos , membranas & palpebras sese explicant . Vasa ex carotidis passim oculos subeunt & succos in ultimis minutissimis canaliculis pro humorum & tunicarum nutritione advehunt , reliquias vero sanguis per venas partim ad sinus dure matris , partim ad jugulares reducuntur .

§. XIV.

Anatomica haec & physiologica organi visus consideratio insignem lucem cognitioni vera generationis morborum oculorum , praeferit eorum , in quibus visio depravata , affundit .

Tom. I.

*Scholion .*

Quamvis multi & innumeri fere oculorum observentur morbi , præcipui tamen sunt ii , in quibus visus depravatur , vel plane perit , omnesque quam optime vel ex nervi optici vitio , vel ex pelluciditate humorum , qui radios luminis transmittunt , depravata possunt deduci .

§. XV.

Nimirum a vitio circularis hujus humorum per oculos motus , & vasorum nimia , vel laxitate , vel strictura , variorum visus vitiorum genesis commode deducitur . Ubi enim nimis relaxati sunt nutrimentum humoribus advehentes canaliculi , ideoque succus crassior , turbidus , in humorum maxime aqueum , pertingit , pro diverso gradu & quantitate particularum heterogenearum varix emergunt suffusionem , tam perfectæ , quam imperfectæ , species . Et quando humor crystallinus ab alieno succo vitiatur & turbidus fit , glaucomatis species gigantur .

*Scholion .*

Hinc facile jam patescit ratio , quare , qui sanguinem crassum & scorbuticum in venis alunt , item cachectici , scorbutici , hypochondriaci & lenes , quando validiori impetu humores feruntur ad caput , hisce oculorum vitiis frequenter pateant . In proclivi quoque est ratio , quam ob causam , uti practicæ testantur observationes , ab ira , furore , phrenitide , ab assumptis emeticis , purgantibus fortioribus , inundatione mercuriali , a balneo nimis calido , vehementiori corporis exagitatione , a frigore vehementi capiti admisso , a lapsu , punctione , vel contusione oculi , varia leptomias & suffusionum genera laxe inducantur , & cur hæc visionis vitia facile ophthalmias , diurnas cephalalgias , immo apoplexiā , & epilepsiam insequantur .

§. XVI.

In primis , quam humorum , tam aquæ quam vitrei , & crystallini pelluciditas a lympha nutritia pura , & perspicua , quæ circulare motu per tenuissima tunicarum vascula adducitur & abducitur , dependeat , rectius utique tam cataracta incipiens ,

I quam

quam spuria & vera explicari potest.

*Scholion.*

Incipiens quippe cataracta est, quando muscae & punctula nigra fixa oculo obversantur, & oriuntur a nimia relaxatione vasorum arterioso-lymphaticorum, quæ non puram & pellucidam, sed variis moleculis crassioribus perspicuitatem turbantibus lympham imbutam, in aqueum humorem transmittunt, quæ copiosiores tandem factæ & crassiores in concrementum quedam mucosum convertuntur, quod in camera anteriori, vel posteriori oculi subsistens, & transitum radiorum luminis impediens, cataractam inducit spuriam. Quando vero humores, vel crystallinus, vel vitreus, a defectu succi nutrientis pellucidi lymphatici, propter obstruta advenientia vascula, aridifunt, vel ab admixto crasso opaco succo, propter nimiam vasculorum laxitatem, turbantur, vera excluditur cataracta.

**§. XVII.**

Neque minus ex hac oculorum physiologia vera & recta hisce visus vitiis medendi ratio elicienda, ac discenda, quæ omnium optime adornatur, per salubrem diatam, convenientia diluentia sanguinem, & lympham repurgantia, discutientia, nervina, roborantia, cinnabarina & antimonialia rite parata, necnon ea, quæ clementer per epicrasis evanescant.

**§. XVIII.**

Alter principalis sensus, cuius ministerio idæ in mente suscitantur, est auditus, qui nihil aliud, quam soni ope organi auditorii perceptio.

*Scholion.*

Sonus autem, qui auditu percipitur, nihil aliud, quam tremulus & undulatorius aeris elasticis motus a corpore sonoro, hunc concutiente, productus, cuius propagatio fit a centro sonoro per circulos, & quidem secundum leges progressus & reflexus, quæ in radiis luminosis observantur.

**§. XIX.**

Ad penitorem auditus explicationem, fabrica auris externæ, & interne, probe consideranda; illa comprehendit auricu-

lam cum meatu auditorio, hæc tympanum & labyrinthum.

**§. XX.**

Extrema auris pars sistic cartilaginem semicircularem, elasticam, tremulam, variis sulcis, & fornicibus instructam, quæ membrana tensa & polita obducta est, quo radii sonori eo melius reflecti possint, nec sonus suffocetur.

**§. XXI.**

Orificio dein meatus auditorii apposita est in cavo conchæ cartilaginea pars erecta, triangularis, tremula, quæ facit, ut omnes hoc illapsi radii sonori intra meatum auditorium determinentur.

**§. XXII.**

Ipse auditorius meatus tuba est figura cylindro-elliptica, progressus serpentini, quo eo melius reflexione augeat, & multiplicet sonum, nec tamen uno impetu irruere sinat. Media parte cartilagineus, qui anterior est, & concham auris exteræ excipit, & osseus qui posterior, qui ad tympanum terminatur; uterque membrana valde nervosa vestitur ac oblinuit pingui, flavo, mucido humore, cerumine dicto, qui ex suppositis in cartilaginea parte glandulis miliaribus flavis venit, & a qualibet glandula per peculiarem ductum excretorum in meatum stollat, eum infinem, ut nimius tremor frangatur, nec jugi aeris illapsu membrana exsiccat & arescat.

**§. XXIII.**

Tum tympanum, a fine meatus auditorii ad labyrinthum usque porrectum, anterior clausum est membrana ex triplici lamella conflata, quarum prima exterior ex meatus auditorii membrana elongata, altera interior a dura matre, & inter has media vasculosa est, a Ruysschio ep. 38. descripta. Hæc membrana aeris & incongruum in tympanum ingressum arcet, & ita locata est, ut exiūs cava, intus convexa, super osseum marginem oblique expansa, ad superiora meatus inclinet, ibique obtusum, ad inferiora autem acutum cum meatu formet angulum, quo in centrum ipsius radii sonori incurvant, ipsaque forti tremulet.

## §. XXIV.

Exca vatus autem in osse petroso tympani sinus, periostio vasculo obductus, nervulum habet ex quinto & septimi paris eoncursu, tympani membranae subtenetum, chordam dictum, cum tribus periostio ossiculis. Ex his primum, malleus, ad propagandum per tympani membranam sonum, membranae ipsius negetur manubrio suo, & capitulo in eudi committitur; prætereaque tribus firmatur musculis, uno-externo ex superiori ambitu meatus auditorii, qui manubrium versus meatum auditorium trahendo, tympani membranam laxat; altero interno, ex cartilaginea tubæ Eustachianæ parte, qui membranam artius ad cavum tympani adducendo, eandem tendit; & tertio obliquo, sive semicirculari, ab externa ossea ductus Eustachiani parte oriundo, tympanum varie remittente & tendente. Omnia eum in finem, quo sonus varie intendantur, vel remittantur, prout nempe tympani membrana recipiendis radiis sonoris horum muscularum ope adaptatur, & aer in concha vario modo comprimitur, admittitur, velexpellitur.

## §. XXV.

Alterum ossiculorum auditus, incus dictum, cum capite malleoli, & crure longiori, interventu apophyseos orbicularis, cum apice cavo stapedis est connexum. Stapes autem basi sua fenestra ovali immittitur, & fibrillarum membranacearum ope eidem libere adhæret, simulque musculo ex osse petroso in capite instructa est, qui ipsam elevat, & margini fenestrae ovalis artius adducit.

## §. XXVI.

Accedit tuba, ex parte ossea, ex parte cartilaginea & membranacea, Eustachiana vocata, qua ex cavo tympani egrediens, versus palatum patet osculo aperto, & semilunari margine cartilaginolo clauditur. Communicat hæc cum aere externo, qui naribus aut ore hauritur, & facit, ut aer in loca hæc ire, exire, renovari & compandi, radii quoque sonori naribus aut ore admissi, intrare, & meatu auditorio male affecto, auditum effici e possint.

## §. XXVII.

Intima auris pars ob mirabiles gyros & meatus audit labyrinthus, vestibulum, canales semicirculares, & cochleam complectens. Vestibulum intermedia est pars, ad quam per fenestram ovalem ex tympano patet aditus, qui stapede inserta munitus, ut spatium vestibuli majus, vel minus reddi, & aer labyrinthi ad sonum modificantem comprimi, vel dilatari queat, facit. Canales semicirculares tres, inferior, superior, & medius, posteriorem labyrinthi partem constituant, & quinque orificiis in vestibulum hiant. Et cochlea, canalibus his opposita, duas cum dimidia spiras conficit, & a lamina spirali in duos divisa est canales, quorum superior in vestibulum hians, scala vestibuli, & inferior, membrana tenui clausus, per fenestram rotundam tympanum respiciens, scala tympani vocatur.

## §. XXVIII.

Cochlea, vestibulum, canales semicirculares tres intus vestiti sunt membrana subtilissima, ab expansione mollis portiois nervi auditorii oriunda, hanc secus ac retina in oculo, in qua proinde primaria auditus sedes.

*Scholion.*

Vero quippe adnudum simile, radios sonoros a tympani membrana repercuttos, & per ossicula propagatos, membranam fenestrae ovalis afficere, ac tremorem indicere aeri & membranae in cochlea & scala vestibuli, sonum inde ad vestibulum ipsum propagatum, hujus etiam membranam nerveam commovere, pergere ad canales semicirculares horumque zonis imprimere distinctos motus, per fibrillas nervias sensorio communis in cerebro ad perceptionem communicandos.

## §. XXIX.

Ex hac theoria & anatomica organi auditorii per investigatione, ejusque naturali functione & officio, varia nunc de auditu phænomena explicari, & gravis auditus, sive surditatis causa, dilucide monstrari possunt.

*Scholion.*

Patet hinc ratio, quare abscessis auricu-

is, vel meatu auditorio a crasso, & indu-  
rato cerumine infarto, auditus fiat gra-  
vior, quare auditus aperto ore intendatur,  
necnon quare fundi stridulum corpus denti-  
bus continentis ipsius stridorem percipient.  
Elucet porro quod furditatis causa saepe esse  
possit ductus Eustachianus obturatus, vel  
induratus. In proclivi quoque tinnitus au-  
rium caussa, si nimis nimia humiditas,  
ex peristio vasculofo, quod intus tym-  
panum & ossicula auditus cingit, justo la-  
xioni, in internam aurem veniat, ibidem  
que in vapores resolvatur.

## §. XXX.

Potissimum gravitas auditus fit, si tym-  
panum, vel nimis tenditur, vel relaxa-  
tur, si crassescit & induratur, aut plane  
perforatur.

## Scholion.

Primum saepius evenit in febribus, ce-  
phalagiis gravioribus, hypochondriacis,  
& hystericis per consensum. Alterum con-  
tingit a copia humoris serosi, per glandu-  
las ceruminis nimis relaxatas & magnum  
fanguinis & seri ad caput affluxum. Ter-  
tium obvium quam maxime est in aetate  
senili, necnon post usum calidorum fo-  
mentorum & instillatis spiritibus volatili-  
bus. Et ubi quartum praesto est vitium,  
ær, qui per tubam Eustachianam ad ca-  
vum tympani fertur, per aurem instat fla-  
rus, praesertim ore clauso, erumpit.

## §. XXXI.

Sæpe etiam difficilis auditus & tinnitus,  
parum licet nota, causa est glandulosa  
sinus mastoidei membrana nimis relaxata.

## Scholion.

Hæc enim quando lympham copiosio-  
rem & crassorem ad membranam tympa-  
ni, musculos mallei atque stapedis, tym-  
pana duo minora, quæ foramen ovale at-  
que rotundum claudunt, dimittit, partes  
hæc omnes, immo chorda ipsa. nimis hu-  
mectantur, tonus earum naturalis remit-  
titur, ipsarumque functio pervertitur; id  
quod saepius certe in statu, vel etiam de-  
clinazione acutarum accedit.

## CAPUT V.

## De olfactu, gustu &amp; tactu.

## §. I.

Olfactus organon constituunt nares,  
duplicatae ideo & ex ampliori in an-  
gustius spatium coeunt, quo effluvia o-  
dorū eo copiosius eisdem subire, & eore  
Etius applicari queant.

## §. II.

Amplum autem & spatiosum est narium  
cavum, ac in utraque nare duo conspicui-  
untur tubuli spongiosi, ex tenuissimis &  
fere papyraceis osseis lamellis ita complica-  
ti, ut plures in progressu efforment tubu-  
los cavos, in quos hiant duodecim sinus,  
duo nempe frontales, duo maxillares, duo  
sphenoidei & sex ethmoidei.

## §. III.

Tam omnes hi tubuli, quam duodecim  
sinus, intus duplicit vestiuntur membranis.  
Prima mollis & crassa vasculisque copiosissi-  
mis & distinctis rotundis glandulis predi-  
ta est, ex quarum osculis stillat lympha copio-  
sa, tenuis & inodora, quæ aeris frigidi  
accessu crassescit & in mucorū densatur.  
Pituitaria hinc, sive mucosa, hæc audit  
tunica, & humectans naribus, olfactui mo-  
derando, necnon particulis odoris cap-  
tandis & retinendis iisdemque rectius &  
diutius nervis olfactoriis applicandis, ter-  
vit.

## §. IV.

Sub pituitaria latet altera tunica nervosa,  
quæ nihil aliud quam expansio fibrarum  
nervearum. Multi enim ad nares tendunt  
nervorum ramuli, ac non modo primi  
nervorum par plures teneras fibrillas per  
os ethmoidei foramina transmitit, per  
totam narium superficiem & in omnes si-  
nus ac cellulas, dispersas, sed & quantum  
par ramum per foramen cranii rotundum  
huc mittit insignem satisque conspicuum,  
in plures sese diffundentem.

## §. V.

Ligatur in bullæ corporis parte nervi tam  
aperi-

aperti & accessui rerum externarum expositi, quam in naribus.

## Scholion.

Hanc ob caussam odoriferorum maxima virtus in cerebrum, ejus membranas, & nervos, eisdem variis modis & subito afficiendi, commovendi, immo lœdendi. Luculententer id patet in animi deliquio laborantibus, apoplecticis, sopore affectis & hystericis, qui penetranti odore excitantur & ad se redeunt. Idem confirmant ii, qui ob debilitatem generis nervosi in motus spasmodicos, & convulsivos proclives sunt, ut hypochondriaco & hysterico malo laborantes, qui a suaveolentibus lœduntur. Hæc etiam causa subest, quod sternutatoria, in morbis capititis a lenta pituita stagnante oriundis, egregie proficiant, dum in cerebro, ejus membranis, nervis, horumque fluido fortiorum excitant motum. Neque ullum dubium, quin maxima morborum, qui contagio inficiunt, per has vias ad cerebrum serpent, nervorumque fluidum, ipsumque inficiendo, mox universam motuum vitalium cœconomiam turbare & pervertere queant.

## §. VI.

Hinc etiam merito concludendum, nervosum hanc narium tunicam esse ipsius odoris sedem: ita quidem, ut pro diversa modificatione motus ab objectis odoriferis eidem impressi, varia in sensorio communis fiat perceptio.

## §. VII.

Objectum vero odoris sunt effluvia, ex particulis subtilioribus, salino-sulphureis, quæ mediante aeris & ætheris fluido solvuntur, conslata, & inspirationis ope ad intima narium deducta, nervorum fibrillis & tunicis sese insinuant. Hinc quo intensior inspiratio, eo penetrantior odor.

## Scholion.

Patet hinc ratio, quare homo non olfaciat, quando spiritum cohabet, vel aerem expirat, nec non cur nulla odoris, quantumvis penetrantis, fiat perceptio, quando aspera arteria disessa, aer per hiantis vulneris ora ingressum habet. Et quoniam particulae sulphurea, quæ odorem excitant, volatiles sunt & facile exhalant,

Tom. I.

hinc fit, ut calore, motu & attritu, corpora odorem spargant longe penetrantiores.

## §. VII.

Notandum præterea quinti nervorum paris, quod ad nares etiam pertingit, eam esse distributionem ac connexionem, ut non modo ad linguam insignem dimittat pro gusto faciendo ramum, sed & in quamplurimis cum sexti paris propaginibus coalescens, nervum conficiat intercostalem, qui omnibus fere pectoris, & abdominis visceribus, præcipue vero organis respirationis, ramulos largitur, & præterea cum pari vago, identidem per thoracem & abdomen discurrente, variis passim plexibus cohæret. Ex quo utique variorum phænomenorum rationes elicendæ.

## Scholion.

Nimirum hinc planum fit, quare tanta inter gustum & olfactum observetur conspiratio, nec non quare odores universum corpus tam promite afficere, reficere, vel lœdere queant. Innotescit exinde, cur irritatis a sale acri subtili, quod sternutamentis inest, naribus, par intercostale & vagum, necnon nervi muscularum respirationi servientium, in consensum trahantur, & motus subsequatur thoracis convulsivus, qui sternutationis nomine insigetur, & quo mucus intra cavitatem & sinus narium hæren expellitur.

## §. IX.

Gustus organon præbet lingua, cuius interior substantia est musculosa, ex quinque potissimum muscularum paribus conflata, ita quidem, ut fibrae eorundem tanquam stratum super stratum incubant sibi invicem, ac ut illorum, sic harum quoque sit tractus, obliquus, longitudinalis, quibus omnes mirabiles linguae motus perficiuntur.

## §. X.

Exterior vero gustui serviens compages ex triplici coagmentatur tunica. Prima & externa, quæ cuticulae vicem sustinet, multis pervia est foraminulis, quæ corpora papillaria recondunt, iisdemque quasi vaginalibus largiuntur, quo eadem tam & nimis vehementi gustandorum impressione defendantur, quam sapida eo melius re-

cipi & applicari queant. Altera est retiformis, cribrosa Malpighii, hic quam maxime conspicua, quæ transitum concedit papillulis.

## §. XI.

Tertia, quæ carneum linguæ corpus cingit, est nervosa, ex innumeris papillulis corporis conflata. Intertextæ sunt huic etiam plures glandulæ, quæ in basi linguæ majores, & copiosiores, in apice minores, e quarum foramina, cellis distis, lympha stillat.

## §. XII.

Ipsæ papillulæ nerveæ, in quibus gustus sedes, nihil aliud sunt, quam extremitates nervorum ac tendinum, in dorso linguæ, præcipue vero in apice & ad latera conspicuæ, quæ in lingua jejuna & famelicis eriguntur, in mortuis sape disparent. Triplicis autem magnitudinis & figuræ esse observantur. Aliæ sunt capitatae, quarum plures in homine, quæ referunt cornua limacum, alia conicæ, mollioris in homine texturæ, quæ conjunctæ pectinem carminatorum constituant; & quæ in basi linguæ convenienter ac majores sunt, dentem apri referunt, aprinæ ideo vocandæ.

## §. XIII.

Nervi, qui ad hoc gustus organon excurrunt, a quinto & nono sunt nervorum pari, & plerumque illis papillulas nerveas & gustum deberi, his vero linguæ motum perfici, censetur.

## §. XIV.

Objetum saporis est ipsum sal, prout varium illud est, varieque cum particulis insipidis, oleosis, sulphureis, terreis & aquae commiscetur. Hinc quæ sale destituta, nullius saporis.

## §. XV.

Quando igitur in sapidis corporibus particulae saline, mediante saliva, & calore oris solvuntur, & postea motu oris vaginulis intruduntur & papillulis applicantur, pro motus papillulis ab his impressi varietate, diversa illico diversi saporis in mente excitatur idea.

## §. XVI.

Varius tamen sapor est, nec in uno homine, ut in altero.

## Scholion.

Differit enim saliva, quæ menstruum est principii sapidi. Ipsæ papillulæ nerveæ magis, vel minus quandoque sunt exsuccæ, humidae, temperato, vel preternaturali humore imbutæ. Cuticula etiam linguæ magis vel minus obstructa, vel quandoque plane excoriata. Hinc est, quod nonnunquam in morbis omnis sapor sit falsus, vel amarus, vel prorsus putridus.

## §. XVII.

Tactus organon est universa corpori instrata cutis, seu potius existentes in ipsi papillulæ nerveæ pulposæ, quæ ex mollioribus nervorum subcutaneorum villis, deposita exteriori membrana, oriuntur, tenui semper humectantur lympha, & in locis taciti potissimum servientibus maxime conspicuæ, ut in digitorum apicibus, volvi manuum, ac plantis pedum.

## §. XVIII.

Acutissimi hæ papillulæ sunt sensus, & ita locatae, ut per reticulare Malpighi corpus distincto ordine ferantur, & in foveis cuticulæ delitescentes, ab externis corporibus facile quidem, sed non nimium, affici possint.

## Scholion.

Epidermiden enim, ceu solidam membranam, tactum moderari, patet exinde, quod exusta, vel per vesicantia ablata eadem, dolor a tactili excitetur, & vicissim, si dura nimis & callofa fiat, ut nequeat ad papillas objecti externi actio pertingere, tactus pereat.

## §. XIX.

Papillulæ hæ in corporis superficie perpendiculari habent situm, in manuum vero & pedum digitorum apicibus secundum longitudinem, aucto semper in progressu ordine, exorrectæ sunt, ubi in epidermide, ceu vagina, complicatae, exsuccæ in ungues densantur, quo digitorum extrema hoc munimento molles serventur & defendantur.

## §. XX.

Tactus igitur fit, quando papillulæ nerveæ se ferentes objecto tactili applicantur, earum superficies inde leni tritu assicitur, motusque sic ipsis impressus, per-

nerveum fluidum ad sensorium commune propagatur, qui in mente excitat ideam calidi, frigidi, mollis, duri, siccii, humidii, figurati, magni, remoti &c.

§. XXI.

Ad perceptionum species merito etiam referendus dolor, qui non nisi molesta, a violento & præternaturali per objectum externum impresso motu, sensatio est.

*Scholion.*

Doloris subjectum sunt omnes membra ex fibris carneis & nerveis composite, adeoque præter summam curim & sentientes jam dictas membranas, intus etiam latentes partes, ex tunicis maxime musculo-nerveis conflatae, doloribus patient. Maxime omnium vero totus illus canalis, qui a fauibus ad anum porrectus, cesophagum, ventriculum & omne intestinorum volumen comprehendit, & alimentorum digestioni, solutioni & excretioni dicatus est, præcipuum variorum graviter afflignantiam dolorum sedem ac domicilium constituit. Huc etiam pertinent pulmonum bronchia, ex tunicis valde fibrosis & nerveis conflata, urethra, cum vesica & urethra, duclus biliarii ipsaque pleura & peritonæum, nec non membrana ossa cingens, periostium dicta, quæ saepe atroci dolore in stato præternaturali afficiuntur.

§. XXII.

Dolor, sive molestus sensus, varius est & differt pro diversitate motus, qui partibus nervosis ab externo objecto imprimuntur.

*Scholion.*

Omnis utique sensatio molesta supponit motum, ab æquabili, & moderato, qui naturalis est, & omnis molestia expers, deflectentem, violentum nempe, qui vel in validiori contractione, crispaatura, vel etiam distensione nimia, & pressione, aut, ut Veteres loqui amant, tentata continui solutione, consistit. Hic prout a variis causis, qualitate, mole, aut motu diversis, inductus, varius etiam & gradu discrepans a medicis observatur, & gravatus, pressorius, ardens, ancinatorius, pungitivus, acutus, con-

strictorius, pulsans &c. denominatur i Quicunque igitur doloribus apte meder contendit, id efficere debet, ut vel causam, quæ motiones tales præternaturales in partibus sensu dotatis ingignit, congruis præsidii amoveat, vel liquidii nervi, cuius ministerio motus fit & solidis impressus ad sensorium commune transfertur, influxum minuat, vel sufflaminet, id quod vaporoforum, ut papaveraceorum, ope perficitur, quæ hinc vocatur stupefactiva. Sed de hac materia plura in pathologicis & therapeuticis.

## C A P U T VI.

*De somno ac vigilia.*

§. I.

**N**ULLUS homo sine somno & quiete diu vivere vel sanus manere potest, unde somni natura ejusque causæ Medicis sunt investigandæ.

§. II.

Somnus est cessatio operationum animæ ad tempus, ob secretionem, & influxum fluidi nervi in sensoria languidorem.

*Scholion.*

Quia homines dormientes nec vident, nec audiunt, nec contactu facile moventur; ergo anima cessat operari per somnum, in organis maxime sensuorum exterorum: quamvis ejus operatio non cesset in tractandis & evolvendis ideis, quæ vestigia sunt cerebro impressa ab objectis externis, testantibus id insomniis.

§. III.

Cessatio sensationum fit ab influxu fluidi tenuissimi in nervos & sensoria languidiori, unde hæc flaccescunt, relaxantur, ut actiones & motus objectorum vivide ad sensorium internum, quod in cerebro est, perducere nequeant.

§. IV.

Prout itaque hic influxus fluidi nervorum, gradu secundum majus & minus diverso, impeditus est, eo quoque magis, vel minus, somnus est profundus, & difficultior excitatio.

I. 4

§. V.

## S. V.

Cessat & minuitur in nervos & sensoria liquidi nervae influxus ob tubulos cerebri & nervorum minus vegetos, & quodammodo a lympha roscida minus mobili ibi stagnante relaxatos & compressos.

## S. VI.

Perit vigor & tonus tubulorum cerebri, vel languescit, partim quod sub diurna vigilia ipsi debilitantur, partim quod de nocte sanguinis motus in toto corpore, adeoque in cerebro etiam, tardior & languidior evadit, unde serum & lympha roscida, quæ cum sanguine eodem gaudet progressu, ibi moratur, inque majori copia fecerit, & hiantes poros ac tubulos cerebri implet, unde fluidum tenuissimum minus in nervos & principium nervorum influit. Quodcumque itaque sanguinis circulum per cerebrum languidorem efficit, id etiam ad somnum producendum multum valeret.

## Scholion.

Ex hisce jam facile petenda est ratio, quare quæ vapore extendunt arterias tenellas cerebri, ut sunt papaveracea, inebriativa, fumus carbonum, sulphuris, omnia graveolentia & suaveolentia, ad somnum conciliandum multum faciant; item quare aer humidus & temperate calidus, cœlum pluviosum, aer nocturnus, & deficiens in atmosphera sol, alimenta, quæ blandis, & oleosis succis scatent, fumus tabaci & humectantia roscida, circa noctem assumta, ad somnum conciliandum multum faciant. Apparet etiam porro ratio, quare nimia, & laboriosa corporis præcedens defatigatio, ad somnum disponat, siquidem a motu fortiori ipsæ fibræ universi corporis ipsiusque cerebri in movendo vigorem amittunt.

## S. VII.

Sub somno sanguinis cursum per ipsum caput & universum corpus languidorem esse, & fibras corporis relaxari, plurafunt, quæ id-confirmant, siquidem in somno, & pulsus arteriarum, & respiratio, longe languidior & imbecillior est, quam in vigiliis, habitus corporis cum vasis turgescit, sanguine repletur, tubuli cutis magis relaxantur, hinc etiam cutis si hu-

mida, vel plane sudore perfunditur, si que a somno quis profundo confusim excitetur, torpor & gravitas in capite sentitur, neque sensus statim, sed successive, redeunt ad officium.

## Scholion.

Quia sub somno fibrae relaxantur & flaccidunt, transpiratio & urinæ secretio melius nocte, quam de die perficitur. Qui ex summa debilitate viriumque in morbo, vel post morbum prostratione, fibrarum cutis atonia laborant, iis largiter noctu sudor sponte manat, qui cessare frequenter sollet, mane ægro evigilante.

## S. VIII.

Somnus utilis & necessarius corpori est, ut fibrae totius corporis & cerebri, quæ sub vigilia in perpetua agitatione erant, quiete rufos tonum, robur & nutrimentum accipiunt; deinde, ut partes spirituosaæ, quæ sub vigilia & motu diurno exhalant & consumuntur, recolligantur & resarciantur, quare placidus somnus optimum virium est reectorium.

## S. IX.

Vigilia somno opposita est, hinc oppositas causas habeat, necesse est.

## S. X.

In vigilia, & ipsum cerebrum, & nervi atque sensoria, fluido tenuissimo turgent, ejusque liber & sufficiens adest influxus, unde fibræ ac membranæ tensæ ac rigidæ manent, ut objecta externa in eas promte agant, hasque actiones anima percipiat.

## S. XI.

Quodcumque itaque sanguinis cursum celerem per vasa capitis & cerebri efficit, & fibras in motu & actione conservat, id quoque vigiliam assiduam efficit.

## Scholion.

Jam perspicua erit ratio, quare cura & continua animæ actio in affectibus, nec non profunda & intensa cogitatio, aer valde siccus, & stimul calidus, potus calidi, ut herbe thee, coffee, medicamenta acria, volatilia, ingens calor, & austus corporis in febribus, concoctio difficilis, cibi salvi & acres, somnum arceant & vigiliam procreent. Nam hæc omnia in perpetua agitatione fibras servant, seru roscidum.

dum diluunt, sanguinisque motum per cerebrum velociorem, ac impetuosum reddunt.

## §. XII.

Vigiliae diurnae nocent corpori, quia nimium fibras corporis exsiccant, ipsis nutrimentum subtrahunt, & vires consumunt.

*Scholion.*

Pater ex hisce, quam periculosem sit infibibus, aliisque morbis symptoma assidue vigilia, qua tamen nullo modo anodynus est sopiaenda, quia post vigilias nimias extreme debilitatem sunt cerebri, ac partium fibrarum, unde facile dicta medicamenta exitiale stagnationem, vel stasis humorum, causantur, in morbis acutis eo majori cura pertimescenda.

## C A P U T VII.

*De anima, ejusque cum corpore commercio.*

## §. I.

**I**N homine, praeter corporis organici ordinatos motus, sentientis, & appetens facultas, neque minus mens, qua intelligimus, cogitamus, & libere agimus, considerari debet.

*Scholion.*

Tria inter se distincta, ratione, naturae, & proprietatum, principia in hominem invicem juncta, & connexa esse, superius cap. 3. jam diximus. Ipsa vero etiam scriptura sacra in homine tres distinctas ejusmodi substantias, corpus nempe, animam, & spiritum, agnoscit.

## §. II.

Hec tria, ratione naturae, proprietatum, & virium inter se distincta agentia in homine obvia, distinctim consideranda, nec invicem confundenda sunt.

*Scholion.*

Primum & palmarium in philosophicis praeceptum est, ne res inter se distinctae confundantur, quia confusio est foecunda errorum mater, & errores nihil aliud ex parte sunt, quam rerum distinctarum con-

fusiones. Itaque non sine ratione, & Veteres, & recentiores, naturam ab anima scite, & sapienter distinxerunt, ut ut accurationi corporis, & motus notitia caruerint. Siquidem naturam motuum vitalium, secretionum, morborum, mortis, sanationis, principium appellabant, facultatem vero sentiendi, appetendi, motusque spontaneos dirigendi, ad animam referebant.

## §. III.

Actus perceptionis, imaginationis, estimationis, neque minus memoria, docilis, appetitus, aversatio, quum ab extensione, a figura, situ, connexione, motu, virtute nitente, & renitente, derivari minime possint, opus est, ut praeter mechanicam partium structuram, & ex hac productos motus, aliud adhuc, a corporis proprietatibus cognitis distinctum agens, statuamus.

*Scholion.*

Cujus indolis sit illud principium, a quo tanquam a causa, & fonte vires percipiendi, appetendi, ac certos motus determinandi profluant, penitus humani intellectus captum exsuperat. Ex ejus vero operationibus cognoscimus, quod ad corporum naturam, quorum vires nobis perspectae sunt, minus recte referri possit. Num praeter corpus, & spiritum, alia substantia adhuc detur, quæ elementum purissimum, homogeneum, & simplicissimum, ad impressiones recipiendas, & secundum has ordinatas reactiones producendas, apertissimum sit, ad altiorem metaphysicam magis, quam medicam indaginem pertinere videtur.

## §. IV.

Facultas in homine sui, & aliarum rerum conscientia, veritates, & errores distinguendi, ratiocinandi, libereque agendi, quum nec a corporis, nec ab anima sentientis essentia deduci possit, sequitur aliud adhuc operandi principium, sive substantiam longe nobiliorem, in hominem constitui debere, quam mentem Veteres, sacra vero scriptura spiritum ad imaginem Dei conditum vocat.

## §. V.

## §. V.

Ut ut tria distincta in homine sint, & concurrent agentia, ita tamen inter se connexa sunt, ac conspirant, ut unum alterius ope, & auxilio in hac vita egeat, unumque in alterum agat, & invicem quoque patiantur.

*Scholion.*

In universo rerum naturalium ordine ita sapientissimus opifex cuncta constituit, ut unum corpus semper agat in alterum, & ex mutua actione & reactione, motus resultet, omniaque invicem ita connexa sint, ut unam mutationem altera subinde sequatur.

## §. VI.

Mens ministerio animæ sensitivæ utitur, & ab ea rerum perceptiones, impressiones, & ideas accipit, quas in ordinem redigit. Læsionem quippe partium solidarum, & fluidarum enormem, ut videmus in morbis, læsio facultatum, tam sensitivæ, quam rationalis, sequitur, & destructa machina, utriusque operatio cessat, ut appareat in morte.

*Scholion.*

Animadvertisimus, variarum impressio-  
num copia, & impetu subinde recte ratio-  
cinandi facultatem turbari, ut videmus in  
mente captis, in deliris, in ebriosis. Quo  
fluidi cerebri natura, & motus tempera-  
tior est, eo nobilior quoque mentis est o-  
peratio. Deinde perversæ impressiones, &  
cupiditates sana ratione corriguntur, ac se-  
dantur. Et mentis imperio artus moven-  
tur, idque mediante nervorum, & san-  
guinis fluido, necnon instrumento motu  
bene disposito.

## §. VII.

Principium sentiens liquidi cerebri, &  
nervorum ministerio utitur, siquidem in-  
ipsum sunt objectorum impressiones, &  
hoc mediante, etiam anima sensitiva suam  
movendi potentiam in corpus exercet.

*Scholion.*

Qui nulla ratione ducti fluidum cerebri,  
quod veteres spiritum animalem nominan-  
tunt, negant. Ii animam proxime in ner-  
vos, partesque solidas agere, easque mo-  
vere existimant. At vero, cum supra satis-

hujus fluidi existentia stabilita fuerit, id  
potissimum urgemos, animam longa faci-  
lius, & promptius in hoc fluidum, ceu  
mobilissimum, quam in solidum, motu  
minus idoneum, agere posse, præsertim  
quoniam videamus, salvo & integro musculo,  
læso autem cerebro, vel nervo partis, ani-  
mam nihil posse efficere.

## §. VIII.

Fluidum cerebri, & nervorum materiam  
& originem suam petit a sanguine arterio-  
so, ejusque motu ad caput, hinc facile in-  
telligitur, sanguinis magnam esse poten-  
tiā animæ sensitivæ actiones valde alte-  
randi, & immutandi.

*Scholion.*

Animantia, quæ calidorem & copiosio-  
rem sanguinem habent, ut sunt carnivora,  
aliis dociliora & ferociora sunt. Sanguini  
plus ingenii, ac memorie habent, quam  
qui boni sanguinis penuria laborant.

## §. IX.

Vires imaginationis, memorie, inge-  
nii, propensionum, valde differentes, &  
sanguinis temperie, ac motu maxima ex  
parte dependent.

*Scholion.*

Ex quo fit, ut mores, & inclinationes  
temperamentum sequi soleant, quod ex-  
perientia confirmat, & jam dudum *Gale-*  
*nus* notavit. Nam in quorum corpore fi-  
bræ admodum sunt teneræ, tensæ, stricte  
ac mobiles, & sanguinis motus celerior  
est, in eorum actionibus temeritatem, in  
moribus ambitionem, in animo vehementiam  
animadvertisimus. Ubi vero ob fibrarum  
densitatem, immobilitatem, viarum  
que angustiam, cum quadam difficultate  
sanguis movetur, ibi fixior est imaginatio,  
in moribus pertinacia, in actionibus tarditas  
& timiditas, in vitiis avaritia domina-  
tur. At vero sanguine temperatore libere,  
ac placide corporis meatus percurrente, in-  
genii ac memorie adest alacritas, ad volup-  
tates vero æque, ac ad virtutia & virtutes,  
prompta & mobilis est facilitas. Et quia  
ætas diversa, in solidis partibus, quæ mo-  
tus instrumenta, ac fluidorum viæ sunt,  
mutationem quandam affert, hinc in ani-  
mo quoque morum, ingenii, inclinatio-  
num,

num, impressionum mutationem efficit, adeo ut alii mores, & vitia sint puerilis, alia juvenilis, alia senilis ætatis, ut pluribus in differ. de temperamento fundamento morum & morborum, docuimus.

## §. X.

Cum sanguis ejusque motus, in animæ sensitivæ operationes, mediante cerebri fluido, magna polleat efficacia; sequitur, ut quoque ea, quæ sanguinis indolem, ejusque motum immutandi facultatem habent, insignem potestatem in animam obtineant.

*Scholion.*

Minime itaque mirandum est, si clima, si alia vixit ratio, si medicina, animum, & mores, & sapientiam, mutandi facultatem habeant. Sapienter adstruxit Hippocrates Lib. I. de diat. §. 30. 34. meliorum, & sapientiorem diatæ reddi posse animam. Et eodem libro scribit: *Si sanum fuerit corpus, & non a morbis perturbeatur, animæ quoque temperamentum sapiens existit.* Sanguinisque temperamentum multum ad sapientiam conferre, idem auctor Libr. de flatibus §. 20. affirmit. Deinceps inter populos, qui diversa incolunt climata, alias esse acutiores, alias obtusiores, quosdam ingenio, ac judicio aliis præstare, & diversis vitiis quoque obnoxios esse, ipsa experientia edocemur. Melioris notæ vino assument, homines alacriores, & ingeniosiores, flatulentis vero cibis, ut fabis, & pilis, nec non graveolentibus, ut opio, semine hyoscyami, daturæ, stupidos, atque infanos reddi, indubitate experientia constat. Neque ulli periti medico ignotum est, quod continua, & ardens febris delirium, affectio vero flatulenta hypochondriacorum melancholiæ, & infaniæ, efficiat.

## §. XI.

Est quoque ingens, sed tamen limitata animæ, mediante liquido cerebri, & nervorum, potentia in corpus, ejusque fluidas, & solidas partes, eas varie com-movendi, & mutandi.

*Scholion.*

Exserit sece potestas animæ maxime

in musculos, qui artus movent, siquidem non modo pro arbitrio eorum motus dirigit, sed & vehementior impressio atrocissimos convulsivos motus, & artuum agitations involuntarias efficere potest, cujus rei inspirati sic dicti solenne documentum edunt.

## §. XII.

Anima sensitiva vitales, & naturales actiones minime pro libitu, & directe augere, vel minuere potest, ut non negandum sit, eas ab anima multum perturbari posse.

## §. XIII.

Affectus animi, qui principii in nobis sentientis, & appetentis actus, motus, & operationes sunt, sanguinis circulum, & ab eo dependentes partium functiones, vehementer, & diversimode perturbant.

*Scholion.*

Ex gravi iracundia confestim cordis, & arteriarum motus celerior fit, ut sanguis cum impetu per vasa traciatur, facta respiratione citatori, siti & vigilia. Tristitia pertinacior solidorum robur valde imminuit, ut fibræ inde flaccescant, relaxentur, earumque vigor, ac tonus pereat, inappetentia, nausea, diarrhoea, alvi fluxu subsequente. Terrore partes externæ contrahuntur, frigidæ tremunt, sanguine ad cor, & pulmones cum impetu congesto, a quo anxietates, tremores, palpitationes fiunt. Rectissime itaque vehementes animi affectus primum, & principem inter causas, quæ morbos inferunt, & qua sanitatem destruunt, locum inveniunt.

## §. XIV.

Vis quoque phantasæ in actionibus naturalibus immutandis se valde exserit.

*Scholion.*

Quam nocivæ sint foetibus phantasticæ illæ gravidarum subitæ, & fortiores impressions, cum quodam terrore junctæ, earum in corpore relicta vestigia, macula, deformationes partium, abunde testantur. Omnia vehementia desideria quam perniciosa sint corporis valitudini

tudini, morbosque inferant, amor insanus, malacia gravidarum, & intensa cupiditas videndi patrism, & parentes, luculenter comprobant. Rerum ingratarum fastidium, ex solo odore, vel aspectu, ita subvertit ventriculum, ut noxia vomitio subinde sequatur. Quantæ turba in universo corpore ex aversatione innata casei, felium, sanguinis fusionis, vel aliarum rerum adversarum, nasci soleant, quotidianus ulus ostendit. Profunda animi meditatio, atque intentio in studiis vigorem universo corpori, ipsique ventriculo detrahit, & animadvertemus, magno ingenii labore, meditationi, ac forti impressione, cerebri membranas valde constringi, vel relaxari, ut graves capitum effectus inde propululent. Solo aspectu epilepticorum, vel variolosorum, complures in eisdem morbos prolapsos fuisse, medicorum historiæ passim obviae testantur. Ex sola impressione pestis, eadem quosdam correptos fuisse, licet non affuerit, certo certius est. Ex firmiori imaginatione nonnullos purgare, vomere, sudare, salivare posse, identidem experientia confirmat. Habent hæc omnia maxime locum, atque efficacia animæ se se potentius exferit, in corporibus sensibilibus, imbecilloribus, vel a precedente morbo, aut alia quadam ex causa, enervatis.

## §. XV.

Igitur anima, quo magis vacua a desideriis, & impressionibus, & quo tranquillior, ac quietior est, eo minus corporis motus turbat, atque offendit, neque alimentorum, aut medicamentorum vires pervertit. Qua de causa ab omnibus ævi philosophis, mentis tranquillitas, ad sanam & longam vitam, nunquam non commendata est,

## §. XVI.

Neutquam vero animæ potestas in homine eo se extendit, ut omnium in corpore motuum, etiam morbosorum, causa efficiens sit.

*Scholion.*

Qui hoc statuant, & contendunt, motus veram naturam, & causam, cor-

porumque essentiam, ac operationem ignorant, quæ non secundum veteres in extensione quadam passiva, a DEO, vel alio quodam ente, in actum & motum deducenda, consistit; sed potius corpora sunt substantiae activæ, viribus intentibus, ac renitentibus, quibus unum in alterum agit, reagitque, donatæ, quarum operatio non alia est, nisi nisi ad motum, qui demum ex mutua, & inæquali virium actione, & reactione resultat. Et quemadmodum fluida, ut aer, æther calore solari animatus, celerimæ sunt activitatis ad producendum motum, neque ullo externo alio agente egent: ita tenuissimis animantium fluidis, cur hanc movendi energiam denegare velimus, nec ullam solidam rationem invenio, utpote cum indies edoceamus, non modo a venenis, item ab alimentis, & medicamentis, a solo mutato aere, ejusque calore, solidorum, & fluidorum actiones, & motus augeri, minui, variisque modis immotari posse. Tacemus, quod eiusmodi principium, in medicinam rationalem infelici sidere introductum, rebus corporeis activitatem demendo, omnes physicas, mechanicas, & anatomicas causas, & rationes uno quasi iectu prosternat, in quibus tamen certitudo, ac demonstratio, si qua in medicina fieri potest, consistit. Et quæ plura firmo subnixa talo contra hanc metaphysicam de rebus medicis, & physicis sententiam dici possunt tam in prefatione hujus libri, quam passim in aliis nostris scriptis attulimus.

## §. XVII.

Utut igitur anima in homine, sive rationis particeps, sive sentiens, potentiam quandam, ac directionem limitatam in corporis nostri partes obtineat; Medicina tamen, tam in theoreticis, quam practicis demonstrationibus, ac deductionibus, pure mechanica est, id est, principiis mere mechanicis, quæ sunt motus, & materia, innititur.

*Scholion.*

Neutquam certe indicationes medentum, sive sint præservatoria, sive curatoria,

toriæ , vel alimentorum , aut remediorum vires , ac potestates , quibus medicus omne id , quod debet , præstat , ad mentem , vel animam sensitivam , ullo modo spectant , vel eo dirigi possunt , quia horum nulla datur absoluta , vel directa in dicta agentia potestas , sed potius medicorum functio plane est mechanica , quæ in eo versatur , ut , quomodo motus varie disponat materiam , & diversa quoque materiae indoles motum modificheret , intelligent ; deinde , ut sciant nimios motus compescere , deficiente promovere , fibris motricibus , & languentibus robur addere , motus fluidorum ad convenientia excretoria dirigere , præterea nocentes succorum qualitates corrigere , invertere , & ad excretionem disponere , quæ pure mechanica

sunt . Siquidem omnes vires corporis , immo ejus effectus , certo numero , mensura & pondere , sive efficacia ad motum , fiunt ; adeoque pure mechanica sunt . Quare etiam medicus cujusvis naturæ , & individui mechanismum , & quomodo hic conservandus , vel restituendus sit , unice omni cura , ac prudenter attendere debet , ita enim solide , perite ac feliciter in operibus artis versatur . Neque alius medico aditus ad animam , sive sentientem , ejusque motus turbativos componendos , patet , vel concessus est , quam ut conveniente , vel alimentorum , vel medicamentorum usu , delinquentes motus , aut materiae qualitates , ac vires noxias , in ordinem , ac statum naturalem reducat .

PHILOSOPHIÆ  
CORPORIS HUMANI  
VIVI ET SANI  
LIBER SECUNDUS.

*De Vita, & Sanitate per salubrem diætam conservanda, &  
præmatura morte; morbisque avertendis.*

PROLEGOMENA.

*De scientia sanitatem, & vitam  
tuendi.*

§. I.

**S**CIENTIA EARUM RERUM, quæ ad diutius  
continuandos vitales machinæ anima-  
lis motus conferunt, ut homo longa vita,  
& sanitate fruatur, Græcis *vivium* appellat-  
latur.

*Scholion.*

Hæc medicinæ pars omnium utilissima  
in medicorum scholis quartam quidem ar-  
tis partem constituit, & post pathologiam  
tractatur, quum tamen proxime physiolo-  
giæ subjungi deberet, siquidem hæc ge-  
nuinas vitæ, ac sanitatis causas explicat,  
hygieïne vero eas pertractat, quæ salubri-  
tatem, vel insalubritatem, corpori affe-  
runt, adeoque scientiam tradit, qua cor-  
pus diu vivum, ac salvum servatur, qua-  
demum neglecta, origines, & causæ mor-  
borum pullulant; hinc commodissime phy-  
siologicam corporis humani tractationem  
excipit, & pathologiæ præmittitur.

§. II.

Quemadmodum sanitas omnium rerum  
prestum excedit, omnisque felicitatis fun-  
damentum est, ita scientia vitæ, ac sani-  
tatis tuendæ omnium nobilissima, omni-  
busque hominibus commendatissima esse  
debet.

*Scholion.*

Vehementer profecto dolendum est,  
quod per pauci eo sapientiæ perveniant, ut  
partes, quibus homo componitur, mentis  
nempe, & corporis sanitatem, recte cu-  
rent, sed potissimum hominum princeps  
cura, & cogitatio eo in vita dirigatur,  
quo multis laboribus, ac desideriis ea con-  
sequantur, quæ neque mentem, neque  
corpus in altiori perfectionis gradu collo-  
care possunt. Quin potius cum dolore ani-  
madvertimus, nostris etiam temporibus,  
utilissimam hanc medicinæ partem ab ipsis  
medicis insuper haberi, vel parum digne-  
tractari.

§. III.

In potestate medici non semper positum  
est morbos tollere, & ægros sanare, eos  
vero prudenti consilio avertere, & sanum,  
illibatumque corpus tueri, utique in pote-  
state medici magis situm est.

*Scholion.*

Ubi enim inveterati fuerint morbi, &  
altiores radices in viscerum labore egerint,  
ut plurimum omnes remediiorum vires elu-  
idunt, qui vero ex morbis acutissimi, &  
qui magnam stragem edunt, naturæ po-  
tius, quam artis beneficio sanescunt. Id  
vero medicus sua arte efficere potest, ut  
primas origines, & semina morborum  
præscindendo, diutius corpus salvum, &  
a morbis, ac præmatura morte liberum  
conservet.

§. IV.

Quia longior vita, & sanitas integra-  
tam

tam chara, ac pretiosa res est, utique in impetranda hac, medicus nihil, nisi cum certa, ac fundata ratione, & experientia, agere, vel præscribere debet.

*Scholion.*

Sicuti therapia, sive ars medendi morbis, hoc usque plus empirice, quam scientifice, ex certis, atque indubuis principiis tradita est, ita etiam hygieinen solidis rationibus, ac demonstrationibus fere destitutam videmus, eam maxime ob rationem, quia partim vitalis corporis conservatio, in quonam ea consistat, nondum intime perspecta, partim quia rerum salubrium, & insalubrium ratio ad tot, ac tam diversa hominum corpora, & naturas differens, non satis digne adhuc evoluta, & ad liquidum perducta est.

*§. V.*

Scientia rerum homini salubrium, & insalubrium non tam intellectu facilis est, ut vulgo putatur.

*Scholion.*

Nullæ enim dantur res absolute, & in se salutares, vel noxie, sed certis relationibus, & conditionibus corporum vires nuntiuntur. Quicunque ergo medicus præcepta cuivis sanitaria præscribere vult, is non modo naturam corporis in individuo perfecte nosse, sed relationes etiam, ac respectus, quibus variant salubrium vires, accurate tenere debet.

*§. VI.*

Vera itaque hygiene veras vitæ, & sanitatis causas supponit; & medicus in applicatione ipsius, vires ac proprietates eorum rerum, quæ sanitatem conservandi, vel labefactandi potentia gaudent, partim ex experientia, partim ex solida demonstratione, altius perspectas habere debet.

## CAPUT PRIMUM.

## De sanitatis natura, ejusque signis, &amp; causis.

*§. I.*

**S**ANitas est vigor actionum, tam corporis, quam animi, a temperato, & libero solidorum, ac fluidorum motu,

sanguinisque, & humorum temperie, neque minus a convenientibus secretionibus, & excretionibus, dependens.

*Scholion.*

Hæc definitio sanitatis realis est, quia non tantum ejus formalem rationem, quæ in vigore actionum animi, & corporis constitit, sed & veras ejus causas complectitur.

*§. II.*

Subjectum sanitatis non modo est corpus, sed & in corpore residens mens, quia corporis sanitatem destrœta, ob mutuum commercium, & vinculum, mens quoque in suis operationibus impeditur, & turbatur.

*Scholion.*

Tametsi mens, & anima sentiens per se non ægrotent, nihilominus tamen sit, ut corpore male affecto, sanguinisque temperie male se habente, illorum operaciones quoque lassantur. Est enim mirifica mentis, & sanguinis motus conspiratio, adeo, ut unius latro in alterum repente transeat; quemadmodum in physiologicis id abunde ostensum, atque confessum est. Pulchre hinc Democritus scribit, vid. Hippocrat. Lib. de Natur. Human. p. 281. augescit intelligentia præsente sanitate. Atque corporis habitus ægrotat, neque mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem. Morbus enim præsens animum vehementer obscurat, intelligentiam ad affectiones in consensum trahens.

*§. III.*

Quia res externe, quibus continuo utimur, ut aer, vietus, & alia ex rebus non naturalibus casu, magnam potentiam in solidorum, ac fluidorum temperiem, & motus obtinent, hinc animadvertisimus, ab insalubri aere, & vietu, animam quoque, & mentem turbari.

*Scholion.*

Peritissime enim Hippocrates Libr. de Dieta scribit, quod si quis velit sanguinem animam reddere, hoc debeat per diætam præstare. Nihilque familiarius est, quam quod in morbis acutis, ubi sanguis per vasa corporis celerrime trajicitur, impatientia & præcipitanitia, imo insania observentur, inque chronicis passionibus, præ-

præsertim in hypochondriaco illo malo, sine causa tristitia, timiditas, & ingens in animo anxietas enascuntur.

## §. IV.

Recte igitur mentis, animique vigor, quia sanguinis motu temperato sustentatur, sanitatis indicium, & contra etiam integritas actionum animi desperdita labefactatam corporis sanitatem subindicat.

*Scholion.*

Quando itaque vires ingenii, atque animi minuuntur, vel pervertuntur, certum indicium est, corporis quoque vim, ac robur pati, ut videmus in senibus, languidioribus, & morbo fractis. Neque in morbis, animus erector, & alacrior factus, fallax redeuntis sanitatis indicium præbet.

## §. V.

Sanitas quoque ex vigore actionum corporis, quæ in virales, & naturales dispeccuntur, recte utique estimatur.

*Scholion.*

Actiones vitales, quæ vitam immédiate sustinent, sunt motus, qui partim in cordis, & arteriarum pulsu, partim in robore fibrarum, corporisque agilitate, item in respirationis actu observantur, & ex horum habitudine actionum vitalium vigor dijudicatur; actiones vero naturales ex appetitu, digestione, nutritione, maxime vero ex excretionibus per alvum, urinam, transpirationem, estimantur.

## §. VI.

Is itaque sanus ratione corporis dicendus est, qui pulsu gaudet magno, æquabili, ac moderato, qui faciem habet bene coloratam, & calorem per universum corpus diffusum obtinet, libere respirat, & qui corpus minus grave, sed agile, & ad labores promptum habet. Deinde, qui bene appetit, ingerit, nullas molestias in abdome persentit, & proportionate secundum ingestiones excernit, placidoque, & reficiente somno fructur.

*Scholion.*

Is itaque medicus, qui statum hominis sanum explorare vult, ad omnes has actiones respicere, earumque vigorem, vel defectum, observare debet.

## §. VII.

Quum in rerum natura nihil fiat sine sufficiente ratione, & effectus viribus easarum semper respondeant, vigor quoque actionum, tam animæ, quam corporis, causis adæquatis, ut fiat necesse est, quæ utique a medico investigandæ sunt.

## §. VIII.

Sicuti sanguinis, & humorum continua progressio, a motu cordis, & fibrarum robore dependens, causa est vitæ, ita temperatus, liber & æquabilis sanguinis, & humorum progressus, proximam sanitatis causam constituit.

*Scholion.*

Per moderatum sanguinis circuitum eum intelligimus, qui nec nimis tardus, nec nimis celer, nec nimis vehemens, aut debilis est, qui optime ex pulsu cognoscitur. Motum vero æquabilem eum appellamus, quo sanguis eodem celeritatis gradu per vasæ fertur. Et liber est, qui ad omnes partes libere, & sine ullo impedimento devolvitur, neque in aliis partibus aetior, in aliis vero impeditior, & tardior est.

## §. IX.

Existente sanguinis motu per universi corporis partes moderato, æquabili & libero, animadvertisimus universi corporis functiones recte se habere. In cerebro viagent sensus, ingenii adeat alacritas, animus ad intelligentiam, & moderationem affectuum compositus, calor est moderatus, facies vivida, respiratio bona, membris inœli agilitas, appetitus integer, neque cibos alsumtus molestiam creat. Præterea alvus recte respondet, urina citrimum colorem refert, ac naturali consistentiæ gaudet, cutis, ob respirationem bene, & ordine succendentem, mollis, atque uda observatur, corporis habitus laudabilis, neque homo a celebrato coitu facile debilitatur, & denique etiam somnus, ac vigilia se moderate habent. Perspectis itaque insignibus beneficiis, quæ a convenienti sanguiinis, ac humorum motu in corpus humanum, ipsamque ejus in sanitatem redundant, rei ordo postulare videtur, ut genuinas causas inquiramus, quibus naturalis sanguinis circuitus sustentatur.

## §. X.

## §. X.

Fluida autem regi a solidis, & solida a fluidis, motumque solidorum, cordis delicet, & arteriarum, omnisque generis fibrarum, in earum successiva dilatatione, & constrictione consistere, supra satis demonstratum est. Exinde igitur haud in difficulti est perspicere, motum sanguinis ordinatum, qui sanitatis præses est, a moderato, & aquabili motu, & pulsu cordis, atque arteriarum, tonoque partium, nec nimis aucto, nec nimis remisso, dependere.

## §. XI.

Motus solidorum non a se ipso, sed ab alia causa, nimirum fluido tenuissimo nervorum, & influxu sanguinis arteriosi subtilissimi, proficiscitur.

*Scholion.*

Fluida hæc mira mobilitate instructa, cordis & arteriarum fibras ad motum impellunt, & solidi partibus debitum tonum facerant. Atque eam ob causam necessaria est, ut & sanguis, & quod ex eo generatur, fluidum nerveum, rite sit constitutum; hac enim ratione motus ordinati, qui vita, ac sanitati favent, optime perficiuntur.

## §. XII.

Ad naturalem sanguinis constitutionem, quæ solidorum motus sustentat, ac fluidorum pregressum juvat, certa quantitas, & conveniens temperies requiruntur.

## §. XIII.

Debita quantitas ea est, quæ nec copia excedit, nec deficit. Si enim vaorum alvei superfluis humoribus inundantur, succumbunt oneri; nec undas vitales per corpus rite circumferre possunt. Sub nimia autem humorum inopia, solidorum virtus hebetur, unde accedit, ut fluida sufficienti in quantitate ad emunctoria, & supremum corporis habitum provolvi nequeant.

## §. XIV.

Sanguis decente gaudet temperie, quando principia, quibus sanguis componitur, debita ac justa proportione inter se invicem combinata sunt.

*Scholion.*

In physiologicis satis evidet, ac stabili. Tom. I.

litum est, sanguinem ex partibus I.) a queis II.) oleosis inflammabilibus temperatis, & III.) terreis tenerioribus esse coalitum, ea tamen proportione, ut ad minimum tres aquæ partes ad unam partem solidi, duæ vero principii terrei subtilioris ad unam partem oleosi inflammabilis, referri debeant.

## §. XV.

Temperatus itaque, & optimæ indolis sanguis est, qui nec humido, nec solido abundat, qui nec nimia crassitie, nec tenuitate laborat, neque nimium olei, neque terra fovert, adeoque ad motus subeundos, nec nimis prouitus, nec prorsus iners est.

*Scholion.*

Veteres, qui cognitionem principiorum sanguinem componentium plane non callebant, sanguinis temperiem, quam sanitatis causam agnoscabant, in æquali, ac temperata quatuor humorum, & qualitatum mixtione querebant. Qua de re præclara sunt, quæ Hippocrates Libr. 3. de Natur. Hum. §. 5. & 6. tradit: Homo, inquiens, constat ex sicco, humido, calido, & frigido, hincque sanguinem, & piritam, & bilæ duplæ, flavam, & nigricantem habet, & sanus maxime est, ubi temperamentum inter se habuerit moderatum, tam facultate, quam copia, & ubi maxime fuerint permixta: ægrotat autem, horum si quid minus, aut amplius fuerit, aut separatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemporatum. Conſ. quoque locus de Prisc. Medic. §. 24. ubi hæc exstant: inest in homine, & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & alia infinita ornatigenas facultates habentia, copiamque, ac robur. Atque hæc quidem mixta, & inter se invicem contemporata, neque conspicua sunt, neque hominem laedunt. Ubi vero quid horum secretum fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem laedit.

## §. XVI.

Si sanguis bene temperatus, ac mixtus, inque convenienti quantitate constitutus, moderato, & libero motu per omnis generis yasa, ac tubulos fertur, atque in cir-

culum volvitur, tunc non modo universum corpus a corruptione vindicatur, sed & secretiones fluidi nervorum, succi nutritii, seminalis, lymphæ, item salivæ, recte sese habent, & sanguis, cæterique humores per omnia emunctoria ab omnis generis fôrdibus bene depurantur, neque minus omne superfluum, & inutile excernitur; præterea omnes actiones, tam animalia, quam corporis, partiumque robur, ac tonus, ingenii alacritas, & vigor, in optimo statu constituta sunt.

*Scholion.*

In physiologicis supra satis clare, & solidè deductum est, in sanguinis bene constituti motu, ac circulo temperato, materialiam, causam, & originem vitæ, sanitatis, & omnium actionum, quæ secundum naturam in corpore fiunt, positam esse. Quare etiam veteres, ipsaque scriptura sacra, non sine ratione, vitam, & animam in sanguine collocarunt. Igitur omnia ea, quæ bonum, & temperatum, quantitate minus excedentem, gignunt sanguinem, eumque in moderationi motu conservant, sanitati admodum conctua, & vitalibus motibus apta judicari debent.

*§. XVII.*

Sanguis etiam optime, tam ratione quantitatis, ac temperiei, quam motus constitutus, continuis mutationibus, propter intestinum calidum motum, qui ipsum consumit, inque excrements convertit, est expositus, quare opus est, ut in amissi locum semper nova materia boni sanguinis substituatur.

*§. XVIII.*

Certa & attenta observatione constat, in homine robusto, ac perfecte adulto, eandem fere quantitatem, ac mensuram earum rerum esse, quæ excernuntur, & quæ ingeruntur, sive excretiones debere esse æquales, ac proportionatas ingestio- nibus, si sanitate frui debet corpus.

*Scholion.*

Id liquidum, & clarum evadit experien- to, quo constat, hominem, ut per septem dies, vel quinquaginta libras alimentorum liquidorum, ac solidorum as- sumat, non tam per pondere, si lance exa-

minetur, crescere; hinc necessario sequitur, ut idem assumtorum pondus rursus e corpore secedere, & excerni debeat, quod si non accedit, certe morborum origines, ac semina ingenerantur, & sanitas peri- clitatur.

*§. XIX.*

Novam materiam sanguini, qui sons vitæ, omnisque roboris in partibus est, partim aer, partim etiam alimenta sub- ministrant, unde homo alimentis, & aeris usu destitutus, mox vigorem, & vi- tam amittit. Ergo ingestiones, & egestio- nes, ratione vitæ tuendæ, pari ambulant passu.

*§. XX.*

Quum itaque vita, & sanitas non diu salva, & illibata sine aere, & alimentis persistere possint, hæc vero mirum in modum varient, magisque, vel minus, san- guini bono ingenerando idonea sint, se- quitur, diuturnæ vitæ, ac sanitatis ratio- nem unice esse querendam, tam in aeris, quam alimentorum convenienti usu, qua- lis est, qui bonum sanguinem ingenerat, ejusque motum liberum, ac temperatum tuetur.

*§. XXI.*

Anima, tanquam præcipua hominis pars, magnam etiam potentiam habet motum partium corporis solidarum, ipsiusque sanguinis, & humorum, indeque dependentes secretiones, & excretiones, alterandi, adeoque œconomiam actionum naturalium turbandi; eam ob causam recte concluditur, in animæ quoque habitu, vitæ, sanitatis, morborum, ac mortis rationem esse positam.

*§. XXII.*

Sine motu, & labore, sine quiete etiam, & somno, ac vigilia, homo vitam degere non potest; hæc vero quum diversimode etiam, & sanguinis temperiem immutare possint, liquido constat, sanitatis, ac vitæ rationem in horum conve- nienti usu querendam esse.

*Scholion.*

Paret hinc clarissime, quantæ utilitatis ad tuendam vitam, ac sanitatem sit con- veniens earum rerum usus, quas res non naturales Galenus appellavit, & sunt ani- mi

mi conditio, aer, cibus & potus, excreta & retenta, motus & quies, somnus ac vigilia. Quicunque igitur vitam ac sanitatem diu salvam, & illibatam servare cupit, is ad has res, earumque debitum usum, pro conservando sanguinis bene constituti motu, secundum cuiusvis corporis, & partium ejus constitutionem, & structuram, probe attendere, ac respicere debet.

## C A P U T II.

*De animæ conditione motus vitales,  
vel conservante, vel  
destruente.*

## §. I.

**M**Agna inest potentia animæ, pro diversis impressionibus, proxime & directe, motus vitales, ac naturales afficiendi, & alterandi.

*Scholion.*

Quia anima est pars hominis cum corpore intime unita, eaque variarum impressionum, ac motuum capax est, magnamque, & celerem potentiam possidet, sannissimi etiam hominis sanguinem, & motus alterandi, liquido apparet, indagandum esse eum animæ statum, qui ad motuum vitalium conservationem multum faciat.

## §. II.

Firma experientia edocemur, quemlibet animi vehementiorem affectum pulsum, ac respirationem mutare, perspirationem, omnisque generis excretiones perturbare, & appetitum, ipsumque vi-  
rium robur dejicere.

## §. III.

Historiæ medicæ testes sunt locupletes, hominem, etiam robustum, & perfecta sanitate fruentem, vel solo improviso, ac vehementi terrore, omnibus viribus ita prorsus privari, ut nec manum, nec pedem, movere possit. Quin etiam haud raro accidit, ut homo repentino, & inopinato terrore percussus, in summum vitæ distremen adducatur, vitamque cum morte commutare necesse habeat.

## §. IV.

Sub terrore partium extremitates coarctatae refrigerantur, & contremiscunt, facies foedo pallore discoloratur, cessant excretiones per alvum, & urinam, subsistunt exhalationes cutaneæ, inque molliori sexu lunare tributum suppressum. Cor autem inusitata concutitur palpitatione, & præcordia suffocativa propemodum anxietate strangulantur.

## §. V.

Frequenti constat observatione, ad concitatem animi ab iracundia factam commotionem, pulsum, ac respirationem fieri citatiorem, cor cum anxia luctari palpitatione, partes extremas tremere, ac mentem de statu suo deturbari, ita ut interdum brevem quasi furorem mentiatur.

## §. VI.

In diuturnum tempus productus animi mœror totius corporis vires frangit, tonum ac robur partium enervat, ipsiusque ventriculi, ac viscerum vigorem destruit, unde est, quod pertinacem animi angorem, vel nimiae, vel deficientes excretiones, excipiant.

## §. VII.

Omnis animi ardor effusumque desiderium, sive in rem venereum, sive in alias rerum, quæ obtineri haud possunt, possessionem feratur, miris modis corpus fatigat, ejusque vires obterit, atque extenuat.

## §. VIII.

Tam notum est, quam quod notissimum, quantum profundior, & abstrusis rebus infixa cogitatio corporis vires limare, ventriculi robur obtundere, somnumque turbare possit.

## §. IX.

Mens itaque traquilla, composita, & ab omnibus perversis desideriis, atque avertitionibus vacua, integrum corporis statum optime custodit, vitaque conservationi patrocinatur. Atque eam ob rationem unumque inque, cui sanitatis tutela curæ, cordique est, summa ope erit decet, ut laudatam hanc animi tranquillitatem consequatur.

## §. X.

Quæcumque igitur ita comparata sunt, ut mentem in statu pacato, & quadam quasi malacia ponant, ea pro viribus tenuis optime militant, & sanitati servandæ optatissimum præsidium ferunt.

## §. XI.

Veræ ac genuinæ virtutes, quarum in censu sunt in rebus adversis, & angustis patientia, animi moderatio, mens præsentibus contenta, intra se ipsam collecta, neque in varias diffusa agitationes, ut & veritatis inquisitio, quoniam ejusmodi sunt, ut mentis pariant tranquillitatem, eamque suavi voluptate perfundant, utique sanitari, ac vitæ longius proferenda velificantur.

*Scholion.*

Patet exinde, veræ pietatis, ac virtutum culturam, studiumque veritatis, omnibus ac singulis, qui his adminiculis utuntur, sanam & longiorem vitam promittere. Gravis author, *Plutarchus*, tradit, plures, corpore alioquin infirmo, & vacillante, philosophiæ præceptis, vitam sibi fecisse protractionem. Atque adeo præclaræ egisse videntur Platonicae sectæ addicti medici, quod maxime præceptis sanarent ægros, & difficillimos sic morbos jugularent.

## §. XII.

Mente tranquilla existente, nil quicquam turbarum in motibus vitalibus percipitur, omnesque, quæ ad sanitatem spestant, excretiones recte & ordine procedunt. Hinc bene meminit *Sanctorius sect. 2. aph. 49.* nihil magis liberam reddere perspirationem, quam animum quietum.

## §. XIII.

Maxime sanitatem juvat, esse animi hilaris, & ab affectibus vacui, eo tempore, quo cibos, vel somnus capitur. Digestio enim, & requies corporis ab omni affectu gravem patiuntur jacturam, quum tamen somnus, & alimentorum concoctio ea sint naturæ beneficia, quibus fucci, ac vires deperditæ restaurantur, & totius corporis, ac animi vigor acuitur.

## §. XIV.

Quomodo omnes animi commotiones tantæ corporis integratæ affligendi potentia polleant, utique pravus earum effectus omni studio, & circumspectione avertendus est.

## §. XV.

Quemadmodum a gravi terrore externæ partes spasmœ contractæ, sanguinem, & humores ab ambitu corporis ad interiora repellunt, omnesque excretiones cohident: hinc nihil magis periculofum est, quam eo tempore frigori corpus exponere, vel frigidum potum ingurgitare. Male etiam & sinistro successu emetica, purgantia, vel opiate exhibentur, quippe quæ motum humorum, qui extrorsum tendere debet, sufflaminant, ac retrahunt, vires adhuc magis infringunt, & spasmodicas externarum partium constrictiones adaugent.

*Scholion.*

Nihil perniciosius est, quam emetica, purgantia, aut aliud fortius medicamentum præscribere, si quando graviori animi perturbatione œconomia motuum vitalium, & secretiorum in transversum acta fuerit. Ipsi perspectum habemus, imprudenti ac temeraria ejusmodi medicatione, insanabiles lassiones generi nervoso fuisse inductas. Præstat potius tali in casu motum sanguinis ad ambitum corporis allucere, ejusque spirituascentiam blande accendere, ac vires dejectas refocillare. Quare commendanda sunt animi, & corporis quies, a cibo ac potu abstinentia, modicus vinigerosi usus, cum lapidibus cancerum, & pulvere quodam bezoardico, aqua liliorum convallium cum vino, balsamum nostrum vitæ cum liquore nostro minerali, mixtura simplex, & præcipue infusa calida ex herba melisæ, veronicae, salviæ parata; quæ omnia hoc in affectu operam locant præstantissimam.

## §. XVI.

In iracundia, ubi sanguis, & humores torrentis instar per vasa feruntur, nihil ex alimentorum, vel remediorum classe quadrat, quod fortiter commovet, aut humores ad ebullitionem jam satis assurgentis magis accendere potest. Hinc ab omni vehen-

vehementiore purgatione, vomitione, sudoris profectione, medicina calidiori, vino & spirituosis abstinentia est. Sed potius hic locum inveniunt omnia, quæ sedativa, & antispasmodica virtute splendent: quo pertinent animi, & corporis quies, pulvis præcipitans, & nitrosus, aquæ antiepileptica ex floribus concinnatæ, clyster emolliens, & laxans, rhabarbarum cum nitro, & lapidibus cancerorum.

*Scholion.*

Vidimus multos ineffabilem fecisse sanitatis jacturam, qui gravi iracundia incensi, infusum herbe thee copiose, & calidissimo potarunt; id quod etiam a balneo calidiori administrato observavimus. Horum enim perversus usus dolores artuum, ac tremores cum lenta febre, viriumque languore post se reliquit.

§. XVII.

Quoniā contumax angor animi omnem naturæ vim hebetat, sensimque consumit, ac solidis partibus, in primis autem ventriculo, & intestinis, tonum suffatur, multumque roboris detrahit, idcirco prater moralia, & salutaria rationis præcepta, ea in usum vocare decet, quæ roborandi virtute instructa sunt. Quo in numero habentur vinum generosum, ambrata, balsamica, præsertim balsamum nostrum liquidum, sal volatile cinnamomifatum, aer serenus, ac purus, somnus ac moderata corporis exercitatio. Quæ omnia ejusmodi sunt indolis, ut moribundam quasi naturæ vim excitant, eamque suaviter reficiant.

§. XVIII.

Quibus affectionum indulgentia quasi in consuetudinem abiit, si plerumque vitium aliquod, ac morbosam diathesin in visceribus, aut partibus fluidis alunt, unde opera adhibenda est, ut opportuna vitæ ratione, & convenienti medicina, gliscentes hi morbi, & intra viscera lente serpentes, e corpore exterminentur.

*Scholion.*

Qui phthisi laborant, ad impatientiam, & iracundiam valde proni, ac proclives sunt. Quibus hypochondria male habent, in supervacaneum timorem, ac tristitiam propendunt, varia sibi somnia, & perver-

sas fingunt impressiones, rebus suis diffidunt, desponent animum, ac tandem abruptis quasi omnibus vitæ blandimentis, ad ultimam desperationem adiunguntur. Quo in casu moderatissima, & strictis legibus contemperata vitæ ratio, omni medicamentorum apparatu palmarum præripit, cuius usus etiam per omnia multum valet, ubi morbosæ mentis suspicio adeat, & affectuum intemperantia conspicitur.

### C A P U T III.

De aeris ad sanitatem usū.

§. I.

**F**luidum aereo-æthereum, mobilissimum, elasticæ, expansivæ indolis, cum esculentis, ac potulentis intra corpus illatum, intimum cum succis vitalibus, aero nereo init connubium, motusque, ac roboris solidorum præcipua causa est. Deinde etiam exterius corpori incumbens aer, internum succorum elaterem gravitate sua moderatur, & respirationis ope intra pulmones receptus, sanguinis pressiōnem ex uno ventriculo in alterum egregie adjuvat, quare ejus usus ad motus vitales sustentandos est longe amplissimus.

*Scholion.*

Quamvis aer respiratione pulmones subiens cum sanguine in iis contento non misceatur, quod in physiologicis solide deduximus; in omnibus tamen corporis nostri succis, in sanguine, lympha, saliva, & bile, cunctisque excrementiis humoribus, præsens est, & alimentorum vehiculo, quorum pori, & intervalla spiris aeris imprægnata sunt, se in corpus insinuat. Imprimis vero aeris in sanguine præsentia curioso experimento, ope antiz pneumatica instituto, ad oculum patet. Quam ob causam multum interest medico intelligere, quali sit aeris conditio, quem homines hauriunt, quippe qui semper multas alienas partes sibi admixtas habet, quæ sanitati, motibusque vitalibus nostram præsentem inferre possunt.

Tom. I.

K 3 §. II.

## §. II.

Aer, cuius pabulo homines fruuntur, non unus, ejusdemque est indolis, sed ratione gravitatis, elasticitatis, caloris, ac frigoris, insigniter differt. Diversa quoque ejus conditio est contentorum respectu, quæ partim exhalationes humidæ, partim impuritates saline causticæ sulphureæ, fermentescibiles, imo putredinosaæ sunt.

*Scholion.*

Res extra omne dubium posita est, morbos, qui eodem tempore multos adoruntur, & vel benigniori, vel maligniori genio incedunt, non aliunde, quam ex adulterata aeris constitutione, suam trahere originem. Semina enim morboſa, quæ intra aerem delitescunt, valde activo instructa principio, corpus subeunt, & graves ſæpe turbas, ac violentas commotiones excitant; cuius rei luculentum testimonium edunt miasmata, quæ contagio ferunt, ac fumi carbonum accensorum, aliarumque rerum odoratarum, quibus magna nocendi, & commovendi vis inest. Atque eam ob rationem medicus exacte ſciat, oportet, qualis aeris status sanitati faveat, vel adverſetur.

## §. III.

Experientia magistra quotidie docemur, aerem purum, serenum, ac temperatum sanitati, ac vita quam maxime effe accommodatum.

*Scholion.*

Per aerem purum eum intelligimus, qui partibus heterogeneis vacat, & a variis adventitiis exhalationibus probe defœcatus est; præterea, qui de subtilissimo, ac mobilissimo aetheris fluido, quod primario ejus texturam ingreditur, inultum participat. Quo major enim pars ſubstantiæ aethereæ aeris associata eft, eo liquidiori ſerenitate fulget, motuque vivido intellino graves, ac peregrinas exhalationes a confortio ſuo arcit. Aer vero temperatus eft, in quo nec calor, nec frigus, neque humiditas, modum excedunt, ſed qui blanda, ac moderata temperie gaudet.

## §. IV.

Purus, serenus, ac temperatus aer solidorum motum contractorum, & expansivum fartum, ac tectum ſervat, fibrisque

debitum robur, & convenientem tonum ſcenerat. Neque enim poros, ac tenuifima vasa nimis conſtringit, vel juſto plus laxat, neque partium fluidarum compaginem ſolvit, vel attenuat, neque etiam ſpiffum lentorem inducit, ſed potius decentem earum mixturam, ac temperiem egregie tuerit.

*Scholion.*

Quanta enim caloris, ac frigoris in corpora ſolidâ & que, ac fluida potetas ſit, mechanica, physica, & chymica experimenta ſatis, ſuperque teſtatum faciunt.

## §. V.

Quum purus, ac temperatus aeris habitus sanitati ſit amicifimus, cauſa in propatulo eft, quare loca montosa, editiora, præcipue orientalibus ventis exposita, & habitationes quoque ruficanæ, corporis ſalubritati magnas ſuppetias ferant. Loca enim altiora aerem tenuorem, magisque ſincerum, & intaminatum alunt, quoniam ibi crebrior ventorum perſluſus omnium exhalationum impurorum colluviem diffundit, ac diſſipat.

## §. VI.

Tempus vernalē, quo temperatior ſolis ætus aerem calefacit, ſalubritate omnibus reliquo anni partibus antecellit.

*Scholion.*

Circa equinoctium vernalē animantibus ſummum robur conſtare obſervamus. Hoc enim temporis tracuſ pisces, & reliqua omnis ſere generis animantia ſuam produnt fecunditatem, ſemina & ova deponunt, & pullos excludunt, liquidissimo ingenit, quo tunc temporis pollent, vigoris indicio.

## §. VII.

Neque minus Majus, ac September, ceteros menses ſalubritate ſuperant, quoniam præ aliis singulari temperie dotati ſunt.

*Scholion.*

Obvia jam ratio eft, quare tardarum paſſionum curationes his mensibus optatissimo cum ſuccetu iſtituantur; & quare præſervationis cauſa fuſceptæ curationes, adhibito vena ſectioni, laxantium, aquarum medicatarum, acidularum, ac thermarum uſu, horum mensium favore felicilime

sime eveniant. Ratio etiam in aperto est, cur salivationes, & curæ mercuriales, in lue venerea affectis, intra hoc temporis intervallum secundiorem edant operationem, & quare mutationes cœli, inque aliena loca sanitatis ergo destinatae peregrinationes, id temporis cum insigni fructu suscipiantur.

## §. VIII.

Aer temperate frigidus, justo calidiori auteponendus est, quia corporis vires custodit, & intus quasi conclusas detinet.

*Scholion.*

Praestat itaque aeris subfrigido, quam nimis calido assuefieri. Populi septentrionales, aeri frigido assueti, plus virium, ac roboris possident, & corpore sunt longe habitioni, quam qui regiones sub præcalida cœli inclinatione sitas incolunt. Nimius enim, qualis his regionibus familiaris est, solis fervor, corporis succos exurit, & supra modum expandit, auctaque præter natum transpiratione, ingentem viribus facit injuriam. Pervulgatus autem, ac pessimi moris error est, cui obnoxiae sunt pleraque matres, vel etiam mulierculæ, quibus infantum cura commissa est; quando nimis tenellos in continuo calore servant, & omni ex parte circumspiciunt, ne levi aura, vel aere frigidiusculo, afflentur. Unde accedit, ut infantes hac ratione mirum in modum debilitati, quando sub cœlo libero versantur, vel nitissimi frigori accelerum, graviter, & interdum non sine laxatione, ferant. Laude hinc digna est veterum Germanorum consuetudo, quibus soleone erat, recens natos infantes aquæ frigidæ, vel ipsis fluminibus immergere, non alium in finem, nisi ut corpora tenellorum; primis statim sub annis frigori assueta, constantius robur induerent.

## §. IX.

Disponendum est, ut eo in primis tempore, quo cibos, vel somnum capimus, aere puro, ac temperato fruamur.

*Scholion.*

Nimirum cum cibis, ac porulentis aerem in ventriculum, & interiores corporis recessus, ipsumque in sanguinem introrsum. In somno autem, sub quo sanguinis cursus per pulmones lentiore gradu fertur,

eum aerem haurire praestat, qui elastica, & expansiva qualitate imbutus est, ut tenuissimas pulmonum vesiculos, perque eas retiformi contextu serpentes venarum ramulos, leniter coarctet, & constringat, ne sanguis, ac humores diutius, quam par est, ibi commorantes, pulmonum obstruktionibus, asthamati, vel etiam polyporum generationi, velificentur. Nihil itaque perniciosius est, quam cubicula, vel alia quævis loca incolere, quæ nimis depressa, & terra vicina, vel intra ejus viscera conclusa jacent, & quæ variis aquarum stagnationibus opportuna sunt. Neque minus eorum sanitas periclitatur, qui hyemali tempore sub aere præter modum excalefacto, vel furnorum exspirationibus, & fumis carbonum accensorum replete, somno indulgent. Res vero periculi plenissima est, in eo conclavi somno corpus committere, cujus parietes calce viva non ita pridem incrustati, vel luto recenter obducti sunt. Gravissima enim inde passiones, ut asthmata, & anginosæ suffocationes, oriuntur. Vapidus denique, & corruptio ni proximus aer scorbuto, & cachexiarum quantum lenocinatur.

## §. X.

Eorum sanitas in præcipitio versatur, qui intensiori hyeme in conclavi degunt, vel etiam somno conquiescent, ubi carbones accensi sunt.

*Scholion.*

Dici vix potest, quam periculose accensorum carbonum fumus vitæ, ac sanitati insidietur. Testem citamus experientiam, quæ pluribus historiis medicis subinxæ, penitus confirmat, multos, aliæ integre valentes, a solo accensorum carbonum fumo, intra conclave minus spatiolum concluso, esse jugulatos, vel affectibus apoplepticis, syncopticis, soporosis, aut epilepticis pathematis, correptos. Qua de re legi potest judicium nostrum de noxa carbonum accensorum. Neque aliud quicquam, nisi nimis carbonum fossilium usus, in causa est, quare peripneumonia, asthma siccum & phthisis, morbi & Leodii, & Londini, endemii sint. Consulatur etiam Ramazzini Tract. de morbis artificum, ubi haec res diffusus per tractata reperitur.

## §. XI.

Quemadmodum temperatus aer sanitati amicissimus est, ita intemperatus, & excessiva quadam qualitate peccans, inexplicabiles corporis integritati infidias struit.

## §. XII.

Aer nimio calore fervens, qualis est circa solstitium aestivum, in sole meridiano, in locis calidioribus, ac ventis, maxime australi, & orientali, regnantibus, humores corporis immodece attenuat, ac raro facit, dumque pororum hiatus latiores reddit, inconspicuas distillationes nimis auget. Atque hac ratione sanguinis particulas subtiliores, qua virium effectrices, ac motuum opifices sunt, plus justo eliminat, gelatinosas vero, quae in corporis alimen- tum cedunt, resolvit, dissipat, adeoque magnam inducit debilitatem. Quare talis aeris status, quacunque fieri potest ratione, fugiendus est.

*Scholion.*

Quamvis aeris spiræ corporis nostri poros non subeant, neque intimam cum sanguine ineant societatem; materia tamen celestis, ætherea, purissima, in celerrimo motu constituta, causa caloris est, omnes quamlibet durissimi corporis meatus, & vitra, ut in thermometris videamus, penetrat, multoque magis poros corporis animalis transit, ubi liquida expandit, inque celerrimum motum intellatum rapit, a qua humidæ partes absolu- bentur, oleosæ, ac terreæ magis acres salinae, & volatiles evadunt. Unde in pro- cinctu est ratio, quare graviores morbi chronicæ, & passiones hypochondriacis, & arthriticis familiares, per totum aestatis decursum fileant, & febres quartanæ pertinacioris ingenii sponte ab ægris rece- dant, calidiores vero regiones non adeo multum scorbutico malo infestentur.

## §. XIII.

Sub immodico igitur calore, somnus & quietus corporis, abstinentia a potu spirituoso, qui humores adhuc magis exagitat, moderatio in labore, & in omnibus iis, quæ aestum, & ebullitionem induunt, saluberrimo consilio imperantur. Præterea etiam potionis moderate frigidæ, & falsæ, omniaque humectantia succis, ca-

lore adustis egregium solamen afferunt.

## §. XIV.

Frigus intensus, quale rigidissima hys- me a ventis orientalibus, & occidentalibus conflatur, & circa solstitium vernale, locisque polo ærtico adjacentibus familia- re est, humores spissat, condensat, poros, & capita tubularum constringit, & humores ab ambitu corporis retro ad interiore orget, unde fieri haud aliter potest, quam ut sanitatem multis, iisque gravioribus mactet incommodis.

*Scholion.*

Aer frigidus iis præcipue corporis parti- bus infestus est, quæ parciori sanguinis affluxu perluntur, adeoque sic dictis frigi- dis, nervosis, tendineis, abdomini, in- que eo contentis intestinis, ut & capiti, ac cerebro, maxime omnium vero pedibus, eorumque plantis, inimicus est; quoniam hæ partes valde tendinosæ, ac nerveæ sunt, & sanguis per eas, a corde admodum remotas, tardiori cursu provol- vitur.

## §. XV.

Sub acri, ac vehementi frigore hoc im- primis agendum est, ut habitus corporis contra frigoris saevitiam integumentis, & loculento foco circumspete muniatur, ut infusa, & juscula calidiora, eaque omnia, quæ moderatum sanguinis calorem inspi- rant, in frequenter usum adhibeantur.

## §. XVI.

Aer superflua exundans humiditate cor- pori universo languorem inducit, humores accumular, fibras motrices nimis laxat, & resolvit, adeoque omnibus, quæ pro- sanitate sunt, excretionibus, obicem ponit, ex quo summa ejus insalubritas nemini non esse potest perspicua.

## §. XVII.

Sub diurna aeris intemperie præhumida, qualis a ventis occidentalibus, & cœlo immitti, ac pluvioso producitur, mixi- mine consultum est, medicamentis spirituo- sis, videlicet vino, balsamo liquido, & sale volatili oleoso, vel motu corporis, languidiorem sanguinis circuitum excitare, cutaneas exhalationes adjuvare, & a ni- mia ciborum, præsertim intemperatorum, copia, abstinere.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Aer impuris, putridis, contagiosis, ac metallicis exhalationibus refertus, variis quoque modis corporis labefactat integratem. Convenit ergo tunc temporis absinere a jejunio, quoniam in jejuniis vehementior est inspiratio, & aer plenius ad interiora admittitur. Præstat vero panem butyro illitum, vel infusum calidum Thee, Coffee &c. matutinis horis assumere.

## §. XIX.

Tandem vero nulla res sanitati majus detrimentum afferit, quam subita aeris, præsertim calidi in frigidum, & frigidii in calidum, mutatio.

## §. XX.

Autumnus, præfertim mensis October, ac November, ac veris principium, non aliam ob causam tota conferta morborum agmina producunt, quam ob repentinam, & frequentissimam cœli, ac tempestatum mutationem.

*Scholion.*

Aeris mutationes nostris temporibus vix exactius investigantur, quam thermometris, barometris, & hygrometris, cum cura, & ad amissum elaboratis. Siquidem barometria aeris gravitatem, ac levitatem, thermometra caloris, ac frigoris, hygrometra diversos humiditatis, & siccitatis gradus, haud fallaci indicio nobis manifestant. Atque ideo conveniens eorum usus omnibus, ac singulis, qui tuendæ sanitati invigilant, maxime vero medicis, commendandus est. Nullo autem anni tempore tantas cœli, & aeris mutationes, quam autumno, horum instrumentorum ope animadvertisimus.

## §. XXI.

Subita aeris calidi in frigidum, & frigidii in calidum mutatio, in solidarum partium tonum mirifice iugatio est, & precipue halitusas cutis excretiones remoratur, unde catarri, arthritides, rheumatismi, hemorrhagiae, & humorum corruptiones, largo proventu pullulant.

## §. XXII.

Quoniam omnis subita aeris in aliud habitum transformatio, cum insigni sanitatis nostræ periculo conjuncta est, omni ratione dispiciendum est, ut, ubi corpus

nimio solis æstu sub æstivo tempore incaluit, nocturnum, & vespertinum frigus cane, & angue pejus fugiamus.

## §. XXIII.

Aer frigido humidus, & variis vaporibus infectus, in poros corporis nimio calore expansos se altius insinuat, & imprimis in partes nervosas vim suam hostilem exercit.

*Scholion.*

Pessime profecto sanitati consulunt, qui die ferventissimo existente, loca frigida, & humida temere subeunt, vel noctu ibi obambulant, aut sub aperto aere somno merguntur. Nullibi autem locorum homines magis contra diæticam legem hanc impingunt, quam in Italia, ubi plures hoc sanitatis præceptum floccipendentes, gravissimas corporis noxas sibi contrahunt.

## §. XXIV.

Deinde sanitatem in gravissimorum morborum aleam committunt, qui hemicalli tempore ex loco frigido in valde callefactum conclave se recipiunt, quippe quo errore catarrholas, ac pertinaces capiti suo accersunt defluxiones. Præstat itaque, interposito quodam temporis intervallo, frigus cum calore commutare.

## §. XXV.

Corporis integratatem in summum discrimen adducunt, qui membra acriori frigore tacta, & quasi ambusta, excessivo calori committunt.

*Scholion.*

Tristibus docemur exemplis, membra ab inclemencia frigoris lafa, accedentem calido aere, quadam quasi corripideratione, ac prorsus emori, non secus, ac vegetabilia, quæ hac ratione celeri-  
mam putredinem subeunt.

## §. XXVI.

Sub statu, itaque aeris inæquali, & crebra tempestatum mutatione, nihil magis sanitati patrocinatur, quam adhibita in cibo, ac potu temperantia. Si enim unquam, certe tunc temporis, nimia eborum repletio, atque ebrietas sumnum corpori intentant periculum. Præterea so-  
nitendum est, ut sol meridianus, matutinum, ac vespertinum frigus, & flagran-  
tium

ium aquarum exhalationes, circa equinoctia imprimis, quam fieri potest diligentissime evitentur.

## C A P U T IV.

De salubritate, & insalubritate  
esculentorum.

## §. I.

**C**orporis humani integritas convenienter in sanguinis ac humorum copia, & qualitate, ceu fundamento superstructa est; unde facile apparet, omnia ea, quae jutam humorum temperiem & quantitatem tueruntur, sanitati praesidium ferre, quae vero his adversantur, insalubria habenda esse.

## Scholion.

Sanguis enim temperatus ac decenti gaudens quantitate, commodissime in orbem circumactus, & ab omnibus alienis particulis bene depuratus, nutriendis partibus ac viribus fovendis optime inservit, verumque vita thesaurum constituit.

## §. II.

Sanguis temperatus & benignissima in-dole dotatus, motuque, qua progressivo, qua intestino, quiper integrum vitæ curriculum perdurat, non modo continenter consumitur, sed & intemperatam indolem induit, inque impuras & excrementarias sordes degenerat.

## Scholion.

Adstipulatur experientia, eorum sanguinem, qui diurnam inediām perpepsi sunt, in excrementsa salsa ac biliosa, quæ per alvum, urinam, & sudorem ejiciuntur, converti, imo gelatinosum suum ac dulcem habitum prorsus deponere, unde accedit, ut humorum massa nimis fluxilis & resoluta, partium nutritioni inepta evadat. Quæ res longe liquidius apparet in febribus continuais & hectica, quorum morborum indoles ita comparata est, ut brevi etiam tempore praesentes in corpore succos consumant, & temperatissimos humores in effeta, salsa, ac biliosa excrementsa transmutent. Præ-

rea etiam labor ac corporis exercitatio, quoniam sanguinis motum & intestinum, & progressivum auctiorem reddunt, exundanti humorum quantitat multum detrahunt, id quod plethorici non sine insigni sanitatis fructu experiuntur.

## §. III.

Quoniam sanguis jugi motu, qui vita auctor est, continuo consumitur, inque inertem & excrementiam massā fatiscit, quæ solidis partibus nutriendis, & subtilissimo fluido, quod corpori sensum ac motum præstat, reparando plene inidonea est, penitissime exinde conficitur, si vita ac sanitas perficere debeant, temperatos hos motus sine ulla intermissione esse instaurandos, & novos subinde succos in eorum locum, qui per excretiones e corpore eliminantur, substituendos.

## Scholion.

Obvia igitur est ratio, quare homines perpetua ingestionē, & egestione opus habent. Sanitas enim diu integra esse hand potest, nisi egestione deperditorum humorum jactura aliorum ingestionē refaciatur.

## §. IV.

Tam alimenta, quam potulenta, amissos humores restituunt, si convenienter temperie gaudent. Adeoque in hunc censem omnia ea referri debent, quæ convenienter cum sanguine naturam & mixtio-nem habent.

## §. V.

Sanguis & humores benigni, qui nutritioni inserviunt, temperati sunt & gelatinæ in star ex partibus terreis tenerioribus, aqueis & oleosis mobilioribus, invicem exacte mixtis, constant. Hinc omnia alimenta, quæ succum temperatum gelatinosum in sinu suo recondunt, generando sanguini maxime accommodata sunt.

## §. VI.

Carnes juniorum animalium, eorumque succi & juseula, praesertim bovinæ, vitulinæ ac vervecinæ, copiosam gelatinam fovent, & hanc ob causam inter ea alimenta, quæ sanguinem celerrime ingenerant, primum locum sibi vindicant. Omne gallinarum & columbarum genus, cum puluis suis, nutritioni quoque est accom-

commodatissimum, quia gelatinam subtiliorem, licet parciorem, præbent, quam carnes.

*Scholion.*

Notatu digna res est, quod munda animalia, quibus in sacrificiis olim teste Mose Israelitæ fuerunt usi, sint maxime illa, quæ salubritate & bona nutritione præceteris se commendant, & succum gelatinosum nutritium præbent.

§. VII.

Jescula, ex gelatinosis carnibus pro viribus roborandis parata, non sine ratione iis exhibentur, qui per largas haemorrhagias ac febres nimis æstuosas ingenitem sanguinis jaeturam fecerunt. Homines ac populi, qui ejusmodi gelatinosis alimentis fruantur, quos inter Galli classem ducunt, & largiores, & crebriores sanguinis missiones melius ferre possunt, quam illi, quorum palatum ejusmodi cibis non adeo multum assuetum est.

§. VIII.

Chylus proximam sanguinis materiam constituit, & emulsionem quasi naturalem refert, quæ ex partibus oleosis temperatis, insipidis, aqueis & mucilaginosis composita est. Quare alimenta, quorum mixtionem partes chyli æmulæ ingrediuntur, nutrientis partibus, lymphæque ac sanguini ingenerando, per quam idonea sunt.

§. IX.

Lac, quod nihil aliud est, quam chylus, omnibus aliis, respectu nutritionis, antecellit, & universale alimentum constituit.

*Scholion.*

Atque eam ob rationem lac non modo infantibus, sed aliis etiam perfectioribus animalibus, primum alimentum suppeditat, ut corpora eorum citius adolescent, & celeriter robur ac maturitatem consequantur. Cibus enim solidior & compactioris naturæ, qui ventriculo negotium facessit, tenellis corporibus minus quadrat, quoniam ventriculus ac intestina non tanto robore instructa sunt, quod ad solidorum ciborum & solutionem, & expulsionem, necessario requiritur. Exinde autem nemini non perspicuum evadit, quare nonnulli

li populorum, in primis autem Helveti, qui lac unice in deliciis ejusque usum frequentissimum habent, in tantam excrescent corporis proceritatem, ut vix ultiam Europæorum gentem dignitate corporis habeant superiorem. *Plinius, Tacitus, Justinus, Cæsar, Salustius* memorant, solo lacte multos diu vixisse, & *Galenus lib. 5. de Sanit. tuend. cap. 7.* mentionem facit viri, qui ultra centum annos vixit solo lacte nutritus. In Hollandia & locis septentrionalibus, in Frisia quoque, multi solo potu lactis loco cerevisæ contenti sunt. Et *Ovidius lib. 4. Fastor.* scribit: *Lacte mero veteres usi memorantur & herbis, sponte sua si quas terra ferebat.*

§. X.

Omnia semina temperata, quæ succo lactiformi turgent, ad nutrientium classem referri debent.

*Scholion.*

Hinc sua luce radiat ratio, quare omnis generis frumenta, & semina, ut hordeum, triticum, avena, secale, fabæ, pîsa, amygdalæ, castaneæ, nuces pineæ, pistaciæ, oryza, amylum, frumentum Saracenicum, frumentum Turicum, animantibus alendis quam maxime sint opportuna, & quare farinæ ex frumento paratae inque panem coctæ, inter alimenta principem locum obtineant. Et hinc nemo potest esse absconditum, cur homo solo pane, & aqua vitam tolerare possit.

§. XI.

Panis inter reliqua alimenta principem locum tenet, nec facile eo sine sanitatis detimento carere possumus. Ejus usus omni tempore, atati omni ac temperamento accommodatus est, ideoque recte universale alimentum vocari potest, neque carnes & alia, sine pane, facile assumi possunt, quippe quæ sibi relicta nauseam creant.

*Scholion.*

Panis textura cum sanguinis & succi nutritii indole insignem alit conformitatem, siquidem partes temperatas oleolas & mucilaginas, sal etiam subtile acidum sibi admixtum habet, quod ventriculo valde amicuum est, vimque succi fermentescibilis

lis ac salivalis solventem acuit atque exal-tat. Quemadmodum autem non unum i-demque frumenti genus est, ex quo panis conficitur, ita aliis alii salubritate ante-cellit. Optimus & valentissimi alimenti panis ex farina secalis sicca, non adeo can-dida, sed cui adhuc tenuiores fursures ad-mixti sunt, cum fermento paratur. Telle enim analysi chymica, nigricans, gros-sior panis, plus olei, quam candidus ac depuratus, per distillationem elargitur, gratiorem quoque odorem spargit, longe-que magis vires instaurat. Vid. *Programma nostrum de Pane grossiori Westphalico*, Germ. *Pompernic Kel.* Qui vero ex hordeo, avena, frumento Turcico, oryza, vel etiam ex glandibus aut castaneis paratur, oneri est ventriculo, nec tanta vires repa-randi facultate gaudet.

## §. XII.

Ova, quoniam delibatissimum gelatinosè ac pellucidæ lymphæ florem continent, quæ proximam nutritionis materiam con-slituit, celerrimam partibus alimoniam præstant.

## Scholion.

Ova celerrime nutriunt, si mollia ac recentia fuerint, juxta scholam Salernita-nam: *Si sumas ovm, molle sit atque no-zum.* Vitellus plures unctuosas, pingues & sulphureas partes foret, albumen vero hamidas habet ac mucilaginosas, seroque sanguinis conformes, adeoque & ullus ci-bus, hic certe universalis est, & liqua-rem imprimis seminalem auget. Convenit autem maxime, ubi corpus largiori san-guinis profusione, vel febre consumptum, celerrorem nutritionem desiderat; quare et iam *Talmud* iis, quibus sanguis e vena missus est, ova lorbilia commendat. Præ-cipue tamen sensibus conducunt, qui bono nutrimento, & quod facile a ventriculo subigi potest, indigent. Ex adverso eo-rum usum in illis improbamus, qui pri-mari regionem bile, vel acidorum humo-rum colluvie repletam habent; eo quod corpora impura quo magis nutriversis, eo magis læseris. Scendum vero, quod re-centia exinde cognoscantur, si lumini op-posita pelluceant, & forti igne cocta, la-cteum adhuc liquorem custodian.

## §. XIII.

Caseus & butyrum universale & præ-stantissimum alimentum constituunt.

## Scholion.

Quia lac in butyrum & caseum resolvi-tur, illudque ejus oleosas, hic vero mu-cilaginosas ac terrestres partes continet, facile appetit, hæc duo, præsertim pane, & aqua accedentibus, præstantissimum, & universale præbere nutrimentum, om-niumque tempori, vitæ generi ac tem-pe-ramento consentaneum. Quo vero re-centius est butyrum, eo gratius est, magis que sanitati conducit. Diuturniori vero tempore fœdum & injucundum rancorem contrahit. Nimius ejus usus, fibras ven-triculi relaxando, ejus tonum labefactat, & nauseam excitat. Caseus butyro adjun-tus etiam valide nutrit, non tamen ni-mis recens, nec nimis vetus esse debet. Il-le enim ventriculum onerat, & alvum fa-cile obstruit; hic vero acri sapore, & fœ-tido odore imbutus, acrimoniam & im-puritatem humorum augere solet.

## §. XIV.

Quemadmodum sanguis & succus nutri-tius omnesque corporis partes ex tribus ele-mentis sunt coarctæ, nimirum 1.] Sulphu-reo, oleoso, & inflammabili, 2.] Terreo alcalino subtiliori, fixiori tamen, 3.] aqueo; ita alimentorum genera & faculta-tes ad tres etiam has classes commodissime referri possunt.

## Scholion.

Hæc triplicis generis alimenta, probe inter se mixta, & sociata, demum suc-cum nutriendo corpori idoneum consi-stant.

## §. XV.

Sulphuream partem maxime corpori largiuntur animalia eorumque carnes, præsertim assæ; ubi tamen notari mere-tur, quod animalia fera ac sylvestria, do-mesticis ac ciciribus, hoc respectu ante-cellant.

## §. XVI.

Animantium carnes plus olei subtilis fo-vere, quam vegetabilia, vel exinde clau-rum ac perspicuum evadit, quoniam tem-pore æstivo celerrimam subeunt pu-tredinem, & ingentem foetorem spargunt, quod

quod in vegetabilibus haudquaquam observatur.

*Scholion.*

Vegetabilia in mixtionem suam admittunt acidum, adeoque eorum oleum magis est temperatum, herbis calidioribus exceptis. Animalia vero a mixtionis suæ confortio omne acidum proscribunt, omnesque eorum partes distillationis ope oleum subtile ac sal volatile fundunt. Hoc autem oleum intestinum calidum & fermentatum sanguinis motum præcipue excitat, & penetrantissimi fœtoris originem præbet.

*§. XVII.*

Carnes affæ, ex animantibus feris ac volucribus desumptæ, sanguini majorem levioris sulphureæ substantiæ copiam, præ carnibus elixis & a domesticis animantibus petitis, elargiuntur.

*Scholion.*

Caro ferorum animalium & volucrum procul omni dubio levior, subtilior, magisque oleosa est, parciori vero mucosæ & gelatinosæ materiæ quantitate gaudet, eam in primis obrationem, quia animalia sylvestria vehementiori motu corpora exercent, vitamque sub cœlo libero ac puriori degant, & cibo sicciore nutriuntur. Accedit, quod ipsa assatione multum humiditatis evaporet, unde oleosum principium ex admixtarum partium vinculis evolutum & mediante igne exaltatum, sui juris fit, & præ reliquis eminet partibus.

*§. XVIII.*

Alimentis, quæ humidam partem sanguini scenerant, ex animantibus pisces, & ex vegetabilibus olera ac temperatæ radices, neque minus fructus quidam ex horæis, accenserit debent.

*§. XIX.*

Pisces distillationi subiecti multum phlegmatis, parum olei, pauxillum vero salis volatilis, præbent.

*Scholion.*

Quoniam pisces saltem de exiguo oleo ac sale volatili participant, ideo non tam facile in putredinem ruunt, eamque obrationem in febribus non tam insignem quam carnes, noxam afferre solent.

*§. XX.*

Ad tertiam alimentorum classem, quæ fixiorem ac terream sanguinis portionem custodiunt, omnis generis accedunt frumenta, ut sunt panis genera, oryza, pîsa, fabæ, lentes, castaneæ, amygdales, fructus cacao, caleus, & reliqua diversi generis panificia.

*§. XXI.*

Ex dictis nullo negotio confici potest, ea saltem alimenta, quæ temperie gaudent, & proxime ad chyli & sanguinis similitudinem accedunt, nutritioni corporis esse accommodata.

*§. XXII.*

Omnia igitur, quæ a chyli & sanguinis natura & indole recedunt, vel plane aliena sunt, alendis partibus nequaquam inserviant.

*§. XXIII.*

Omnia, quibus nimium acidi inest, minus nutritioni quadrant, quia lac & sanguis acidi confortium respuant, quippe quod indolis a sanguine prorsus diversæ est, & humoribus vitalibus coagulum inducit.

*Scholion.*

Haud obscura jam esse potest ratio, quare nimius acetariorum, fructuum horæorum, præsertim qui adhuc crudii nec satis excocti sunt, ut & aceti, cerevisiæ acescentis, & vinorum, quæ acido abundant, usus sanitatem insigniter affligat.

*§. XXIV.*

Nullum sal, cuiuscunque etiam generis sit, in sanguinis, chyli, & lactis mixtionem admittitor, quare omnia salia, & alimenta nimio sale condita, corporis nutritioni minus convenient.

*§. XXV.*

Sanguis & chylus nunquam cum spirituosis inéunt societatem, sed potius abiit faciunt divertium, uade in proclivie eti jurisdictione, quantum detrimentum a copioso eorum usu & sanitas, & corporis nutritio patientur.

*§. XXVI.*

Dulcia, mellita, & saccharata nullum quoque cum sanguine & chylo convenientiam habent, sed ab eorum textura plures diffici.

dissident; siquidem eminenti sapore imbuti sunt, quo tamen sanguis, chylus. & succus nutritius destituantur.

*Scholion.*

Quamvis dulcia temperata partium gaudent mixtura, adeoque nutritioni quodam modo idonea videantur, quoniam ramen dulce est sal sui generis, quod in aqua liquefit, hinc partium substantiaz apponi haud potest, siquidem ab humido præterlabente statim solvitur.

§. XXVII.

Alimenta, tuendæ sanitati idonea, non tantum materiam laudabilis succi in se reconditam habere, sed bene etiam a ventriculo dissolvi debent. Exinde necessario sequitur, ea ciborum genera, quæ obduram & compactiorem texturam dissolutio- nis negotio facessunt, non adeo sanitati esse congrua.

§. XXVIII.

Carnes animalium ætate provectione, infumatæ, salitæ, ova indurata, & omnis fere generis pisces marini, neque minus panis, grossior secundarius, ob rigidiorem magisque implicitum, quo gaudent, partium contextum, difficulter a ventriculo expugnari, inque succum & sanguinem converti possunt.

*Scholion.*

Eiusmodi cibi duriores, ut intriciorum nexus disjungatur, multum caloris, copiam fermentalis & salivalis lymphæ & ventriculi robur desiderant, adeoque nonnisi robustis corporibus, & quæ motu exercentur, convenient. Quam ob rem populi earum regionum, quæ versus septentrionem spectant, ut Sueci, Norwegi, Lappones, Finni, Westphali ac Pomerani, ab ejusmodi ciborum frequenter uso non facile lèduntur, quippe quorum ventriculus cum ab ipsa natura, tum etiam consuetudine firmatus, compactiora hæc alimenta levè negotio atterere ac confidere potest.

§. XXIX.

Ex vegetabilibus radices, fructus ac herbæ, præsertim si crudæ, & ante quam debite coactione emollitæ fuerint, assumentur, ventriculo in solvendo laborem.

exhibent; quoniam fibrosior eorum tex- tura ægre discerpitur.

§. XXX.

Alimenta ex vegetabilium regno petita eam quoque ab rationem oneri sunt ventriculo, dum multas flatulentias producent, quæ primas vias variis turbis exagi- tant.

*Scholion.*

In hunc censum transcribi debent omnes fructus horæ crudiores, pisa, fabæ, napi, rapæ, bulbi, brassicæ species, alium, cepæ, raphani, acetaria ex lactuca variisque herbis parata, pira, poma, pruna, mulsum, mel, multum, & omnia dulcia, quoconque etiam nomine veniant. Horum enim ea est conditio, ut facilime subeant fermentationem, vel etiam aco- rem concipient, & ob viscosam suam te- nacitatem in halitusos vapores resolvan- tur.

§. XXXI.

Tenaces ac glutinosæ animantium par- tes, quarum in numero sunt ventriculus, intestina, lienes, renes, rostra, vulvæ, aures, corium, ungulæ, difficilioris quo- que sunt solutionis, nec menstruo ventri- culi promte obedient.

§. XXXII.

Pinguia difficulter a ventriculo subju- gantur; accidente enim acido, quo præ- fertim vegetabilia scatent, in coagulum abeunt.

*Scholion.*

Alcalinum liquorem desiderant pinguis, qui implexam eorum compaginem & coagulationem optime recludit ac disjungit. Quare, ne pinguis ventriculom affligant, sufficiens bilis accedit necessè est. Quando enim acidum ventriculi pinguium solu- nem aggreditur, halitus & ruetus sulphurei ardentes exsurgunt, qui fistulæ cibali molestiam creant.

§. XXXIII.

Quo viscosiores magisque rancidæ ac vetustæ sunt pinguedines, eo pejoris sunt indolis. Meliori se modo habent recen- tiores & quæ facilius solutioni obtempe- rant.

*Scholion.*

Elucet exinde ratio, quare pinguedo bo- vina

vina, si cibi cum ipsa coquantur, non & que noceat, ac vervecina, hœdina, sul-la & anserina. Patet quoque causa, quare omnes carnes sumo duratae ac vetustiores, ob rancorem, quem pinguia procedente tempore contrahunt, ut & lardum, quod situm flavumque colorem duxit, tuende sanitati neutiquam consentanea haberi debeant.

## §. XXXIV.

Ut nutritionis negotium rite expediatur, crustæ intestinorum villosæ oscula chyli liquorem imbibere, & ad sanguinis massam transvehere debent. Quare omnia, quæ cribrosam hanc tunicam obstruunt, vel plus justo constringunt, non sine aliquo sanitatis dispendio assumuntur.

*Scholion.*

Quoniam effeta alimentorum massa, a qua chylus jam separatus est, motu intestinorum expansivo & constrictorio, per tubulosum eorum canalem foras ejici debet, propterea obvium intellectui est, quam ob causam sanitatem offendant alimenta, quæ intestinorum volumen ægre trahiciunt, quæ eorum motum sufflaminant, tonumque & robur infringunt, fatalarem alvi excretionem suppressendo.

## §. XXXV.

Acida, constringentia, mucida, glutinosa, viscosa, austera, coagulo facile obnoxia, eam in primis ob causam sanitatem oppugnant, quia intestinorum tonum labefactant, & hac ratione impeditunt, quo minus superflua ciborum fæces per inferiora eliminentur.

*Scholion.*

Hanc insalubratis notam incurront omnes fructus horai & immaturi, pira, mala, cydonia, punica, mespili, fructus acaciae & myrtillorum, panis bis coctus, crusta panis, panis mucidus, durus ac grossior, vel calide furno extractus, omnia farinacea, poltes ex pisis, fabis, lentibus ac milio paratae, placentæ ac pannificia non satis subiecta ac fermentata, caseus in nimia quantitate assumitus, lac evillum, omniaque lacticinia & pinguedines, quæ omnia noxiam inferunt insi-

gnorem, vino, vel acidis, vel potionibus frigidis, simul sumtis; ita enim infirmum coagulum densantur, quod intestinorum tunicis immobiliter infixum, tenuissimorum vasorum capita spissi lento incrassat, unde uber flatuum & spasmodorum proventus est.

## §. XXXVI.

Alimentorum insalubritas vel ex eo estimari debet, quando ventriculi vim fermentativam & solutricem infringunt, & ita generationi cruditatum favent.

*Scholion.*

Fermental is succi actionem enervant omnia pinguia, oleosa, prædulcia, mel, mulsum, uvæ recentes, fructus horæ, fucus virides; omnia quoque legumina, farinacea, pulpes ex milio factæ, neque minus omnia tepida, olerum radices fibrosæ, caseus & lac coactum ac solidatum; quæ omnia sanitati eo infensora sunt, quo majori quantitate jejuno ventri ingeruntur.

## §. XXXVII.

Omne acidum omnisque putredo corporis vitali conservationi valde adversantur; hinc alimenta, quæ in ventriculo facile acorem aut putredinem concipiunt, insalubrium numero jure meritoque adscribi debent.

*Scholion.*

Acidum primis viis pariter, ac sanguini hostile & inimicum est, siquidem bilis balsamicam & alcalinam indolem destruit, succo chyloso coagulum inducit, alisque excretionem moratur. Deinde acidum sanguini affusum eum ad spissitudinem & coagulum disponit, unde humorum stagnationes viscerumque infarctus graviores proveniunt. Putredo vero, intra primam regionem concepta, latius ad interiora corporis penetralia serpens, succis, etiam optimæ indolis, exitiosam labem afficit. Cibis vero, qui ex diutiori mora facile in primis viis acescunt, annumerari debent omnes fructus horai, lac, mel, omneque pistorium opus, dulcia variique generis vina, mulsum, mulsum, & panis fermentatus. Et qui in celestrem putredinem ruunt, quando diutius in primis viis subsistunt, præcipue sunt carnes elizæ.

Nulla

Nulla enim alimenta facilis, quam carnes, in putredinem inclinant. Quare non sine ratione natura in omnibus morbis acutis, & ubi corpora variis impuritatibus repleta sunt, sponte a carnium usu abhorret, cuius institutum laudabiliter adjuvant medici, qui ex grise jucunda nutritiva interdicunt. Hujus generis enim alimenta putredini, quæ formalem malignitatis causam constituit, mirum quantum velificantur. Unde in peste & morbis populariter grassantibus a carnium usu abstinere consultum est, quo tempore acidula, quæ putredini admodum iniuria sunt, operam plane insignem praestant. Hoc ipsum tamen de illis corporibus intelligentem est, quæ infirmiora sunt, febre decumbunt, vel multas impuritates in humoribus accumulatas habent; unde jam olim recte dictum est ab Hippocrate: *quod corpora impura, quo plus nutriantur, eo magis leadantur.* In primis vero ad putredinem in corpore producendam inclinant pisces corrupti, & fetore ac putrilagine infectæ carnes, vel etiam ex animantibus de prompta, quæ vitiosam quandam labem intra corpus aluerunt.

## C A P U T V.

*De alimentis aliorum insalubritatem corrigentibus.*

## §. I.

**N**ihil est, quod insalubrium alimentorum noxam magis arceat, quam corpus humanum robustum ac valens, quod calore, motu, tono vivido ac vegeto fibrarum instructum, protinus per debita emunctoria ea expelit, adeo ut nocere nequeant.

## §. II.

Plura quoque sunt ex alimentorum classe, quæ non adeo corpori amicam esculentorum facultatem corrigit, & ne nocent, efficiunt.

## §. III.

Inter præstantissima ciborum corrigentia sunt potus calidi referendi, infusa videlicet thee, coffee, vel aliarum herba-

rum, quæ cum aqua ebulliente facta, & præsertim post digestionem absolutam assumta, insigni virtute pollut.

## §. IV.

Potus aquæ calidæ, herbis roborantibus conditus, cruditates mucosas, viscidas, acidas, a digestione in prima regione relictas, & tunicis intestinorum eorumque crustæ villosæ inhærentes, diluit, abstergit, dissolvit, temperat, ut per alvum facilis descendant, neque intestinaullo modo, vel acrimonia, vel inflatione, levant.

## §. V.

Potus coffee non modo ob calidam a quam proficuus est, sed & insuper terreo suo, amaricante, alcalino oleoso principio, acido-viscidas frides, ex glandulosa intestinalis crusta eluit, acidumque contemperat.

*Scholion.*

Ex his dictis jam facile patet, potum aquarum calidum, & infusa theiformia, cum aliis præstantibus herbis facta, non sine ratione commendari, & insignem quoque fructum ferre, modo non statim post cibum, vel cum ipso ingerantur. Ingens quoque ab hisce potibus fructus est expeditandus, dum omnis generis succos redundat fluidos, omnia emunctoria aperta servant, sanguinis circulum, & hujus beneficio omnes excretiones, præsertim perspirationem, promovent.

## §. VI.

Ad salubritatem alimentorum, & ne corpus offendant, multum faciunt condimenta, quæ cum cibis assumentur.

## §. VII.

Omnia condimenta in tres classes commodissime redigi possunt, nempe ad sal acre & oleosum, magis vel minus volatile, vel ad sal acidum, vel ad sal fassum.

## §. VIII.

In eorum numero, quæ sale & oleo volatile subtilissimo constant, condimenta sunt sequentia, videlicet omnia aromata, piper, zingiber, cariophylli, cinnamomum, cardamomum, nux moschata, flores macis, cortices citri, aurantiorum, & ex plantis sale volatile oleoso turgantibus semen sinapi, herba nasturtii, cochlearie,

ra-

raphanus rusticanus , radix armoraciae , & omnia ceparum , allii , ac porri genera , item cuminum , anisum , anethum , thymus , fatureja , majorana , basilicum , origanum Creticum , salvia , petroselinum , pastinaca , radix cichorii , herba pimpinellae , piperitis , ranunculus esculentus , artemisia , folia lauri , myrti , bacca lauri , juniperi , & id genus plura alia .

*Scholion.*

Hæc omnia egregie mucositates incident resolvunt , digestionem promovent , flatus discutiunt , & excretiones per alvum , transpirationem , urinam adjuvant .

*§. IX.*

Ad acida corridentia spectant acetum vini , vinum ipsum , succus citri , aurantiorum , agrestæ , cappares conditæ .

*Scholion.*

Acida , moderate cibis admixta , appetitum excitant , digestionem , & solutio nem ciborum , imprimis durorum & compactorum , adjuvant , & putredini potenter resistunt .

*§. X.*

Ad condimenta salsa spectat sal commune , quod condimentorum princeps merito salutari debet , sine quo omnis cibus gratiam saporis perdit , nec bene a ventriculo & natura corporis subigitur . Hinc sale fortiter condita , ut haleces , fartellæ , olivæ sale conditæ , cortices citri sale conditi , eodem effectu gaudent .

*Scholion.*

Hæc salsa , quæ neutrivs sunt generis , partim mucositatem dissolvendo , digestionem alimentorum secundant , partim etiam irritando alvum movent , urinam violent , & excretiones omnis generis , sine quibus sanitas non diu subsistere potest , egregie promovent .

*§. XI.*

Multum quoque interest , ne ciborum qualitas & quantitas nocumentum afferant , debito ordine eos assumere .

*§. XII.*

Non convenit prandii vel jentaculi initium facere a dulcibus , a pinguibus , farinaceis , lacticiniis ; quippe hæc omnia vim fermentalem ventriculi enarvant & valde labefactant .

Tom. I.

*§. XIII.*

Melius sanitati consulunt , qui prandium a paulo durioribus , induratis , salitis & vegetabilibus , oleraceis & leguminosis incipiunt , utpote quæ recentem adhuc & vegetam fermenti salivalis vim requirunt . Hisce subjungendæ sunt carnes , & postea farinacea , dulcia , ac fructus horæ cum bityro , quæ ad expeditiorem ingestorum descensum per alvum multum conferunt .

*§. XIV.*

Cœna requirit cibos facilioris solutionis , ne eorum stagnatio in ventriculo ipsum inflet , ac somnus turbetur .

*Scholion.*

Præstat itaque in cœna assumere juscula & bene nutritive cibos , ut ova sorbilia , quia nutritio de nocte optime perficitur ; abstinent autem oportet ab omnibus durioribus , dulcibus & omnibus inflantibus , vel quæ succos corrodentes , acres , & acidos fovent .

*§. XV.*

Cavendum maximopere est , ne dulcia cum acidis & potibus fermentescibilibus , cerevisia nempe recenti , invicem ingerantur .

*Scholion.*

Vidimus hac ratione , in corporibus præfertim imbecillioribus , biliosis & iracundis deditis , cholericas passiones , ac ventris & colica tormenta atrocias , non sine periculo , excitata .

*§. XVI.*

Deterrima res est , in ventriculum acidis cruditatibus obsessum ingerere laeticinia , caseum copiosum , imo pulles ex pisis , ex milio , oryza , cum lacte paratos , vel inter hæc acida & austera vina , aut acetosos fructus , vel acetaria assumere , eo quod hac ratione nocens firmum coagulum producatur , quod egerrime dissolvitur , & ingentes creat molestias .

*Scholion.*

Quantæ turbæ in primis viis flatulentæ , & spasmodes ab ejusmodi alimentis & laeticiniis , quæ ventriculum ab omnibus impuritatibus , præfertim acidis , liberum desiderant , excitentur , dici vix potest , & quo imbecillus & ad ejusmodi afflictiones

magis proclive corpus offendunt, eo gravior noxa inde est expectanda.

## S. XVII.

Neque minus digestionem offendit, liquores spirituosos, ipsumque spiritum vi- ni, lacticiniis, dulcibus, farinaceis, neque minus duris, mucilaginosis, alimen- tis, superingerere.

## Scholion.

Pravo & communis more receptum est, juvandę digestionis causa, post dura, & compactę substantię alimenta, spirituosa assumere; quandoquidem tantum abest, ut hęc dissolvendi facultate polleant, ut potius duras jam ingestorum fibras rigidiores & compactiores efficiant, ac præterea chylo & sanguini coagulum & spissitudinem inducant.

## S. XVIII.

Quamvis multa ex alimentis dentur sanitati incongrua, nihilo minus tamen minus officiunt, si parciori manu offerantur, & cum aliis conjuncta usurpentur.

## Scholion.

Sicut omne nimium, tam ratione quantitatis, quam qualitatis, naturę maxime est inimicum, ita parum, licet intemperatum, minus nocet. Improbamus itaque frequentem, & copiosum insalubrium ciborum usum potius, quam ut in totum eum, si moderatior fuerit, rejicere velimus, præsertim si corpus fuerit robustius, motuque se exerceat, & iis assuetum sit. Semper enim, recte monente Hippocrate, consuetudini aliquid dandum, & consueta, uti habet, aph. 50. sect. 2. multo temore, etiam si deteriora fuerint, inconsuetis minus molestare solent.

## C A P U T VI.

## De potulentorum salubri ac infalubri natura.

## S. I.

**Q**uemadmodum sine solidis alimentis, ita etiam sine liquidis, nec homo, nec cetera animantia, vitam tueri possunt; quia solidum ac fluidum duo sunt

principia vitalium humorum elementa;

## §. II.

Sanguis convenienti fluiditate destitutus per minima vascula non ferri, nec circulari potest, hinc ad vitam liquido nequit care ullus.

## S. III.

Sine humido, nulla nutritio, nulla liquidorum progressio, generatio, secreto, excretio, neque ulla fluiditas, aut solidorum unio, vel mixtio, tam in vegetantium, quam in animalium regno, fieri potest: hinc aqua præcipuum vitalium humorum ipsiusque sanguinis partem constituit.

## §. IV.

Sanguis humanus, cum cura examinatus, quando e vena mittitur, tres partes ad minimum liquidi, ad unam partem solidi elementi referendas, continet: hinc facile colligitur, liquidi usum ad vitam tuendam plus conferre, quam solidi rationem, & potum alimentis solidis prævalere.

## Scholion.

Potus, modo sit congruus & mixturæ animali non adversus, nimis quantitas non facile nocet, quod vero de solidis dici nequit, unde proverbium, plures perire gula, quam potu, enatum est.

## §. V.

Ergo potus aquæ, qui antiquissimus, omnium primus & communissimus est, ad vitam & sanitatem tuendam commodissimus haberi debet.

## Scholion.

Non modo omne animalium genos, sed & maxima pars hominum, solius aquæ potu vitam conservat; & saltē pauca gentes sunt in plaga septentrionali degentes, quæ cerevisis utuntur.

## §. VI.

Aquæ potus, omnibus cerevisis & per artem paratis liquoribus, salubritate antecellit, quia aqua est purior, simplicior, fluidior, omnes vero reliqui potus multis heterogeneis, & solidioribus partibus referti sunt.

## Scholion.

Cerevisia & vina multis partibus acidis, & spirituosis, item glutinosis, alimentis,

sis,

*sis*, substanticis ac salsis particulis saturati sunt liquores, unde partim nutriunt, partim etiam non satis fluidum sanguinem & excretorios tubulos apertos servant, sed viscositate obstruant, & humores spissos efficiunt.

## §. VII.

Aqua pura ad fluiditatem humoribus conciliandam, ad extrahendum ex cibis utillem succum, ad referandas obstructiones & dissolvendas viscositates, ad evehendas excrementicias salinas e corpore sordes, ad succum nutritum poris partium intime insinuandum, omnibus aliis humidis præstantior est, quia levior, fluidior, subtilior, mobilior, & plus solidi solvere, absorbere & recipere potest, quam aliud gravius liquidum, cuius pori multum sunt repleti.

## §. VIII.

Aqua purissima, sive calida, sive frigida, pota, digestione peracta, tempore matutino, aut si cubitum ire velimus, sanitati admodum conducunt.

*Scholion.*

Qui sanitati suæ consulere, & graves a corpore morbos arcere cupiunt, cerevisis vero & vino assueti sunt, iis omni modo usum aquæ puræ, simplicis, frigidæ, vel calidæ, cum herbis convenientibus infusa, maximopere commendamus, & quidem frigidam aquam æstate & calidioribus subjectis. Calida vero nunquam nocet, sed semper utilis est, siquidem emendat cruditates a digestione in ventriculo & primis viis relictas, abstergit oscula tunc villosæ ac glandulosæ, mucositates diluendo aperit, salia excrementitia vero, & biliosam pituitam diluit; tum & sanguinis circulum & omnes excretiones eximie adjuvat, unde medicina præservatoria aduersus omnes morbos certe in aqua salubri requiescit.

## §. IX.

Experientia constat, aquæ potatores saniiores, longæviores & edaciores esse iis, quibus cerevisia in usu est.

*Scholion.*

Aqua potatores dentes habere firmiores & nitidius albantes, certissimè experientia confirmatum est; carie vero magis

laborant, facile exeduntur, & albedinis gratiam exuent, in iis, qui crassis, vel etiam dulcibus potibus fruuntur, & qui scorbuto malo vexantur, luculento testimonio, aquam ab hoc malo præservare, succos vitales ab excrementitiis, & corruptivis partibus vindicando. Neque dubium est, quin scorbutus, populis septentrionalibus adeo familiaris, atque endemius, maxima ex parte cerevisiarum potui adscribi debeat, a quo plane immunes sunt i populi, quibus aqua pro potu infervit. Notatu digna exstat observatio in *Misc. Nat. Curios. Dec. 1. Ann. 3. Obser. 15*, de fene 120. annorum, vegeto adhuc, cui integra dentitio in senectute obtigit, neque aliam proferre potuit longævitatis causam, quam potum aquarum ex scopolis, & fontibus vivis securientium, quibus a teneris delectatus fuerat. De *Andrea Tiraquello JCto* referunt, eum solo aquæ potu contentum, tam sanum corpus, cum sana mente habuisse conjunctum, ut quadraginta liberis progenerandis, totidemque foetibus ingenii edendis, sufficerit. Usus quoque docet, eos, qui aquam bibunt, oculorum aciem diutius conservare, quam qui vino, aut cerevisiis indulgent.

## §. X.

Aqua, quo purior, quo subtilior, & levior est, eo magis sanitati infervit; quo vero magis heterogeneis partibus referta, quo gravior, eo minus salubris habenda est.

*Scholion.*

Ratio in procinctu est, quia quo purior, simplicior, & magis sincera est, eo plus continet fluidi, ætherei elementi in interstitiis suis, hinc plus addit virium liquido nervorum, & eo magis quoque ad solutionem partium viscidarum, ad extractionem succi chylosi, neque minus ad eluendas, & evehendas excrementicias e corpore sordes apta est. Puritas vero, & levitas aquarum optime cylindro statico nobis invento, qui accuratissime etiam minimam aquæ gravitatem indicat, vel admixtione solutionum metallicarum, aut salium alcalinorum, demonstrari potest. Quæ heterogeneis partibus, præsertim

calcareis resertæ, protinus, ab admixto oleo tartari per deliquium, turbidae evadunt, lactescunt, & sedimentum depo-nunt.

## §. XI.

Aqua pluvialis, quoniam aqua destillata est, subtilior & levior est omnibus fontanis & flaviatilibus.

## Scholion.

Hoc jam sua ætate agnoverunt Hippocrates & Celsus; sed opus est, ut colligatur non in urbe, sed in rure inque editioribus locis & sub libero & aperto cœlo, posse ut conservetur in sigulinis, vel vasis vitreis, sedimento prius deposito, maxime in locis frigidioribus.

## §. XII.

Ad aquam pluvialem proxime accedit fontana, hac inferior est fluvialis, gravis & insalubris ex puto, posthæc ex nive aut glacie, gravior ex lacu, gravissima ex palude.

## Scholion.

Optime Celsus lib. 2. c. 18. de præstantia, & notis bonitatis aquæ differit, *levis*, inquiens, aqua pondere appetet, & ex his, quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celerius & calefit & frigescit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur. Plura de differentiis aquarum levium a gravibus, subtilium aduris & asperis, salubrium ab insalubribus, vid. in diff. no-fra de aqua Medicina universalis, necnon tomo 2. opuscular. physico medicor.

## §. XIII.

Aqua impurior, & salubrior optime coctione, leniori tamen, vel destillatione, ut & varia rerum admixtione, corrigitur.

## Scholion.

Quando diutius aqua decoquuntur, particulæ omnes subtiliores nimis avolant, crassioribus relictis; nam & particulæ, quæ aquam constituant, sunt ratione ponderis & subtilitatis differentes, hinc vide-mus, longe sapidiorem fieri potum coffee, quando cum aqua paratur, qua non adeo diu percocta fuit: destillatione vero partes terrestriores, & graviores ad fun-

dum descendunt, quod liquido appetet, quando in patina sub calore leni aquas evapori patimur. Sicut aquam palustrem per lapidem, qui filtrum dicitur, depurant, siquidem ex poris hujus lapidei filtræ aqua prodit limpida, terreæ vero sordes in illo retinentur. Corrigitur vero noxa aquarum additione vini, spiritus vini, succi citri, vel etiam aceti vini, neque minus panis tosti, argilla tostæ, vel cornu cervi usci.

## §. XIV.

Nulla aqua insalubrior est, quam quæ ex lacu, ex paludibus, vel etiam ex nive, haeritur.

## Scholion.

Stagnantes aquæ & solis calori expositæ incipiunt putrefactare, & complura exigua infecta generare, multumque terræ pinguis, viscidae in se recipiunt, unde non modo foecundem concipiunt, sed & pondere graviores fiunt, & multum sedimenti evaporatione relinquunt, sub qua, quod curiosum est, multis bullulas eum strepitu emittunt: aqua vero nivalis, & glacialis gravior est communi, quia ipsa congelatione textura aquæ immutatur, & particule æthereæ, subtiliores, a gravioribus liquidis fecessum faciunt, quæ postea liquefactione, vel si in locum calidum deferantur, cito avolant: quare aqua ante conglaciationem ponderata, & post eam liquefacta, semper paucior, & levior evadit.

## §. XV.

Quia liquidum, quo subtilius est, quo purius, quo facilius excretoria transit, & intima corporis nostri subit, eo salubrissimum habendum est: hinc cerevisia præstantiores &c sunt judicandæ, quæ specifica levitate gaudent, nec adeo crasse, aut lupulo, vel alimentosa substantia saturata, tum quæ facile & ventriculum & omnia emunctoria transeunt, & cito per urinam redduntur.

## Scholion.

A salubritate & insalubritate cerevisiarum certe multorum morborum quibusdam locis familiarium ratio, & incolarum salubris, vel morbosā dispositio, dependet; unde omnis, qui artem salutarem exercet.

cere vult, ad harum naturam attendere debet.

### §. XVI.

Optimæ notæ cerevisia est, si non caput gravat, in ventriculo non aescit, hypochondria non inflat, sique cito per urinam excernitur.

#### Scholion.

Sicut vero hæc indicia sunt salubris cerevisiæ: ita quando contrarium evenit, malæ notæ cerevisia judicanda est.

### §. XVII.

Bonitas cerevisiarum primo a salubri aqua, secundo a debita ingredientium coctione, denique a fermentatione multum dependet.

#### Scholion.

Quo salubrior aqua fontana est, eo præstantiorem exhibet cerevisiam, & quo subtilior aqua, eo plus ingredientia extrahit, coque melius fermentescit; deinde diuturniori coctione cerevisæ salubrem naturam acquirunt, & nutritiva hordæ substantia coctione mitescit, & quasi maturatur, & lupulus vaporosum suum grave sulphur in auras emitit, fermentatione vero crassum a subili separatur atque extruditur.

### §. XVIII.

Omnis vero cerevisia crassa, turbida, fœculenta, minus fermentata, acida, & quæ non sufficienter cocta fuit, caput gravat, flatum est procreatrix, obstrunctiones, stranguriam, asthma & colicam generat.

### §. XIX.

Vina, sive dulcia, sive spirituosa, vel acida, aut temperata fuerint, congruum potum ad nutritionem & ad alendas corporis solidas & fluidas partes, minime constituant, siquidem eorum mixtio ac crasis a natura languinis plane aliena est.

### §. XX.

Vina itaque merito inter medicamenta, sive alimenta medicamentosa, quibus, & concoctio ciborum, & excretio alienorum, necnon virium & caloris restitutio, egregie adjuvatur, referenda sunt.

#### Scholion.

Profecto vinum inter nobiliores medicinas principem locum tenere meretur, si-

quidem vix illa in rerum natura medicina, quæ tanta virtute instructa est, acido, spirituoso, temperato, vires ventriculi & universi corporis restaurandi, & circulum sanguinis promovendi, quam præstantissima notæ vinum, moderate ac prudenter usurpatum: unde etiam non sine ratione a divo Paulo, modicus vini usus, ad infirmum ventriculum roborandum, commendatur.

### §. XXI.

Vinum acido-spirituosum motus vitales systoles & diaystoles in universo corpore resuscitat, hinc sanguinis circulum & calorem auget; unde ejus usus iis proficiens est, qui virium resuscitatione opus habent, naturæ debilioris, frigidæ & humidae sunt, ac multa alimenta cruda & humida assumerunt, vitaque sedentaria indulgent, & vires variis ex causis amiserunt.

### §. XXII.

Usus vero vini, præsertim immoderior, minus convenient iis, qui multum caloris habent, ut infantili, juvenili ætati, & qui calidioris temperaturæ sunt, corpus motu exercent, tempore aestivo, & qui a gilioris sunt animi, pulsusque celerem habent.

#### Scholion.

Sicuti enim natura, sive sanus ac ordinatus corporis nostri status, gaudet temperato sanguinis motu: ite creber & immoderatus vini usus, intemperiem caloris & motus introducendo, ad labefactandam sanitatem paratissimus est.

### §. XXIII.

Juvat egregie bonum vinum moderate sumum concoctionem & perspirationem crudorum alimentorum.

#### Scholion.

Quare assumitis fructibus horæis & variis piscium generibus, etiam marinis, oleraceis atque inflantibus, non inconvenienter vinum admisceatur & superbibitur.

### §. XXIV.

Præstantissimum & saluberrimum vinum judicatur, quod nec nimis spirituoso, nec acidum est, sed temperatum, quod non gravat caput, aut in ventriculo stagnat, vel aescit, sed cito excretoria per urinam & perspirationem transit.

*Scholion.*

Dulcia vina augent sanguinem & plenioram facile ingenerant; spirituosa nimium commovent humores; acida ac nigris tartarea facile acescant atque stagnant in ventriculo: quæ vero vaporoso sulphure scatent, capiti in primis molesta sunt, & nervos debilitant, unde ad multos & graves morbos usus eorum frequentior disponit.

*§. XXV.*

Quia igitur vinum magis vicem medicamenti, quam alimenti gerit, parciori semper manu præbendum est, & sicuti conveniens ejus usus optimæ medicinæ loco habendus est, ita etiam vini abusus nocet ac sanitatem offendit.

*Scholion.*

Experiens suffragatur, quod, qui vino largius indulgent, & prima statim ætate bibunt, minus longævi sint, uti contra aquæ potus & vini abstinentia multas gentes macrōbius reddunt.

*§. XXVI.*

Vinum cum aqua pura temperatum ac dilutum, quale erat omne Græcorum vinum, sanitati magis conducibile est quam vinum purum.

*Scholion.*

Landandus veterum in eo mos est, quod pro diversitate naturarum, anni temporum atque ætatum, valde curiosi ac circumspicierant in temperando vino cum aqua, adeo, ut interdum duas partes aquæ uni parti vini admiserent, interdum vero plus, vel etiam minus vini adderent. Egregia hinc sunt, quæ habet TacKius chrysog. anim. & mineral. p. 99. dum ait: dilutum aqua merum, ut antiquis præferri cœpit, sic dolendum, hodie no seculo id ipsum in mortalium detrimentum evilescere cœpisse: quum sic nocturni spiritus frangantur facilius & que terrefires rectius ad uretheres, mediante lympha deducantur, nec tam cito coagulationi spiritus vini pareat, si sit temperatus. Caudum tamen est, ne vinis nix aut glacies admisceatur, præsertim tempore æstivo, quia ventriculi, & intestinorum motus peristalticus hac ratione facile larditur, &

morbis tam acutis, quam chronicis gignendis occasio præbetur.

*§. XXVII.*

Ex spirituosis, Hungaricum omnibus palmam præripit, iisque commendandum est, quibus cibi facile in ventriculo acescant, & qui morbis chronicis obnoxii sunt.

*§. XXVIII.*

Largior vini boni usus quibusdam corporibus medicinam præbet, excretiones per alvum, urinam & transpirationem augendo.

*Scholion.*

Vina Mosellana, & Rhenana temperatiora illud corpori præstant beneficium, ut largiori etiam manu sumta, alvum sollicitent, urinam cieant, ac transpirationem moveant: hinc in corporibus humidioris naturæ, & ubi crudorum humorum copia est, quandoque profund, tantum abeat, ut noceant; moderatione tamen, & cautione semper opus est.

*§. XXIX.*

Moderatus spiritus vini usus; præsertim si cum saccharo dilutus fuit, in defectu vini, ad calorem resuscitandum, in corporibus humidioribus, admitti potest.

## C A P U T VII.

*De moderatione in victu optima sanitatis conservatrice.*

*§. I.*

**N**Ullum præsentius advitam producendamque sanitatem datur præsidium, quam moderatus, & conveniens cujuscunque corporis naturæ victus.

*Scholion.*

Omne enim moderatum conservationi corporis nostri est convenientissimum, sicuti omne nimium naturæ est inimicum. Sub moderato & aquabili cordis, & arteriarum motu ac systole, viget sanitas, quæ etiam convenientem moderatam mensuram, quæ nec excedat, nec deficiat, sanguinis & humorum postulat. Hæc vero temperantia in victu maxime comparatur,

tur. Sapienter hinc Hippoc. Lib. de Morb. §.  
 10. Si homo, inquit, parum edit, parum bibit, in nullum morbum incidit. Et lib. 6. Epidem. sanitatis studium est, non satiaris cibis, & impigrum ad laborem esse. Notum hinc elegans proverbium: modicus cibus, modicus medicus. Antiquioris & vii philosophi, quos inter Plato & Socrates eminent, simplici ac tenui victu consenserunt. Pythagoras suam philosophandi rationem a sobrietatis studio exorsus est. Et Plato in Charmide praeclare dicit, temperantiam vita cultudem esse; qui etiam in Gorgia præcepit, ut, qui vitam beate & salva sanitatem traducere velit, hanc imprimis virtutem exerceat. Vid. etiam Senec. ep. 9. ubi gravissimos & plures morbos, a luxuria ortos, enumerat. Ceterum Cornarius Venetus, qui semper diæta usus, vitam ad centum ac viginti annos perduxit, insigni etiam est, documento, quantum simplex & circumclusus vixit, in vita proroganda efficere possit.

## §. II.

Quemadmodum adhibita in victu moderationis vitæ ac sanitati quam maxime patrocinatur: ita nimia ciborum repletio, & vitæ, & sanitati, multis modis adversa est.

## Scholion.

Optime Celsus lib. 1. cap. 11. ait, ubi ad cibum ventum est, nunquam tuta est nimia satietas. Cujus in tentationem conspirat Hippocrates sect. 2. Aphor. 4. Neque, inquisiens, aliud quicquam bonum est, quod naturæ modum exceedit. Nimia nimis ciborum copia, nec bene a ventriculo concoqui, neque in succum laudabilem converti potest. Neque etiam chylus, ex nimia ciborum abundantia extractus, probe a sanguine subigitur, & hinc perspirationi parum idoneus est. Quemadmodum autem perpetuo inter movens & mobile justa debet esse proportio, quo conveniens motus perficiatur, adeo, ut lœsa hac proportione, motus ipse etiam male se habeat; ita hæc proportio perturbatur, quando fucci mobiles virtuti cordis ac fibrarum motrici nimis, quam pareat, resistunt.

## §. III.

Exundans succorum copia non modò ventriculi & intestinorum tunicas & paries, sed & cordis arteriarumque fibras motrices, supra modum distendit, earumque elaterem ac vim contractivam labefactat; unde tardior humorum progressus proficitur.

## §. IV.

Tardiori facto succorum in corpore progressu, ea, quæ excerni debebant, remanent, & fucci nimium accumulantur, hinc cruditates ac stagnationes sunt, & hac ratione multorum morborum origo stabilitur.

## Scholion.

Peritissime dictum est ab Hippocrate sect. i. aph. 17. cibum præter naturam copiose ingestum morbum facere, atque a medicis, abdomen infaturabile, non inepte perniciose sentina omniumque tam animi, quam corporis viriorum fons appellatur. Hinc etiam illud apud Germanos in proverbii confuetudinem venit: dass der Vielzehr mehr aufreibet, als das Schöverd, und dass sich viele zu Tode gefressen. Quam ob rem itidem aureum est monitionem, quod Syracides proponit cap. 37. n. 32. seq. Ne esto infaturabilis omnibus deliciis, neque projectus esto ad escas. Nam multis cibis adharet morbus, & infatibilitas voracitas maxime accedit ad choleras. Voracitate infatibili multi sunt mortui. Idem cap. 37. n. 22. ita fatur: laboriose vigiliæ & cholerae tormentaque adsunt viro infatibili.

## §. V.

Cibi, licet sint saluberrimi, nimia assumti in quantitate, magis sanitatem affligunt; quam intemperati, quando parciore modo assomuntur.

## Scholion.

Observamus, a nimia repletione, & ingenti, & corporis, alacritatem pessimandi, contra vero lassitudinem, torporum, pigrimenti ac somnolentiam, sed ratiore praesertim labore ac motu, corpus occupare. Omne enim, quod modum excedit,

naturæ est inimicum, sive vitalem sanguinis circutum lœdit, quia nimia succorum resistentia tonum ac motum fibrarum infringit, quem intemperatum quoddam, parcus assumptum, non adeo labefactare potest.

## §. VI.

Nulla quantitas in se & absolute spectata, sed certa saltē ratione ac respectu, mala, vel noxia vocari potest. Hinc etiam affluens alimentorum & succorum copia non ex se metienda est, sed ex viribus motricibus, quibus corpora ac partes solidæ instructæ sunt.

## Scholion.

Proportio quantitatis innoxiae, sufficientis ac perniciose, in singulis individuis exactiori habito ad illa respectu, investigari debet. Quod enim in nonnullis extra modum est & sanitatem oppognat, id alii videntur congruum, & nullam omnino sanitati infert injuriam. Hinc apprime ad veritatem sunt, quæ tradidit *Hippocrates lib. de vet. med. c. 15.* oportet, scribens, modum aliquem conjectare. Modum autem neque pondus, neque numerum aliquem, ad quem referas, cognosces. Certitudinem enim exactam non reperies aliam, quam corporis sensum.

## §. VII.

Vires corporum, quo magis fractæ ac debilitæ sunt, eo magis patent incommodis, quæ a nimia ciborum quantitate proficiuntur; quo vero firmatores magisque robustæ sunt, eo minor noxa ab abundante ciborum quantitate extimescenda est.

## Scholion.

Omnibus igitur, qui imbecillioris naturæ sunt, qui corpus causarium trahunt, vel etiam ex morbo, aut alia quadam causa vires depressas habent, tenuis ac parcius vietus omni ratione commendandus est, nemorbum exulcerent, vel in deteriorem incidant, aut quoque recidivam patiantur.

## §. VIII.

Nimia & nocentis ciborum copiae plerumque comes est vehemens eos ingerendi aviditas, ita, ut intra breve tempus ingenti ciborum cumulo se ingurgitent.

## Scholion.

Hac effreni edendi cupiditate, & intemperantia præcipue laborant, qui modo ex morbo convaluerunt, qui diutius inedia, vel fame pressi fuerunt, ut milites ex castris redeuntes, vel qui multum acidi primis in viis alunt, ut hypochondriaci, quartanarii, melancholici, & maximam quoque partem pueri, qui verminibus infestantur. Multum sibi etiam hac in re vindicat sola, sed prava consuetudo. His vero omnibus, præsertim ob naturæ debilitatem, nimia ciborum satietas per quam noxia est, morborum sanationem, ex quibus laborant, haud parum impediens, ipsas remediorum vires infringendo, & hebetando; quare, nisi hæc tollatur voracitas, nulla prorsus spes morborum sanationi relæcta est.

## §. IX.

Edendi aviditas hoc imprimis vitium sibi conjunctum habet, ut cibi debita masticatione non satis comminuantur, sed subito demittantur in ventriculum, ubi soluto humor gastrico mirum quantum refragantur.

## Scholion.

Ut alimenta masticationis ope decenter permoliantur, utique ad secundandam concoctionem magnopere necessarium est; tunc enim saliva, seu genuinum menstruum microcosmicum, copiosius cibis admiscetur, quia activo hoc liquore imbuit, citius a ventriculo conficiuntur. Alias vero crudi, nec dissoluti intra primas vias diutius, quam par est, subsistunt, unde cruditates, inflationes, ac tensiones ventriculi, neque minus somni perturbationes provenient.

## §. X.

Ciborum varietas nimis aviditati apprime multum lenocinatur, & ad maiorem satietatem invitat, eanque ob causam omni studio, ac ratione vitanda est.

## Scholion.

Recte scribit *Sanctorius in Libr. de cib. ac Pot. aphor. 51.* tria mala eveniunt ob ciborum varietatem: nimium comeditur, minus concoquitur, & minus persiprat.

## §. XI.

Quo crudiores, & compactioris texturæ cibilunt, eo insignior inde noxa emergit, quia non solum nimia eorum distensio robur ventriculi destruit, sed etiam eorum succus ad sanguinem delatus, nonnisi difficuler perspiratione difflari potest.

*Scholion.*

Cibi difficultioris concoctionis sunt carnes animantium ætate proiectiorum, dure, exsiccatæ, fumo duratæ, panis cibarius grossior, pisces marini, caro suilla, anguillarum, pingua, farinacea, leguminæ, aceraria, vina austera, ova indurata, & id genus plura.

## §. XII.

Ciborum aviditas, seu festinata duriorum ciborum deglutitio, præcipue ab iis aliena esse debet, in quibus vires affectæ sunt; quo minorenim est vis corporis, eo minus cibus digeritur, subigitur, & transpiratione depuratur, unde cruditates, morborumque origines petendæ sunt.

*Scholion.*

Quotidiana, sed tristis loquitur experientia, plurimum damni hac ratione pati imbecilliores, quorum in numero sunt puerperæ, omnesque valetudinarii, & qui modo ex morbo convaluerant, aut nimiam sanguinis jacturam perpeſſi sunt, ut & milites ex castris reduces facti; quæ subjectæ graves, & insanabiles inde morbos sibi contrahunt.

## §. XIII.

Tantum ingerendum, quantum absumendum est, tantum excernendum, quantum concoctum.

*Scholion.*

In sano homine, & qui perfectum statutæ augmentum consequutus est, tantum ejicitur, quantum aliudum fuit, hinc natura non ante novis alimentis oneranda est, quam debita excretio præcesserit. Quantitas autem evacuatæ materiæ, partim ex ipso ejus pondere, partim ex corporis agilitate, cognoscitur.

## §. XIV.

Scite dicit Sanctorius Lib.2.aphor.33. Si sciveris quotidie, quantum cibi tibi conveniat, scies vitam diutissime conservare.

*Scholion.*

Hoc levi negotio indagari potest, quando non ante novus corpori cibus ingeritur, quam priora alimenta probe concocta, & foras eliminata fuerint, cuius rei perspicua indicia præbent somnus quietus, feces alvo exclusæ, corporis, animique agilitas, levitas, & ventriculus nullo afflitus in commodo. Si vero contrarium eveniat, tunc certus quis esse potest de ciborum cruditate, ac impendente morbo, nisi maturre succurratur.

## §. XV.

Præstat alimenta, cujusvis naturæ ratione quantitatis, ac temperiei accommodata, partitis vicibus, quam semel & simul, de die assumere.

*Scholion.*

Quemadmodum omni menstruo cum re solvenda, justa semper intercedere debet proportio; ita facile exinde conficitur, quod ciborum quantitas, simul & semel ingesta, non tam exacte dissolvatur, quam si partitis vicibus assumitur. Siquidem copia salivalis, ac fermentalis succi, & calor ventriculi digestorius, tantæ almentorum quantitati solvenda nequitquam sufficiunt. Optime hinc Sanctorius loc.cit. aph.37. loquitur: *magis homo gravatur ab octo libris ciborum, semel in die ingestorum, quam a decem, tribus vicibus una die assumitis.* Conducit itaque non semel de die, sed potius bis, in meridi nimis ac vespera, cibum capere; infantes vero & imbecilliores, parum saltē unica vice, sed eo frequentius, edere oportet, ne ventriculo obruto, vire proteruantur. Nostris temporibus, communiquidem, sed minus laudabili consuetudine receptum est, semel tantum de die, sed plenius, & ad superfluam satietatem usque, cibum capere, quæ tamen consuetudo magis ad commodiorem rerum civilium administrationem, quam ad sanitatis tutelam proficua est. Illud vero hoc loco tenendum, quod cœna parcior, & cibis facilimæ concoctionis, ac boni nutrimenti instructa esse debeat. Calor enim de nocte, ob deficientem sanguinis, & corporis motum, paulo est moderationis, perspiratio quidem æquabilis, sed tardior, nutrit.

nutritio vero nocturno tempore commodissime peragitur. Quam ob rationem accusa ciborum quantitas, & alimenta, quæ ventriculo faciliter obsequuntur, cœna quam maxime sunt accommodata. Expeditus autem a ventriculo digeruntur pisces, pulli, avicula, jufcula, vegetabilia cocta, panis similagineus. Carnes vero induratae, anguillæ, pisces marini, extremae animantium partes, omnia pinguis, caseus, butyrum, castaneæ, imprimis vero acetaria, & flatulenta, minus cœnæ inserviunt, adeoque eorum usus tunc temporis ex toto circumcidendus est.

## §. XVI.

Quo major ciborum copia ante præcedentium concoctionem ingeritur, eo major colligitur cruditatum congeries, & salutaris perspiratio sufflaminatur.

*Scholion.*

Cibus in ventriculo non satis percoctus, ibique stagnans, non modo eum flatu implet, ac distendit, maximisque efficit anxieties, sed & morborum, præsertim febrium, fegetem, ac materiam præbet. Quare scite dictum est a veteribus, vitium primæ concoctionis non corrigi in secunda, vel tertia. Et quia insensibilis perspiratio tertiae concoctionis excretionem constituit, hinc prima cessante concoctione, & ventriculo replete, perspiratio læditur. Nulla vero secundum Sanctorium major perspiratio valetudinis, quam cibo non cocto, alium cibum ingerere.

## §. XVII.

Præclara sunt, que Sanctorius Libr. I. ap. §. 4. tradidit: qui comedit, inquiens, magis, quam oportet, alitur minus, quam oportet.

*Scholion.*

Conveniens corporis nutritio a succo alibili temperato perficitur, qualem indolem induit, quando perspirationis beneficio, ab omnibus folidibus excrementitiis probe est depuratus. Quia vero nimia ciborum copia, perspirationi præcipue infensa est, hinc etiam succus alibilis imporus, & nutrientis partibus parum idoneus evadit.

## §. XVIII.

Quemadmodum nimia repletio multa corpori humano incommoda inducit: ita

etiam inedia non semper tuta, sed sepius cum quadam noxa conjuncta est.

*Scholion.*

Quicquid enim a temperie recedit, illud naturæ adversatur; amica vero ipsi est mediocritas, & moderatio, quæ virium cunctos, ac optima sanitatis conservatrix est, sicuti omnis intemperies, in excessu, vel defectu peccans, sanitatis pestis, ac pernicietes habenda est.

## §. XIX.

Nimia fames, sive inedia, hominum vires insigniter prosternit, & nonnunquam in summum vitæ discrimen adducit, cuius rei indubia experientia locuples testis est.

*Scholion.*

*Hippocrates de Vet. Med. §. 15.* satis acute tradit, famem magnam potentiam habere in naturam corporis, ipsum sanandi, debilitandi, & occidendi. Nimirum corporis nostri vires partim a subtiliori, & puriori aeris pabulo, partim a crassioribus alimentis suam trahunt originem, adeoque eorum essentiam materia quedam subtilis constituit, quæ cito collabitur, & mediante perspiratione continuo in auras volat. Hinc ea perpetua aeris inspiratione, & alimentorum usu quotidie resarcitur necesse est; quod si negligitur, homo ingenem virium jacturam facit, tandemque brevi tempore exacto, profus enecatur. Atque adeo, vel hoc unico argumento, insulsa eorum opinio destruitur, qui omnes vires, ac motus corporis a principio quodam immateriali dependere statuant, quum tamen in confessio sit, motus ac vires pro lubitu aere, & alimentis immixti, & augeri, vel etiam destrui posse, & conservari.

## §. XX.

Corporibus succi plenis, & humida carne rumentibus, vel quæ multas cruditates intra primam regionem fovent, omnium maxime abstinentia imperanda est.

*Scholion.*

Laude dignum est effatum Hippocratis Libr. de Vet. Medic. §. 15. famem magnam potentiam habet sanandi homines. Cujus sententia calculum adjicit Gelsus Lib. II. cap. 16. nullares, inquiens, magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia.

Appli-

Abstinentiae autem nonnulla genera sunt: est, ubi homo nihil assumit, vel saltē exigua, & parciori ciborum quantitate fruitor: est etiam, ubi cœnam intermitit, aut ad minimum semel in hebdomade jejunium instituit.

## §. XXI.

Sicuti tempestive adhibita abstinentia in repletis vires oppresas erigit, ac resuscitat; ita diutius producta, in macilentis, & infirmioribus eas detrahit.

*Scholion.*

Firme tali stat Celsi judicium, quod Lib. 11. cap. 16. proponit his verbis: *Sifamē fānis corporib⁹ inūtilis ēst, quanto inūtilior erit infirmis, nedum agris.* Et eam ob rationem Hippocrates Secl. 2. aphor. 16. laborantibus famem interdicit.

## §. XXII.

Inedia gelatinosam sanguinis, ac lymphæ substantiam resolvit, humorumque quantitatē detrahit, vires extenuat, & sanguinis imminuta quantitate, perspirationem reddit languidorem.

*Scholion.*

Minor sanguinis quantitas ad emunctiorum tubulos non satis pertingere, neque eos apertos servare potest; hinc evenit, ut concidant, & excrementis exitum ex cœte intercludant, unde acrior, & impurus humor in venis colligitur. Quantam vero noxam, ac debilitatem fames afferat, insigni documento sunt milites, qui bono nutrimento in castris fuerunt destituti, vel diuturnam famem sustinuerunt. Hi enim ex levissima subinde causa, v.g. a vulnere, non adeo per se periculo, moriuntur, vel etiam, si copia ciborum fractum ventriculi robur sollicitant, febres malignas sibi contrahunt.

## §. XXIII.

Uti in diuturnum tempus producta inedia perspirationem remoratur: ita corpore decenter rursus nutritio, copiosius perspirationis excrements prouideat, ac vires magis, magisque reficiuntur.

*Scholion.*

Accedens novus ad sanguinem succus humores ad tubulos cutis excretorios protrudit, unde interceptæ, ibique stagnantes acres exrementorum reliquæ eliduntur.

## §. XXIV.

Cavendum est, ne fracto inedia corpori, copia ciborum, qui difficulter solutionis sunt, aut valentissimum, ac plenum nutrimentum præbent, iogeratur, quoniam vires corporis, & alimenta assumta justa semper inter se proportione, ac mensura conspiciæ debent.

*Scholion.*

Hippocrates Lib. 2. aph. 7. jubet: *per inediā debilitatos sensim reficere, non vi.* Et Libr. de Aliment. §. 8. inquit: *magnæ res est quantitas, solerti ratiocinatione adaptata.*

## §. XXV.

Qui ex quacunque causa aliquam sibi contraxerunt debilitatem, eos pauca salutem alimenta, & quæ facile solvuntur, & perspirationi idonea sunt, assumere oportet.

## §. XXVI.

Nocent quam maxime infirmioribus, ac diuturnam inediā passis intemperata, salsa, acria, spirituosa, cruda, ac dura, temperata vero eos egregie juvant.

*Scholion.*

Hæc enim ita comparata sunt, ut factam humorum jacturam non refarciant, sed potius eorum intendant acrimoniam; cibi vero, quibus temperies inest, succos, visques deperditas longe facilius restaurant.

## §. XXVII.

Quemadmodum nimia ciborum repletio, ac fames sanitatem affligunt, ita & nimia potus copia, ejusque defectus corporis integratit insidias struunt.

*Scholion.*

Omnia enim, quæ mediocritatis terminos egrediuntur, secundum verissimam Cœi sententiam, naturæ exosa sunt, adeoque omnium animis, qui sanitatem salvam volunt, semper observari debet aurea hæc regula: *In omnibus moderatio, & medicritas.* Sanguis enim, ut vita, ac nutritioni idoneus sit, certam, qua solidi, qua fluidi, mensuram desiderat, quæ si turbatur, vel plane invertitur, benigna etiam ac naturæ amica ejus indoles pessum eat necesse est.

## §. XXVIII.

Vitalis humorum circuitus, perque minimo-

nimorum vasorum alveos progressio, quæ continuas secretiones, & excretiones sibi coniunctas habet, plus liquidi, quam solidi postulat, quare nimia liquidorum inopia incredibile quantum sanitatem ludit.

*Scholion.*

Tres ferme partes liquidi ad unam solidi partem referendas sanguini inesse, jam supra exquisitioribus ratiociniis stabilitum est. Atque hinc facile colligitur, quod ad servandam hanc fluidi, ac solidi proportionem, major potus, quam ciborum copia assumi debeat. Ubi enim contrarium accidit, sanguini spissus, ac tenax lento inducitur, humoresque tardius in orbem circumneunt, & hac ratione obstructionibus, magnorum morborum procreaticibus, occasio subministratur.

*§. XXIX.*

Plures hominum, præsertim tamen foeminas, sufficientis potus penuria, in gravissimas subinde ægritudines præcipitat.

*Scholion.*

Verbis exprimi vix potest, quantum detrimenti afferat potus parcius, hominibus præsertim otio, ac vita sedentariæ additæ, quos inter foeminae classem ducunt. Quanta enim morborum seges inde non propullulat? Alvis contrahitur, tardius procedit transpiratio, & abdominis visceris humorum tenacitate infaciuntur, unde menstrui fluxus suppressiones, ac spasticae diuturnæ, quas hypochondriacas vocant, passiones, omniaque, quæ a scorbuto proficiuntur, mala, & interdum etiam synochæ, putridæ, ac funesta febres, satis larga messe proveniunt.

*XXX.*

Etsi ad tuendam boni sanguinis indolem major liquidi quam solidi quantitas requiratur; est tamen, ubi etiam mediocritatis leges transcendit possunt, existente imprimitu potu incongruo.

*Scholion.*

Congruum potum constituunt aqua pura, ac laudabilis, omnesque potus temperati, quorum usus, si intra modum est, non facile aliquod corpori incommodum afferat. Incongrui potus nobis audiunt cœtrisia crassa, vinum ac spiritus vini, a

quorum copioso, & frequenti usu, nunquam non insignis noxa exspectanda est.

**C A P U T VIII.**

*De excretionibus ad vita, ac sanitatis tutelam necessariis.*

*§. I.*

**T**Otius vita, ac sanitatis fundamen-tum perpetuis ingestionibus, & egestionibus superstructum est, ac tota machinæ humanæ structura organica eum in finem ita est comparata, ut ex ingestis, prævia solutione, boni, ac laudabiles succi ad sanguinem redundant, & omnia superflua, & inutilia e corpore eliminentur.

*Scholion.*

Vitalem corporis nostri conservatio-nem, omnesque actiones animales, motu sanguinis, omniumque fluidorum perfici, jam supra solidis rationibus adstructum est. Quum autem motui progressivo calor quasi perpetuus comes adjunctus sit, qui sanguini infert mutationem, dum humores dulces, pingues, ac gelatinosos intensiori agitatione resolvit, qui exinde a naturali sua temperie deflectunt, inque sal-sas, sulphureas, mucidas, & a corpore plane alienas fordes degenerant; eam ob rationem necesse est, ut humores tem-perie exuti per diversa emunctoria e corpore ejiciantur, quorum in locum novi, ac re-centes succi, corpori, ac nutritioni appri-mate utiles, surrogari debent. Ad oculum exinde patet, summa ingestionum, & excretionum utilitas.

*§. II.*

Eadem materiæ quantitas, quæ ingesta fuit, e corpore jam plene, ac perfecte adulto rursus excerni deberet.

*§. III.*

Homo omni parte sanus, & corpus la-bore exercens ultra viginti sape libras ex-potentis, & esculentis quotidie assumit, quum tamen ejus corpori nulla fiat ponde-ris accessio. Penitus ergo manifestum est, ingestorum, & egestorum quantitatem exactissime inter se invicem convenire.

## Scholion.

Totius medicinæ cardo maxime in eo vertitur, ut medicus ad ingestorum, & egestorum rationem prudenter respiciat. Prout enim mutuae ingestiones, & egestiones in corpore celebrantur, ita etiam stat, vel cadit sanitas; siquidem ab incongrua ingestione, & inconvenienti excretione, morbi maxima ex parte suam trahunt originem. Ipsa quoque natura in morborum amolitione excretionum beneficio utitur, quippe cuius motus adiuncti eo potissimum collineant, ut excrementitiae fordes, quæ morbum accendant, ex ambitu corporis exturbentur. Quare medicum, apud quem valetudinis, & tuendæ, & restaurandæ cura excubat, illud imprimis agere oportet, ut excretorios naturæ conatus rimetur, eosque, si rei necessitas exigat, decenti opera adjuvet, & ad finem salutarem sapienter dirigat. Quia in re qui sufficienter exercitatus est, ille veri medici officio summa cum laude perfungitur.

## §. IV.

Quemadmodum corpus humanum ex quatuor potissimum elementis mixtum est, terrea nimirum, aqua, salina, & pingui, seu oleosa parte: ita etiam producta ex his excrements, ad quatuor imprimis classes reduci posunt.

## §. V.

Inutiles, ac superflui humores per alvum, urinam, perspirationem, sudorem, sputum, & mucum narium, a corpore removentur.

## §. VI.

Alvus fordes præcipue crassiores, vistidas, terrestres, ac mucidas e corpore excludit: urina serum superfluum, cum falso, ac sulphureo principio, rudiori, & crassiori, evexit: transpiratio fluidum tenui, & subtile sal, ac sulphur eliminat; mucus vero narium partes viscosas, terra, & aqua mixtas, ab utilium humorum confortio abalienat.

## §. VII.

Per alvum non modo ciborum fæces, & scoriae, sed & bilis, quæ satis copiose ad intestina affluit, partes terreæ, & crassiores, una cum muco, quem intesti-

norum glandulæ largius plorant, ejiciuntur.

## §. VIII.

Alvi purgamenta ex viscida, & solidiore materia constant; hinc in procinctu est ratio, quare diuturniori retentione, aucto que corporis calore, duritiem induant.

## §. IX.

Nimia alvi retentio magnam humoribus conciliat impuritatem, dum fordes excrementitiae, vel mora in pejorem in dolem ruunt, vel etiam per intestinorum poros, actubulos ad sanguinem revertuntur. Quam ob rationem omni modo laborandum est, ut alvus sanitatis tuendæ causa quotidie semel, vel repetita vice, suum faciat officium.

## §. X.

Ex physiologicis perspectum est, bilem alvinæ excretionis esse stimulum; idcirco biliosus humor, vel deficiens, vel male constitutus, augeri, vel emendari debet.

## Scholion.

Optime hoc præstat auctior motus corporis, qui humidi superfluum absimit, tenacitatem humorum attenuat, ipsamque bilem egregie corrigit. Pertinent huc etiam cibi aromatibus, & sale conditi, omniaque amara, quæ bilis efficaciam insigniter acuunt.

## §. XI.

Labascente, & segniori facto motu intestinorum peristaltico, alvinarum fecum exclusio retardatur.

## Scholion.

Motum ventriculi, & intestinorum peristalticum, alimentorum reliquias, per intestinali tubum ad anum usque devovere, jam alio loco demonstratum est. Fractum vero intestinorum motum excitant medicamenta maxime salina, ut saltum Glauberianum, nitrum, arcanum duplicatum, & tartarus vitriolatus. Ex laxantibus eminent pilulae, quas aloë in refracta dosi ingreditur, & quæ ad Becheri exemplum confectæ sunt. Ex alimentis autem hoc spectant omnes cibi acres, falsi, as dulces, qui paulo majori in copia assunti alvum egregie ducent, eamque numquam non laxiorem servant.

## §. XII.

## §. XII.

Humida alvum insigniter fundunt, & alvinarum fæcum descensum magnopere adjuvant, ideo sufficiens potus quantitas, ad digerendam alvum, præcipue commendanda est.

## §. XIII.

Qui alvi beneficium quotidie experiri volunt, eos a parciori potu, a cibis duris, adstringentibus, acidis, viscidis, mœmore, nimiaque voracitate, & frequenter spiritu vini usu, abstinere decet.

## §. XIV.

Ut nimia alvi durius plurimum sanitati adversatur; ita nimia ejus laxitas, seu crebrior dejectio neutiquam pro sanitate est.

*Scholion.*

Qui alvum fluxam, ac citatiorem habent, eos omnia stimulantia evitare oportet, quorum in numero sunt cibi nimium saliti, acres, fermentescibiles, dulces, aromatibus large conditi, & pingues, quibus etiam ex affectibus ira adjungenda est. Sub nimia vero alvi laxitate, ad diluendum acrimoniam, potius absorbentia, ac diluentia, sive desperditus intestinorum tonus in causa est, temperata balsamica convenient.

## §. XV.

Urinæ fluxus succos serosos salino-sulphureos e corpore subducit.

## §. XVI.

Urina, quæ sub integro corporis statu redditur, non nimis tenuis, alba, aut copiosa, nec nimis parca, & saturato colore tincta esse debet. Optimum vero sanitatis vigorem ea indicat, quæ vini Rhenani colorem refert.

*Scholion.*

Urina, quæ tam ratione coloris, & quantitatis, quam consistentiæ, a natura statu deflectit, sanguinis, ac humorum, & motum, & temperiem depravatam designat. Nimis enim aquosa, ac tenuis, calorem cum ventriculi, tum totius corporis, depresso patefacit. Nimis vero crassa, colorata, ac sedimentum deponens, caloris austri, humidique deficients index est. Hinc nitrosa, humectantia, ac diluentia, admodum accommodata sunt,

ab omnibus vero spirituosis, & calidioribus abstinentibus est. Quando urina non bene redditur, tunc morbi ex sero falso, acri propullantes, ut catarrhi, rheumatismi, calculi, tumores cum cachexia, exspectandi sunt. Hinc semper omni cura providendum, ut liberior, satisque copiosa sit urinæ profusio. Urinam vero majorem in modum movent cerevisiae tenues, infusa calida, ex alimentis radix asparagi, fraga, mala persica, petroselinum, pastinaca, ranunculi, cepæ, fructus cynobati, bacca juniperi, semen anisi, fenniculi, lac, ejusque serum, semina quatuor frigida majora, & id genus alia.

## §. XVII.

Transpiratio maxime omnium imporas, & excrementias fordes e corpore evehit, serum tenue halituosum salino-sulphureum per cutaneos poros elidendo.

*Scholion.*

Hoc enim intra corpus retentum, facile putridas humoribus inducit corruptiones, & febres mali moris accedit, vel etiam seri fæsi decubitus, rheumatismos, diarrhoeas, catarrhales febres, cutisque exulcerationes excitat. Optime profecto annotavit *Sanctorius*, perspirationem omnibus reliquis excretionibus, quibus humanum corpus perfungitur, antecellere; si quidem eas non modo excrementorum pondere, in primis in calidioribus regionibus superat, sed corpus etiam ab iis fordinibus immune reddit, quæ intus relicit multas graves injurias sanitati machinatur.

## §. XVIII.

Curandum est, ut perspiratio, omnium excretionum præcipua, rite semper succedit, ne halituosæ fordes, quæ expelli debent, interceptæ, aliorum, cum insigni sanitatis dispendio, divertantur.

*Scholion.*

Perspirationem inhibit, ac retro vertunt externum frigus, subita aeris, ac tempestatum mutatio, cibi acidi ac difficulter solubiles, inque copia assumti, inquietus animi, & nimia alvi evaeuatio.

## §. XIX.

Transpirationi favent aer purus, serenus, ac siccus, cibi solubiles, ac molles, mode-

moderatus motus , ex affectibus lætitia , mentisque tranquillitas , somnus , septem vel octo horis finitus , & qui corpore contra externum aere stragulis probe munito capit . Juvant quoque potus levior , ac tenuis , infusa herbarum cum aqua calida , panis bene fermentatus , & frictiones .

## §. XX.

Quemadmodum a partibus sanitatis semper stat mediocritas : ita etiam insensibilis hæc cutis excretio magnopere sanitati conducit , si moderate se habet . Nimia enim perspiratio universo corpori vires detrahit ; depressior autem humoribus inducit putredinem .

*Scholion.*

Prædala sunt , quæ Hippocrates Sect. 7. aph. 66. & 67. ita prodit : qualia sint , quæ per urinam , & alvum exeunt , & quæ per carnes abeunt , spectare oportet : nam si pauca , parvus morbus est , si multa , magnus , si valde multa , jam erit perniciendum . Et Libr. de Insomn. §. 11. scribit : sanitatem hominis designat , & corpus se recte habere , omnes circuitus , & excretiones , & secretiones salvas , & integras esse .

## §. XXI.

Non inutiles tantum , ac superflui humores e corpore amoveri debent , sed utiles etiam , & laudabiles succi , si eorum adest redundantia , magna cum opportunitate e corpore exterminantur . Seminis ipsiusque sanguinis tam per uteri , quam ani venas rejectio sanitati maximum sæpe adjumentum assert .

## §. XXII.

Frequenti experientia cognitum habemus , nimiam semenis retentionem corpori inertiam , ac torporem inducere , & molestis sæpe nervorum affectibus primam dare ogenem .

## §. XXIII.

Seminalis liquor delibarissimus , quasi flos sanguinis , ac liquidi nervorum est , hinc diligenter circumspiciendum , ne immoderata ejus excretio sanitatem offendat .

*Scholion.*

Seminis ejectio sanum , ac vegetum corpus desiderat , quia vires exhaustit , &

corpus necessario robore defraudat . Quare rogatus Pythagoras , quando celebrandus esset concubitus ? sapienter respondit : tunc , quando te ipso vis infirmior fieri ; teste Laertio in Vit. Pythag . Eamque ob rationem imbecillioribus , pueris , & qui pro vestigatoris ætatis sunt , vel non ita pridem cum morbo in gratiam redierunt , veneris usus saluberrimo consilio dissuadetur . Neque sanitati suæ consulunt , qui post graves animi labores , agitationes , ac vigilias , veneri indolent , quippe qua ratione ingentem corpori debilitatem contrahunt . Quum autem veneris exercitium non nisi vegeto , & valentissimo corpori conveniat , hinc ejus usus ventriculo imprimis depleto , facta perspiratione , post somnum quietum , balneum , cibi facile solubilis , beneque nutrientis assumptionem , & quod caput rei est , tempore potissimum vernali , sanitati quam maxime opportunus est . Hæc omnia enim ejusmodi sunt , ut amissum robur instaurent , & pristinum corpori vigorem restituant , adeoque veneris exercitio egregie velificentur . Qui denique veneri frequentius litare volet , eum vitare oportet omnes crapulas , inediā , labores , studiorum intemperiantiam , venæ sectiones , vigilias , purgationes , & omnia , quæ vires ullo modo frangere , aut destruere , possunt .

## §. XXIV.

Veneris exercitium , ex Celsi sententia , non inutile est , quod corporis neque languor , nec dolor sequitur , sed quod corpus excitat , viresque non opprimit . Cavendum tamen est , ne venerem cibus , vel labor cum vigilia , statim excipiatur .

## §. XXV.

Ut moderatio in tuaenda sanitate per omnia plurimum valet , ita ejusdem quoque ratio in convenientis veneris usu habenda est .

*Scholion.*

Unumquemque vires suas metiri decet , ut quid valeant , quidve ferre recusent , perspectum habere possit : pro harum enim conditione moderatio instituenda est . Nam qui robustus est , omnique ex parte valet , ille sine ullo sanitatis dispendio ve- neri indulgere potest , quæ tamen alium ,

minori robore instructum, insigniter debilitat.

### §. XXVI.

Providens natura maxime in eo occupata est, ut omne nimium, quod sanitati inficiatur, e corpore proscriptat. Atque hinc nocentem materiam non modo ordinariis motibus aggreditur, sed & novas saxe, & insolitas affectat vias, quibus, vel qualitate, vel abundantia, sibi molestos humores e corpore protrudere, & amoliri possit.

### §. XXVII.

Homo ut plurimum majorem, quam pro sanitate, alimentorum copiamingerit, eamque ob causam superfluos saxe humores in venis alit, hinc natura ad commune protelandum exitum sese accingit, & extraordinarios producit motus, quibus insurgens, omne superfluum, & quicquid noxam minatur, e corporis divisorio profligat, & excutit.

### §. XXVIII.

In sequiori sexu, intra mensis spatum superfluus collectus sanguis, per uteri, ejusque vaginæ venas insigni cum sanitatis emolumento evacuatur; siquidem ab hac evacuatione turbata, vel penitus oppressa, multorum morborum, graviumque symptomatum, quibuscum mollior sexus subinde conflictatur, origo derivanda est.

#### Scholion.

Quoniam hæc sanguinis rejectio foemino generi non minus familiaris, quam salutaris est, hinc nullo modo prohibenda, vel perturbanda, sed summo potius studio servanda est. Si enim hoc genitale profluviū modum excedit, moderandum, ac coercendum est, sin plane deficit, arte prioritari, inque ordinem redigi debet.

### §. XXIX.

Sanitas muliebris sexus ab hac evacuatione maxime dependet; idcirco foeminas eam vivendi rationem colere, & amplecti decet, quæ promovendæ huic excretioni accommodata est.

#### Scholion.

Ut salutaris hic fluxus sanguinis rite, & ordine procedat, caveant sibi foeminae

ab omni graviori animi commotione, ira, terrore, mœstitia diurna; fugiant etiam frigoris injurias, frigidasque potionis, & ex alimentis, cibos acidos, duros, flatulentos, & qui ventriculo solventi negotium exhibent. Juvat vero quam maxime potus aquarum calidarum, quibus herbe infusa fuerunt, sanguini fluiditatem conciliare, cibis mollieribus uti, corpus moderate movere, semperque animum eo advertere, ut salutaris perspiratio salva, & integra conservetur.

### §. XXX.

Nobilior sexus solenni quoque excretioni obnoxius est, qua sanguis, ex liberiori victu, ac motus intermissione, plenius & redundanter in corpore collectus, per venas hemorrhoidales, statim quibusdam temporibus, imprimis autem vere, & autumno, salutarem prorsus in finem foras ejicitur.

#### Scholion.

Hæmorrhoidalem fluxum plerisque patiuntur plethorici, qui exinde haud exiguum levamen sentiunt; quam ob causam quoque salutaris hæc sanguinis profusio a Germanis satis splendida appellatione, die guldene Ader, insignita est. Adeoque provideri oportet, ne utilissima hæc sanguinis depletio ulla ratione intercipiatur.

### §. XXXI.

Sanguinis, quamlibet sinceri, ac laudabilis, per ani venas rejectionem, ingens corpori afferre emolumentum, vel ex eo clarum, ac perspicuum evadit, quia homines, salutari hoc fluxu turbato, vel penitus suppresso, gravissimis subinde passionibus corripiuntur.

#### Scholion.

Oriuntur inde chronicæ, & periculi plenæ ægritudines, hydrops, asthmata, apoplexia, aphonia, tormina ventris, & plura ejus generis incommoda, quæ solennes sanguinis evacuationes suppressas presso pede insequuntur.

### §. XXXII.

Natura alias quoque exquirit vias, quibus se nimia sanguinis abundantia exoneret; siquidem in puerili, ac juvenili ætate, ut plurimum sanguinis per nares profusionem molitur.

#### Scho-

*Scholion.*

Sanguinis per nares fluxiones teneriori etati familiares sunt, ac saepe salutaris crises vicem sustinent, quæ etiam interdum ad provectionem etatem usque continuantur. Hinc liquidissime appetet ratio, quare ejusmodi sanguinis profusiones, nisi homines in apertum sanitatis, ac vitae discrimen adducere velimus, nunquam sufflaminari, aut plane intercipi debeant.

**§. XXXIII.**

Neque vero solum providentia naturæ accidit, ut suprabundans sanguinis sincera copia e corpore proscribatur, sed eadem quoque tales adornat motus, quibus superfluum serosi humoris quantitatem sanguini detrahitur.

*Scholion.*

Non raro evenit, ut homines exundante sero repleti, per aliquot dies alvum fluoram, solitoque molliorem experiantur, quæ tamen copiose dejectiones eorum sanitati admodum opportunæ, ac fructuose sunt. Hinc neutiquam ratione desistitur Celsi hac de re judicium, quod Libr. II. cap. 4. hunc in modum proponit: una die fluere alvum, quin & pluribus, saepe prævalitudine est, modo ab sit febris, & intra septimum diem conquescat.

**§. XXXIV.**

Quandoque etiam seri fali superfluum largius per urinam ejicitur.

*Scholion.*

Notatu digna sunt, quæ hac de re tradidit Sanctorius part. I. aphor. 65. 66. corpora, inquiens, sana & moderatissimo viciu utentia, singulis mensibus sunt ponderosiora, ita, ut ad duas libras pondus crescant. Redeunt autem ad consuetum pondus circa finem mensis ad instar mulierum, facta crisi per urinam paulo copiosiorem, & turbidorem, precedente capitum gravitate, vel corporis laßitudine, que paulo copioso ri urina separata, protinus sedantur.

**§. XXXV.**

Est etiam solennis fali seri evacuatio, quam natura vernali, & autumnali maxime tempore, per nares, asperamque arteriam in catarrhis, coryza, ac tulli instituit.

*Scholion.*

Præcedentibus enim corporis gravitate, horrore, & calore, quasi febrem in modum auctio, ingens seri copia, saepe per aliquot dies, cum insigni sanitatis allevamento, ejicitur.

**§. XXXVI.**

In quibusdam natura certo noctis, vel anni tempore, copiosum sudorem amat effundere; quæ tamen evacuatio nullam post se relinquit lassitudinem, sed potius vires mirifice erigit.

**§. XXXVII.**

Ad salutares naturæ excretiones referri debent crusta infantum lactea, tinea capitatis, scabies, purpura, in foeminas fluor albus, quibus se natura ab humoribus excrementitiis, falsis, acribus, & corruptis vindicat.

*Scholion.*

Recensitæ excretiones in se neutriquam insalutares appellandæ sunt, dum corpus a pravis humoribus liberant. Hinc nemini non potest esse perspicuum, quam graves ii committant errores, qui has evacuaciones externis constringentibus cohibere moluntur. Siquidem materia, a qua omnis mali origo defluit, retro in corpus versa, longe graviores symptomatum exacerbationes producit.

## C A P U T I X.

## De motu optimo sanitatis præsidio.

**§. I.**

**N**ihil est, quod utilissimam superfluui, & nocentis humidi perspirationem tam egregie juvet, quam motus, corporis que exercitatio, quæ tuendæ sanitatis via præsentius datur auxilium.

*Scholion.*

Ad sanitatis conservationem maximum momentum habent excretiones, quarum princeps est insensibilis perspiratio, id quod in superioribus fuse deductum est. Quom vero insensibilis perspiratio, secundum Sanctorii calculum, plus intra diem evacuet, quam reliquæ excretiones omnes

e corpore evehunt, hinc magnam ejus vim esse, cum in tuenda sanitatem, tum in morbis arcendis, recte colligitur.

## §. II.

Perspiratio a sanguinis circulo dependet, quare quae illum, vel celerem reddunt, vel tardiorum, ea salutarem hanc evacuationem, vel augmentum, vel minuant.

*Scholion.*

Tubuli subcutanei excrementum halituum salfo-sulphureum a sanguine segregant, idque per cutis meatus a corpore divellunt. Quo major itaque sanguinis ad cutaneum hoc colatorium affluxus est, eo major quoque copia halitiosi seri vitalibus succis detrahitur. Quo languidior vero sanguinis appulsus est, eo minus etiam secernendae materiae suppeditatur.

## §. III.

Sub motu musculares partium fibræ stringuntur, unde accedit, ut fluida majori nisi impulsa, citiori cursu per vasorum progrediantur. Quo frequentior ergo, & copiosior sanguinis est per vasorum ad cor affluxus, eo major sit hujus expansio, quo major ejus expansio, eo validior contracatio subsequitur; quare dum sanguis sanguinem trudit, universa humorum massa vehementiori cursu per vasorum alveos devolvitur.

*Scholion.*

Quum diastolen excipiat systole, & haec illam vice versa subsequatur, causa in aprico est, quare una saltē corporis parte vehementius commota, circulus sanguinis in universo corpore intensior fiat, & hoc calore perfundatur, ipsaque perspiratio promptius succedat.

## §. IV.

Motus ac labor, quo sanguinis in orbem progressum vehementius intendit, eo magis transpirationi velificatur, eamque depressam excitat.

*Scholion.*

Motum ac laborem sanguinis circuitum accelerare, inter alia testatur calor, qui eo plus increscit, quo rapidius sanguis per vasum fertur. Jam vero tam notum est, quam quod notissimum, calorem a motu sanguinis, cum progressivo, tum intessuno, auctiori proficiunt. Testes sunt febres,

quibus ob celeriorem sanguinis circulum, quem pulsuum celeritas indicat, admodum intensus calor adjunctus est. Præterea quotidiana experientia nos docet, frigoris hiberni saevitiam vix sensum imprimere corporibus, quæ laborioso motu exercentur.

## §. V.

Motus, quia sanguinis circulum auctiorem reddit, eum non modo attenuat, multasque fordes ex humoribus detergit, sed vacillantem quoque appetitum excitat, vires collapsas erigit, & tam animo, quam corpori, vigorem conciliat.

*Scholion.*

Per ipsam experientiam satis manifesti sunt insignes effectus, qui ex motu in corpus redundant. Neque vero eximiū hi effectus aliunde, quam ab auctiori sanguinis, & humorum circuitu proficiuntur. Motus enim humores non modo tenues, ac fluidos reddit, sed eos quoque in ventriculum, ac digestionis officinam impellit, inque omnes musculos, ac fibras motrices copia majori insinuat; hinc appetitus acuitur, & robur corporis insigne augmentum capit, id quod a sufficiente boni sanguinis influxu maxime dependere, in physiologicis jam satis, superque demonstratum est.

## §. VI.

Aucta transpiratio corporis gravitati multum detrahit, quia magna humorum quantitas diffatetur.

*Scholion.*

Præclare *Sanctorius Libr. de Motu, & Quietie §. 9. exercitio*, inquit, corpora leviora fiunt; omnes enim partes, præcipue musculi, & ligamenta, motu ab excrementis purgantur, perspirabile ad exhalationem preparatur, & spiritus tenuiores fiunt.

## §. VII.

Non datur præsentius ad tuendam sanitatem, morbosque avertendos motu, & exercitatione corporis remedium.

*Scholion.*

Homines laboribus dediti a multis gravibus, ac chronicis passionibus, calculo, podagra, arthritide, quartana, malo hypochondriaco, cachexia, scorbuto, hydrope, plerumque immunes degunt. Nihil magis enim sanitati adversatur, quam diu.

diuturna quies, ac vita sedentaria cum humidi defectu; cui si quis se totum tradit, facillime ejusmodi morbis corripitur, qui ab humorum copia æque, ac impuritate, eorumque stagnatione, infarctu, & obstructione in visceribus suam originem trahunt; quorum tamen omnium præservatio quam maxime in motu querenda est. Motus enim exundantem humorum copiam consumit, eosque ab excrementiis sordibus probe depurat. Deinde fluiditatem humoribus conciliando, eosque fortius per vasa impellendo, tenuissimorum tubolorum alveos apertos servat, quibus occlusis, conferta morborum agmina producuntur. Denique etiam subtilitatem, ac spumescientiam humoribus scēnat, & solidorum robur instaurat, unde universa corporis natura a motu roboraatur..

## §. VIII.

Motus aliorum remediiorum viribus, in custodienda sanitate, morbisque profigandis, longissime antecellit..

*Scholion.*

Motus sane universalem medicinam constituit, neque eo excellentius datur in rerum natura remedium, a quo tam exigua proflus beneficia in corpus humanum redundant; siquidem omnes propemodum evacuationes, citra ullam virium jacturam, mirifice promovet. Quod intelligens Galenus Com. 11. §. 4. exercitatio, ait, supplet purgationem vitiosorum humorum, qui in corporis profundo sunt. Cui suffragari videtur lape laudatus Sanctorius, qui loc. citat, sic prodidit: *Si homines exercitio, ac labore uterentur, carere possent multis medicis, & medicamentis.* Atque hinc Verulamius Lib. 4. de Augment. Scient. cap. 1. moneret, *vix aliquam in morbum inclinationem inveniri, qua non exercitatione quadam propria corrigi posse.* Dicente enim Avicenna Libr. 1. F. E. N. cap. 1. *possent homines, si debito tempore exercitio, ac labore uterentur, omnibus medicis carere, & medicamentis.* Quam ob causam neminem tenere debet admiratio, quare motus ipsum quoque animum afficere possit. Quum enim motus in universo corpore insigniter salubres producat effe-

ctus, fieri non potest, quin ipse quoque animus ob intimam, qua corpori conjunctus est, consociationem, aliquid mutationis inde sentiat. Hinc satis recte Platinus Lib. de Tuen. Valerud. pag. 145. scribit: *Stomachus motu, in quo calor inest, ad appetitum excitatur, & mens ad cognitionem rerum occultarum, & mirabilium celerior, & acutior redditur. Mirum quoque est, inquit, Plinius Epist. 6. Libr. 1. quam animus agitatione, & motu corporis excitetur.* Et Seneca de Tranquillitate Lib. 1. pag. 56. affirmit, *quod eorum animus, qui in aperto aere ambulant, sese attollat.*

## §. IX.

Variae sunt motus species, quarum quilibet peculiarem in corpus humanum vim habet, eique tam emolumentum, quam noxiam inferre potest. Hinc medicus omnium earum vires, ac proprietates prospexitas habeat necesse est.

## §. X.

Ad motus species referri debent deambulatio in plano, ambulatio maxime per acclivia, cursus, equitatio, globorum lusus, palæstra, navigatio, pilæ parvæ lusus, saltatio, vectura, gestatio, venatio, peregrinatio, sermo, clamor, & motus, qui manuum agitatione peragitur.

## §. XI.

Omnium levissima species est deambulatio in plano..

*Scholion.*

Hæc etiam post cibum sumtum leniter instituta, nullam omnino noxiam afferit, & literatis maxime proficia est. Eadem multum debet esse commendata in stomachi vitis, quoniam corpus ab omnibus cruditatibus, & alvi obstructionibus vindicat. Præterea hoc etiam præstat deambulatio, ut animus inde acuator simul, seque attollat. Vid. Verulam. Libr. 4. de Augment. Scient.

*Scholion.*

Cursus, pilæ parvæ lusus, ac saltatio, vehementiori motu peraguntur, atque hinc maxime nocent corporibus, quorum venæ sanguine crasso, & copioso turgent.

*Scholion.*

Copiosus enim, & crassus sanguis, cum impetu impulsus, vascula quam facilime aperit, vel ut stans ibi concepit, efficit. Quam ob rem caveant sibi ab hac corporis exercitatione omnes cholericis, ac sanguine pleni, macilenti inque iram proclives, qui pectus angustum habent, & foeminae, quæ uterum farunt. Exinde enim graves inflammations, sanguinis profusiones, & abortus proficiunt, satis compertum est.

*§. XIII.*

Equitatio maxime chronicis malis dictata est, adeoque omnium maxime quadrat hypochondriacis, & qui visceris copiosis, & crassis humoribus infarta habent.

*Scholion.*

Equitatio, in leniorem gradariam, & graviorem, seu succussantem, merito distinguenda est. Illa huic salubritate anteponenda est; nihilominus tamen & hypochondriacis convenient succussatio, quoniam maximus impetus ventrem imprimis inferiorem ferit, unde non modo mesenterii, & intestinalium glandularum obstructions referantur, sed & humores in viscerum tubulis hinc inde stagnantes discutiuntur. Præterea quoque equitatio ventriculi, & intestinalium calorem accendit, & sanguini pristinum vigorem restituit.

*§. XIV.*

Gradaria equitatio, quia æquali nisu omnes partes tangit, citra ullum vi- rium decrementum, ac lassitudinem; universo corpori proficia est, perspirationem imprimis æqualiter promovendo, unde vultus vivido colore suffunditur, animus nova quasi alacritate exsurgit, ipseque etiam appetitus acuitur.

*§. XV.*

Equitationi postponenda omnino sunt allorum remediorum vires, quæ in dispositione phthisica, hectica, scorbutica & cachectica, alias utramque paginam facere putantur.

*Scholion.*

Hoc: Sydenhamus, aliquique ex recentioribus frequentis experientia fide, &

solidis rationibus penitus confirmarunt: Neque enim erubescunt astlerere, recentis in passionibus, equitationem omnibus aliis remedii esse superiorem. Auxiliatur imprimis imbecilles, nec ita pridem e morbo expeditos, qui ob insignem virium jaeturam, corpus exercendi facultate destituuntur. Commodo hoc referri potest locus apud Oribasium Lib. 4. cap. 24. qui ita habet: Equitatio magis, quam omnes reliquæ exercitaciones, corpus præservat, stomachum confimat, & sensuum organa purgat, eaque reddit acutiora.

*§. XVI.*

Vestra hypochondriacis singulariter accommodata est, & corpus præcipue a tardis passionibus vindicat; expedit etiam his, quibus infractum corporis robur vehementiorem motuum interdit.

*§. XVII.*

Vestra viscerum compagem mollier concutit, & hac ratione humorum decubitus, & stagnationem, quæ vasis venæ portæ admodum familiares sunt, resolvit, ac dissipat.

*§. XVIII.*

Peregrinatio ad omnium salubritatem pertinet, quia non modo cum continuo motu, sed frequentiori etiam aeris in salubris in salubriorem mutatione conjuncta est; quæ tuendæ sanitati, & corpori a pluribus morbis defendendo egredie velificantur.

*Scholion.*

Veteribus pro tuenda valetudine maximo in pretio erant peregrinationes, quas suscipiebant in loca juvandæ sanitati opportuna, temperata nimirum, & montosa, ubi aer purior, magisque sincerus spirabat. Perspectissimum enim ipsis erat, peregrinationem non modo sanguinis juvare circuitum, sed usuram quoque puri, & intaminati aeris, desperditum solidorum robur, & elaterem mirum in modum restaurare, quam in rem plura commentati sumus in peculiari dissertatione de peregrinationibus sanitatis causa instituendis. Ratio, quæ peregrinationes tuendæ sanitatis causa susci-

fusciendas suaderet, præcipua hæc est, qu'a animus alias gravioribus curis intentus, paululum tunc temporis relaxatur, dumque frequens novarum rerum varietas oculos pascit, & animum ad sui contemplationem blande invitat, mens etiam tranquillior evadit, omnesque ex eo sollicitudines exulant. Quantum vero animi tranquillitas sanitati præsidium ferat, jam supra dilucidius declaratum est.

## §. XIX.

Sermo, seu claræ vocis exercitium, peculiarem quoque motus speciem constituit.

*Scholion.*

Veteres intensiorem vocis exercitatem iis, qui ob membrorum, præcipue vero pedum, debilitatem a motu ac labore prohibebantur, mirifice commendabant. Vocis enim contentio sanguinis iter, & cursum per universum corpus accelerat, & hac ratione, & calorem, & perspirationem, auget. Continuata enim per tempus aliquod clara vocis prolatio respiracionem intendit, unde sanguinis itus, ac redditus, majori facto per pulmones impulsu, ex uno ventriculo in alterum, & hoc modo per universi corporis compaginem, celestius absolvitur. Sanguinem vero in iis, qui vocis exercitio utuntur, celerius per vasa devolvi, testimonio esse possunt concessionatores, qui dum lyeme e suggestu magna vocis, & laterum contentione sermones faciunt, calore, & rubore perfunduntur, audientibus interea præ vehementi frigore trementibus.

## §. XX.

Vocis exercitatio præcipue in usu esse debet literatis, & qui ex ventriculi debilitate laborant.

*Scholion.*

Qui studiis vacant, iis nulla motionum species accommodator est, quam deambulatio, & claræ vocis pronunciatio, quæ stomachi vitiis, quibus serii Musarum cultores plerumque obnoxii sunt, adversa, neque ab instituenda meditatione aliena est. Vocis autem exercitationem ventriculi integratam præsidio esse veteres unanimi sententia confirmant. Hippocrates Libr. 3. de Dieta §. 23. ita suam hac de re sententiam exponit: *vocis exercitatio a bona val-*

Tom. I.

*de commoda est.* Et Libr. de insomniis §. 3<sup>a</sup> vocis exercitio repletus utatur, jubet. Celsus Lib. 1. cap. 8. claram vocem in stomachi vitiis magnopere laudat. Instar omnium vero est gravis auctor, Plutarchus, qui Oper. Tom. 2. pag. 130. ita differit: *Usus sermonis voce pronunciati quotidianus mirum dictu quam utile sit genus exercitationis non ad sanitatem dumtaxat, sed & ad vires, non quidem athleticas eas, aut que carnes augeant, sed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ potissimum facultas est, naturale robur, verumque vi-gorem ingenerat.*

## §. XXI.

Sermonis usus stomachi vitiis expedit, quia majorem sanguinis ad ventriculi parietes influxum, adeoque secretionem salivalis succi, præstat uberiorem. Deinde, quia iterum, iterumque repetita diaphragmatis commotione, abdominis viscera leniter conquassantur, evenit utique, ut crebrior vocis exercitatio stagnantes intra viscerum diverticula humores, qui acidis cruditatibus somitem præbent, egestie discutiat.

*Scholion.*

Polchre Aetius Sermon. 3. cap. 5. Scribit: *vox egregie convenit stomacho laborantibus, & acidum eructantibus.* Siquidem cruditates acidæ, & hypochondriacæ, ex acida colluvie intra ventriculum collecta maxima ex parte oriuntur.

## §. XXII.

Quemadmodum moderata vocis exercitatio apprime fructuosa est sanitati, ita nimia vocis intensio, & sine ulla intermissione continuata, capiti præsertim infesta est, quia sanguinis impetu ad illud urget.

*Scholion.*

Quare Aretius Lib. 1. Curat. Chron. cap. 11. monet, ne temere quis gravibus vocibus utatur, quia acutæ voces capitis distensiones, temporum palpitationem, cerebri pulsationes, oculorum inflammations, auriumque tinnitus efficiunt. mediocris vero ejus usus capiti prodest. Et Aetius loc. citat. tradit, capitis affectionibus incommodissima est vociferatio. Montanus Lib. 2. cap. 2. eandem sententiam fovet, *vix est, in-*

M 3

quiens,

quiens, multum efficax ad caput replendum.  
¶ Omnes partes superiores. Vidimus multos autem tinnitus, surditatem, & haemoptysin sibi ita contraxisse.

## §. XXIII.

Caveant sibi a nimia vociferatione omnes plethorici, sanguinei, & quibus ebulliens sanguis magno impetu ad caput vibratur.

*Scholion.*

Hoc cognitum est facillimum ex facie rubicunda, tumida, vehementi temporum pulsu, capitum dolore, & sanguinis per narres profusione. Tales enim perquam facile in cæcitatem, surditatem, aut apoplexiā, facta vasis cuiusdam ruptione, incidunt.

## §. XXIV.

In lenissimis corporis commotionibus locum quoque sibi vindicat gestatio, quæ vel in nave, vel lectica instituitur.

## §. XXV.

Ad motus speciem, quæ perspirationi promovendæ plurimum velificatur, frictio quoque referenda est; a cuius frequenti usu, senes maxime, & languentes, non spernendum sanitatis præsidium exspectare possunt.

## §. XXVI.

Frictio poros cutis patulos, & apertos reddit, auctoque calore, majorem sanguinis influxum allicit, & sanguinem attenuando, ejus cursum accelerat, qua ratione juvandæ perspirationi commodissime interficit.

## §. XXVII.

Frictio valde amica est ventriculo, cuius languenti digestioni egregie succurrit.

*Scholion.*

Hinc Celsus Lib. 4. cap. 6. ¶ 13. prolixus suadet, ut frictione brachiorum, & crurum, ad emendandas stomachi affectiones, ter, vel quater de dig., celebrentur. Frictio enim majorem sanguinis affluxum, a quo vis solutionis maxime dependet, ad digestionis officinam invitat.

## §. XXVIII.

Frictiones instituendæ sunt molles, ac prolixiores, ita ut per universam cutim blandus calor provocetur.

## §. XXIX.

Gestatio, omnium exercitationum molliissima, imprimis imbecillibus quadrat, & quibus ob dejectum virium robur se ipsos movere non licet; adeoque in longis, & jam inclinatis morbis convenientissima est.

## §. XXX.

Quemadmodum motus species dantur vehementiores, temperatae, ac leniores; ita mediei prudentis est, pro rerum, & corporum diversitate, decentem eorum usum, vel suadere, vel dissuadere.

*Scholion.*

Robusta corpora, ac duro victui assueta gravis, ac laboriosos motes citra ultum incommodum ferre possunt, quibus tamen imbecilliores majorem sibi debilitatem contrahunt. Hinc potius clementiores exercitationum species, nimirum ambulatio, vectio, & vocis usus, illis imperari debent. Admodum vero imbecilles in gestationibus, & frictionibus acquiescant, necesse est.

## §. XXXI.

Moderatam corporis exercitationem natura maxime amat, immoderatior vero ipsi mirum quantum exosa est.

*Scholion.*

Sicut præstantissimum quodvis remedium magis nocumento, quam emolumento est, nisi conveniens ejus usus cum prudentia, debito ordine, ac regimine, instituatur: ita & hoc de motu tenendum est, qui pro diverso usu, & noxam, & præsidium, sanitati afferre potest. Constat enim experientia, homines pariter, ac animantia, nimio motu defatigari, visusque amittere.

## §. XXXII.

Quærenda est cuivis homini moderata, & æquabilis corporis motio, quæ liberum, & æquabilem sanguinis circuitum juvet, quæ vires alat, neutiquam vero destruet.

*Scholion.*

Quum homo ab homine ratione temperamenti, ætatum, virium, habitus corporis, anni temporum, victus & climatis, insigniter differat, hinc motus cuiusvis naturæ, & constitutioni conveniens investigandus, & imperandus est.

Quia

## §. XXXIII.

Quia magna motus vis est, & efficacia in superflua humorum quantitate consumenda, omnibusque juvandis excretionibus, ideo circumspiciendum est, ut ingestorum mensura motuum quantitas exacte respondeat.

## Scholion.

Consentit nobiscum Hippocrates, qui Lib. Epidem. 6. scite hac de re ita judicat: Qui comedit, sanus esse non potest, nisi laboret. Et libr. 1. de Dieta §. 1. contrarias, inquit, inter se vires habent cibi, ac labores. Verum inter se mixti, conferunt ad sanitatem: labores enim ea, qua insunt, consumere solent; cibi autem, & potus ea, qua evacuata sunt, explet. Quare qui mensuram, ac proportionem laborum ad ciborum multitudinem, pro diversa corporum, respectu, staturae, etatis, anni temporum, ac situs regionum constitutione, scite, & sagaciter applicare poterit, ille profecto sibi gratulandum habet, quod sumnum, & exquisitissimum tuendae sanitatis praesidium invenerit. Caput totius rei hoc est: qui multis laboribus perfungiatur, eum plus comedere, & qui plus comedit, eum frequentiori motu corpus exercere oportet. Qui vero parcus laboribus vacant, iis liberalior ciborum usus circumcidendum est. Videtur huc collineare monitum scripturae sacre, qua significanter, & explanate praecepit, ut homines, qui non laborant, nec edere debeant. Quod praeceptum neutquam ratione destituitur; labor enim magnam humorum copiam absorbet, quorum jactura facilis per cibos resarcitur, quam si multum adiuc evacuandum in corpore relictum est.

## §. XXXIV.

Corpora, quo magis succis turgent, & humiditate repleta sunt, eo majori, & constantiori motu perfungi debent. Quo autem macilentera sunt, & velocioreni sanguinis cursum obtinent, eo parciорibus exercitiis, ac laboribus vacare oportet.

## Scholion.

Foeminae, humida temperie ut plurimum preditae, longe faniorem, minusque valetudinariam vitam degunt, si paulo liberaliori motu corpus ventilant, quam si

vitam colunt sedentariam. Constat etiam frequenti observatione, gravidas, qua frequentiori, sed moderato motu, corpus circumagunt, faciliori utero uti, foetumque edere robustiorem, quam qua continuo otio indulgent. Motus enim ea consumit incrementa, qua in otiosis accumulata, impuros humores, & matri, & infanti, ingenerant. Præterea etiam nutrices, qua motu, ac labore corpus subigunt, longe salubrius lac infanti propinant, quam qua continuo sellæ, & cunis affixa hærent.

## §. XXXV.

Quemadmodum humidis, & spongiosis carnis corporibus summum commodum affert moderata exercitatio, ita hæc siccioribus, & macilenteris non adeo opportuna est.

## Scholion.

Aristoteles Lib. 3. de Partib. Animal. pinguis, ac obesis vehementer suadet exercitationem, ut prospera sanitate fruuntur. Et Hippocrates corpulentis itinera velociora imperat. Contra vero Lib. de Diet. omni ratione suadet, ut graciles, iter facturi, lentis passibus incedant. Hinc idem auctor sapienter ait Lib. 1. Epidem. Calidis naturis refrigeratio, aqua, & quies convenient; & minuendus est iis labor, ac cibus, quos ob laborem infestat sitis: ubi vero fames, laborandum non est.

## §. XXXVI.

Quia motus perspirationem imprimis sartam, ac testam servat, hinc digestione peracta commodissime instituitur, ut excrementum tertiae sic dictæ concoctionis foras eliminetur.

## Scholion.

Tempora, qua motui celebrando faciunt, sunt matutinum, ac circa vesperam, & quod cibum proxime antecedit. Egregie Sanctorius Lib. cit. aph. 72. exercitium, scribit, post septimam usque ad duodecimam horam ab assumto cibo, magis resolvit insensibiliter hora spatio, quam tribus temporibus alterius spatii. Chylus enim sanguini associatus multis incrementitis sordibus scaturit, per motum, & exercitationem diffundans. Alio autem tempore, vel parum in corpore residuum est perspirationis operrehendum, vel, si matutius motus insuffi-

tuatur, nihil quicquam adhuc ad cutaneos tubulos appulsum est, quod per exteriorem habitum exhalare possit.

## §. XXXVII.

Motus ante ciborum assumptionem maxima cum utilitate instituitur; tunc temporis enim non modo universum corpus superfuum onus depositus, sed & stomachalis liquor ab omnibus investitiis sordibus probe defecatus est; hinc edendi cupiditas ordinatio a motu acceditur.

*Scholion.*

Hac ratione induiti *Hippocrates*, & *Galenus*, omnesque saniores medici, uno ore pronunciant, corporis exercitationem semper ante cibum esse celebrandam.

## §. XXXVIII.

Sicut corporis agitatio, ante cibum instituta, sanitati egregie patrocinatur; ita, quæ sumptum cibum statim subsequitur, cum summa pernicie conjuncta est.

*Scholion.*

Vehementior motus alimenta maturius, quam par est, ex ventriculo præcipitat, unde debita eorum solutio impeditur. Deinde etiam multa observatione constat, equitatione, velvectione a prandio instituta, cibos ad duodenum, ac ventriculum regurgitare, ubi flatus, & ructus procreant, & stomacho, præsertim in iis, quibus hypochondria male habent, angustiam, & ardorem inducunt, quod maxime fit ab assumptis in prandio pinguibus, acidis, ipsoque vino.

## §. XXXIX.

Intensior corporis exercitatio alvi dejectionem nunquam præcedere debet, quia motus ad corporis ambitum succos pellit, & intestina exsiccat.

*Scholion.*

Causa jam in proposito est, quare labor, ac motus iis convenient, qui alvum jutto fuxiorem habent.

## §. XL.

In motu ratio certi ordinis habenda est, primo enim esse debet lentior, postea vero sensim accelerari potest.

*Scholion.*

Quemadmodum omnis subita mutatio intuta, quod vero sensim, & per gradus peragitur, omnia periculi expers est; ita.

etiam a diurna quiete fortior instituta corporis commotio, sanitati nocumentum afferat. Sanguis enim crassior, & copiosus, vehementi agitatione impulsus, per minimos tubulos difficilis vibratur, dumque restagnat, vel ad vicinas vasas regurgitat, dolores, vasorumque tensiones, cum insigni corporis languore coniunctæ, oriuntur.

## §. XLI.

Motum sub aere sereno, ac temperato celebrare oportet, qualis duabus horis post solis ortum, & ante ejus occasum observatur; aer vero calidus, vel nimis frigidus, salubri corporis exercitationi neutiquam accommodari debet.

*Scholion.*

Etsi serenus, ac temperatus aer per se optimum vitæ pabulum, & sanitatis praesidium constitutus: cumulus tamen ejus utilitati accedit, quando conveniens motus ipsi adjungitur. Hinc dispiciendum, ut sub omni corporis motu qualibet aeris intemperies fugiatur. Nimirum, immoderate calidus aer cum fortiori motu sanguinem accedit, perspirationem plus justo auget, & hac ratione corpori debilitatem inducit. Cavere itaque oportet, monente *Hippocrate*, a sole meridiano, tempore prælertim aestivo, mane autem, ac vesperi institutæ corporis commotiones egregie faciunt ad sanitatem. Neque corpus, dum fortiori motu exagitatur, aer nimis frigido committendum est, ne cessante motu, frigus rarefactos, & expansos corporis poros, ac tubulos subiens, & solidis, & fluidis, perniciem afferat. Quamobrem *Hippocrates Lib. 3. de dicta §. 10.* dissuadet motus mane, & vesperi, frigido celo existente, neque minus corporis damnat exercitia, quæ circa flumina, stagna, aut nives, peraguntur. Frigus enim non tam in ipso motu, quam post illum pertinencendum est, quando nempe corpus diutius in eo detinetur. Fortis autem motus hieme, quam estate, conducibilior est. Unde præclare *Hippocrat. Lib. de Sal. Diet. §. 11.* scribit: *Qui exercitio utuntur, hieme currere debent, estate vero parum, currere autem minime, sed multum deambulare, secundum ventum, ac frigus.*

Motui

## §. XLII.

Motui gradatim aucto tamdiu indulgendum est, donec sudor per universum corpus proliciatur, partesque extremæ sanguine & calore turgeant.

## §. XLIII.

Motu exacto & sudore largius profluente, corpus in temperato aere linteis abstergendum, & perspiratio omni modo promovenda est.

*Scholion.*

Nunquam frigidior aer intra corpus motu calefactum admittendus est, nisi graves inflammationes, rheumatismos, aut febres, corpori arcessere velimus. Longe autem perniciosior est frigida potio corpori calefacto ingesta, quia hæc facillime in poros venarum calore dilatatos se ferme insinuat, ubi humoribus coagulum inducendo, libero sanguinis circulo obicem ponit; undenon sine periculo graves inflammationes & viscerum obstructiones enascuntur. Idcirco temper præstat potum magis calidum, quam frigidum assumere, & corpus paulo diutius in lecto detinere, ut salutaris perspiratio promoveatur.

## §. XLIV.

Fortiore motu non statim cibis excipiat, sed per horæ dimidium expectare præstat, usque dum motu facta corporis turbatio paulum sedata fuerit.

*Scholion.*

Succus enim ciborum ante debitam solutionem corporis poros subit, ipsaque digestio, viribus motu exhaustis, & fructu ventriculi robore, insigne detrimentum capit.

## §. XLV.

Qui vehementiori motu fortiter se fatigant, iis cibus humidus & succulentus egregie convenit.

*Scholion.*

Optime Celsus Lib. I. cap. 3. §. 28. præcipit: *Omnibus fatigatis aptum est cibum sumere eoque humido uiri, maximeque ea, quæ urinam movent, & vinum aqua dilutum.* Illud quoque nosse oportet, quod ex labore faticati frigida potio noxiosissima sit, atque esiam itinere fatigatis inutilis.

## C A P U T X.

*De quiete & somno.*

## §. I.

**C**onsensu intemeratae sanitatis conservatio non tantum debitum excretionibus operis habet, verum etiam quibusdam in corpore retentis sustinetur. Ex alimentis enim ingestis ac bene digestis quædam intra corpus retineri debent, quibus vires & succi, motu & calore deperditi, reparantur.

## §. II.

Ut motus corporis excretiones, & omnium maximæ utilissimam perspirationem, insigniter juvat, & ad inertes effecitosque humores e corpore evehendos necessario requiritur: ita & quies, & somnus, pro sanitate egregie militant; dum utilæ & naturæ amicos succos colligunt, & intra corpus retinent, absuntque fluidas partes restaurant.

*Scholion.*

Motus, labor diurnus, ac vigilia nocturna vires motrices consumunt multumque humidi dissipant, sed ipsa quoque motus instrumenta, partes nempe, musculos, atterunt ac debilitant; hinc quies, seu motus quædam intermissione, laboribus ac vigilis interpolanda est, qua uiles & concocti humores retineantur, & tam solidæ, quam fluidæ corporis nostri partes, a quibus viribus origo derivanda, novum subinde alimentum ac vigorem recipient. Hinc nemini non perspicua esse potest summa quietis ac somni necessitas.

## §. III.

Quies multum facit ad corporis nutritiōnem, quia gelatinosos humores colligit & condensat, nimiamque eorum extalationem remoratur.

*Scholion.*

Artificium saginandi animalia, maximam partem in eo consistit, ut angustiori loco inclusa, ab omni motu prohibeantur.

Quies

## §. IV.

Quies maxime accommodata est corporibus imbecillis, cholericis, macilentis, & qui interno astu vehementius agitantur, vel febre decumbunt.

## Scholion.

In quibus celerior est motricium fibra- rum contractio, & sanguis citatus per va- sa fertur, iis utique quies longe utilior est motu, qui internum calorem exauget ac stimulat.

## §. V.

Quies, vel saltē lenior deambulatio, quæ assūtum cibum statim subsequitur, ventriculo alimentis replete valde amica ac necessaria est. Fortior enim motus ci- bum crudum adhuc, nec satis percoctum, cum insigni sanitatis detimento, ex dige- sionis officina præcipitat.

## §. VI.

Quia quies nimirū corporis lassitudini al- leviamento est, iudice Hippocrate secl. 2. aphor. 48. hinc quo major ac diuturnior præcessit motus, eo longior etiam quies eum excipiat necesse est; atque adeo labori cum quiete justa semper intercedere debet proporcio.

## Scholion.

Quod tamen non hunc in modum acci- piendum est, quasi motus & quies tempus æquale sibi vindicent; sed potius illud in- tellectum velim, quod pro eo, ac vires a- missæ sunt, per quietem sufficiens earum fieri debeat reparatio.

## §. VII.

Quemadmodum moderata quies magno- pere sanitati inservit: ita motus superans pernicioſissima est.

## §. VIII.

Quieta longiori corporibus magna fit ponderis accessio, tum quia excrementorum, quæ mediante motu e corpore dif- flantur, exclusionem diuturna quies suffla- minat; tum quia succi ex cibo ac potu co- piōsiori, quiete parum probe digeruntur, & in vasis nimium congeruntur.

## Scholion.

Hippocrat. lib. 2. de Diat. sic hac de re tradit: Otiū humectat & debilitat, la- bor vero siccet ac roborat. Motu enim dis- sipantur humores, unde nervosarum par-

tium sit tensio. Vitæ otiosæ & sedentariæ addictas mulieres facile in passiones hyste- ricas & hypochondriacas incidere quoti- die animadvertisimus: juvenes vero ac viri, qui otio litant & vitam quietam colunt, plerumque hypochondriorum vitio labo- rant, & subinde scabie & scorbuto corri- piuntur; cujus rei imprimis testes sunt far- tores omnesque opifices, qui sellularias artes exercent.

## §. IX.

Ut motus perspirationi favet, & san- guinis cursum accelerat, eumque tenuem ac fluidum reddit: ita diuturna quies, san- guini crassitatem inducendo, viscerum ob- structiones, sanguinis impuritatem, humo- rumque stagnationes progenerat, & hac ratione ad graves & pertinaces morbos dis- ponit.

## Scholion.

Non prætereunda sunt verba Fonsecæ, quæ lib. de Tuend. Sanit. pag. 37 profert: ex nimio, inquiens, otio suffocatis, apo- plexia, podagra, colica, calculus re- num nascitur, presertim, si cum crapula ac libidine ipsi indulgetur.

## §. X.

Sessio corpus hypochondriaco malo pre- parat, & illud imi ventris passionibus ob- noxiū reddit.

## Scholion.

Sub sessione incurvatum corpus talem angulum efformat, qui ventrem pre- mit, & intestinorum flexuras in angu- stiam compellit, atque hinc flatos sur- sum versus ventriculum retruduntur. Deinde etiam corporis incurvatio vasa mesenterii, que ad venam portæ de- currunt, comprimit, & hoc modo liberum sanguinis progressum intercludit. Exinde vero humorum stagnationes, ac viscerum infarctus suos natales trahunt. Quare etiam Plautus hypochondriacis am- bulationem his verbis commendat: ambu- la, hoc lenofis prodest!

## §. XI.

Neque diuturna statio pro sanitate est, sed potius nunquam non fugienda.

## Scholion.

Statio hæc non modo sessione deterior est, sed majorem quoque corpori perni- ciem.

ciem affert. Corpore enim perpendiculariter erecto, sanguis quidem ac reliqui humoris facillime ad inferiores partes descendunt, sed eorum ascensus mirum quantum retardatur, nisi membrorum visus & actio, qualis ambulationi adjunctus est, progredienti sanguini suppetias ferat.

## §. XII.

Statio muscularum aequilibrio, hoc est, aequali eorum tensione peragitur, cui tota corporis moles ad perpendicularum incumbit. Quantum vero hoc viribus detrahatur, dici vix potest, maximeque perniciosa haec statio in studiis literarum tractandis fugienda est, quia spiritus dupliciter impenduntur, dum & menti in formandis ideis, & corpori in tono muscularum servando, vacare debent. Consoltius itaque est eo tempore, quo meditationibus indulgemus, leniorem ambulationem instituere, ut in mutua muscularum actione aequilibrium conservetur.

## §. XIII.

Non tantum quies corporis, verum etiam somnis, jacturam humorum motu deperditorum resarcit, & corpori novum robur foenerat.

*Scholion.*

Animadvertisimus a somno reparari vires, corpora fieri agiliora & ad subeundos labores magis idonea, animum quoque ad praestandas actiones suas inde reddi alacriorem, & universum corpus omnem depolare laetitudinem, unde somnis optimuntur virium pabulum summo jure appellari debet. Quam insigniter enim vires morbo collapsa per somnum reficiantur optime perspectum habent, qui gravioribus acutis morbis affliguntur. Quanto maturius enim somni beneficio perfrii possunt, eo celerius vires ac sanitatem recuperant.

## §. XIV.

Vires, omnium motuum in corpore effectrices, vix ab alia causa, quam a sanguinis partibus fluidissimis & sic dictis spirituosis, suam originem trahunt, & continuo motu, vigilia, sensuumque exercitio difflantur, hinc somnis, qui nihil aliud est, quam quies corporis, sensuumque, tam internorum, quam externorum, celsatio, accedit necesse est, qui spirituosas

ac subtiles particulas colligat, & intra corpus detineat, ut exinde vires incrementum capiant, & corpus cum animo ad suas præstandas functiones rursus fiat idoneum.

## §. XV.

Somnus non modo vires, quas partes humorum spirituosa largiuntur, reparat, sed & nutritionem, seu alibulum partium appositionem, plurimum adjuvat.

*Scholion.*

Vigiliæ continuo motu ac calore succum nutrientem attenuant, eumque foras ejiciunt, ut solidarum poris insinuari nequeat. In somno autem placidior est sanguinis motus, nutritius succus colligitur, & intime partium poris se associat; unde tam animantia, quam homines, vigiliis emaciari, somno vero roborari & pinguisce videmus. Hinc pulchre Hippocrates Epidem. Sect. 4. labor, ait, articulis & carnibus cibus est, somnus visceribus. Solida enim augmentur ac roborantur exercitationibus, sub somno autem melior fit alimentorum coctio, & hinc viscera nutrituntur.

## §. XVI.

Si somnus deperditum nutrientem succum partesque spirituosa absuntas restaurat, in proclivi est judicare, quare longiori somno opus habeant, qui corpus vehementiori motu ac labore, & animum assiduis & profundis cogitationibus fatigant, quam qui otium, tam corporis, quam animi, per diem coluerunt.

*Scholion.*

Iis præcipue somnus egregie succurrit, qui diurna cogitatione & fixis meditationibus animi & corporis robur limarunt, ne animi & corporis vires aliquod exinde capiant detrimentum.

## §. XVII.

Sufficientis somni signum præbent corpus agile, pondere imminutum, mens alacris, neque ulterior in somnum propensio.

## §. XVIII.

Quum vires somno imprimis reficiantur, ideo quantum demittur somno, tantum vires ac digestioni decedit, & quia ad li-

ter-

terarum studia rite colenda non pauci requiruntur spiritus, ideo male agunt & pessime de sanitate sua merentur, qui studia in seram noctem protrahunt; vel noctes plane insomnes ducunt, seque tam egregio beneficio mira improbitate defraudent.

### §. XIX.

Observamus, somnum, qui ante mediam noctem capit, plus incrementi viribus addere, quam qui eam subsequitur.

### Scholion.

Ratio hæc esse videtur, quia homines tunc temporis profundiori somno merguntur, dum spirituosa alimentorum partes ex ventriculo ad massam sanguinis & humorum accedunt, quæ ibi sub leniori somno copiosius collectæ, tubulos cerebri subeunt, inque ejus corticali mere vasculosa parte postea secernuntur.

### §. XX.

Non omnis somnus, sed quietus saltem, vires reficit.

### Scholion.

Sapienter monet Plato lib 7. de LL. qui vita, ac sapientie curam gerit, plurimo tempore vigilet, id solum providens, & observans, ut somnum tantum capiat, quantum ad sanitatem pertinet, ad cuius conservationem non multo somno opus est, si modo recte fuerit constitutus.

### §. XXI.

Somnus quietus is dicitur, in quo non facile excitamur, sed potius continenter per consuetum tempus conquiescimus, & qui ciborum, & concoctionem, & perspirationem, juvat, ac vires reparat.

### §. XXII.

Somnus inquietus est, qui interruptus, & turbulentis insomniis plenus est, quemadmodum eum definit Sanctorius sect. II. aph. 5. & qui nec vires reficit, nec perspirationem juvat, sed potius impedit.

### §. XXIII.

Somnum placidum, ac tranquillum reddit temperatio sanguinis per cerebrum cursus; quam ob rem omnia, quæ nervas partes irritant, & sanguinis per cerebrum iter accelerant, somnum variis modis interturbare solent.

### Scholion.

Omnis vero cibi aeres, sale, aromatis, allio, sinapi, & id genus aliis conditi, vel duriores, ac flatulenti, neque minus potus calidi, ac spirituosi, circa somni tempus assumti, variis turbis somnum exagitant, quia ventriculo cum capite summus intercedit consensus, & conspiratio. In febribus, ob celeriorem sanguinis per cerebrum cursum, paucus, vel plane nullus, aut valde turbulentus, somnus est. Quare quicquid ita comparatur est, ut ventriculi membranas, vel acrimonia, vel gravitate quadam, sollicitare, ac stimulare possit, illud etiam molestem cerebri membranis inducit sensum, & somnum quietum arcet.

### §. XXIV.

Insignia ex somno in corpus nostrum beneficia redundant, quia somnum ciborum concoctioni egregie patrocinatur.

### Scholion.

Quia alimenta non subito extra ventriculum propellit, & quoniam succi fermentales, qui in prima regione ex glandularum scatebris promanant, pluribus spirituosis particulis abundant, & majori activitate instruti sunt, hinc alimentorum nexum melius dissociare, & laudabilem chylum evolvere possunt. Qui ventriculum ciborum repletum habent, eos diutius somno indulgere oportet, nisi multa ex collectis cruditatibus incommoda sibi contrahere velint. Hinc bene dictum est a Celso Lib. 3. cap. 1. qui bene concoxit, mane tuto surget, qui parum, quiescere debet, & si mane surgendi necessitas fuerit, mane redormire, qui non concoxit, ex toto quiescere, ac neque labore se, neque exercitatione, neque negotio credere.

### §. XXV.

Somnus, ad absolutam concoctionem perdurans, optimum viribus fomentum præbet.

### Scholion.

Observatione constat, eos, qui ventriculum copiosiori cibo, ac potu refertum, vel caput crapula gravatum habent, a longiori quiete, & continentia in lecto longege melius vires recipere, quam si nimis citato in lecto se proripiunt.

Som-

## §. XXVI.

Somnus placidus non tantum conficiens in ventriculo alimentis velificatur, sed etiam perspirationem magnopere juvatur.

## Scholion.

*Sanctorius* sect. 4. aph. 2. prodidit, dormientem magis perspirare, quam vigilantem. Et aphor. 1. loc. cit. *somnus*, inquit, placidus adeo fovet perspirationem, ut septem horis quinquaginta unciae costi perspirabilis in robusto homine exhalent. Perspiratio melius in somno, quam in vigilia succedit, quia habitus corporis sub somno magis relaxatus est, cutis tubuli, ac meatus ab æquabili calore magis patuli, atque aperti sunt, & sanguis placidiori cursu ad emunctorium cutis devolvitur. Quæ omnia hujus excretionis negotium mirifice auxiliantur.

## §. XXVII.

Quamvis in vigilia sanguis celeriori gradu ad cutis superficiem feratur, tamen quando strictiores sunt pori ac tubuli, major saltem copia tenuis ac perspirabilis serì exhalat: sub somno vero ampliatis poris, particulae sudoris ac transpirationis crassiores difflantur. Duplex enim datur materia perspirabilis, una tenuior, altera crassior, particulis pinguioribus ac viscidis gaudens, quarum vestigia in indusis conspicuntur, & hæc etiam pediculis, quibus pueri vexantur, nutrimentum præbet.

## §. XXVIII.

Qum perspiratio absoluta concoctione mehus succedit, & majorem sanitati seferat utilitatem, solerti cura dispiciendum est, ne salutaris hæc excretio matutino tempore ullo modo cohibeatur.

## Scholion.

Patet jam ratio, quare matutinis horas sudorifera, diaphoretica, & quæ perspirationi ulterius prædictio sunt, inter quæ principem locum tenent insula calida, insigni cum euphoria propinentur, quia tunc temporis ipsa materia ad exitum preparata est.

## §. XXIX.

*Somnus cogitationum ac sensuum quies-*

est, ideo eo tempore, quo somnus capitur, omnes curæ & profundæ meditaciones animo exulare debent.

## §. XXX.

Causam somni, qui nihil aliud, quam sensuum, & internorum, & externorum cessatio est, languidior fluidi nervi in partes, quæ sensuum domicilia sunt, influxus constituit.

## Scholion.

Parcius roris nervei in cerebrum ac sensoria influxus, partim a tubulorum, ex quibus cerebri compages contexta est, tono dejecto, partim a nimia arteriolarum, quæ cerebrum perrepraeat, distensione, suam originem trahit. Spirituum vero animalium, seu succi nervi, in cerebro secretio unice a sanguinis motu per caput dependet. Facto igitur tardiori sanguinis per tubulosam cerebri substantiam progressu, ejus quoque separatio retardatur. Nimia vero arteriolarum cerebri expansio debitam earum contractionem prohibet, unde sanguis lentius vasa trajicit. Quare secundum *Hipp.* effatum *l. i. de Affecti* quæ somnum conciliant, ea sanguinis quietem procurant. Criterum cause somni & arteriolarum expansionis, in physiologica tractatione perquisitus jam investigatæ sunt.

## §. XXXI.

Si spirituosa partes parcus in somno seernuntur, & magis in sanguine remanent, facilissima intellectu ratio est, quare nutritio corporis & alimentorum concoctione præcipue sub somno vigeant, & quare universalia sanguinis & humorum massa, partibus spirituosis aucta, solidorum tono maius robur inspireret, & universo corpori vites suppeditet.

## §. XXXII.

Somno in primis accommodatum est tempus nocturnus, ob atmosphæræ frigidam & humidam, quæ omnes corporis fibras a tensiori tono remittit, & celeriter sanguinis progressum remoratur.

## §. XXXIII.

Somnus capiendus est in aere sereno, temperato, non nitido calido, nec nimis frigido, multo minus vappido, præsumi-

dō, aut variis vaporibus referto.

*Scholion.*

Aer, quem sub somno haurimus, eam ob causam optimè debet esse constitutus, quia vires sub somno colligendæ sunt. Harum vero elementum ac pabulum sunt particulae sanguinis tenuiores ac spirituostæ, quæ maxime ex aere sereno ac puro in corpus nostrum invehuntur. Laudamus hinc cubicula ampliæ & perspirabilia, in quibus vero aer arcte conclusus, vel fornacibus calefactus est, ea vehementer improbamus.

*§. XXXIV.*

Optimus in somno decubitus fit in lateribus, capite paulo elatiori & corporis trunco inflexo cruribusque aliquantum contractis.

*Scholion.*

Declivior decubitus sanguinis ex capite regressum quodammodo impedit, quia ipsa venas jugulares descendere debet, quod elatiori capite commodius peragitur. Hinc capite nimis demissio ac deflexio, profundiores somni cum insomniis fiunt, & universo corpori torpor inducitur. Eadem ratione, si quis facie prona, velut in mensa, in somnum delabitur, ob difficultiorem sanguinis regressum, gravitatem capiti & ingenio stupiditatem accersit. Præterea etiam crebrior ejusmodi decubitus graves interdum ophthalmias parit.

*§. XXXV.*

Neque pro sanitate est supinus decubitus, quia vasa dorso instrata valde incalescent, pressisque musculis thoracem elevantibus, difficilior fit respiratio.

*Scholion.*

Plethoricos omni cura fugere oportet supinum decubitum, facile enim incubo premuntur, cuius causa a sanguinis in pulmonibus stagnatione deducenda est, vel etiam in calculum, uterinas sanguinis profusiones & pollutiones nocturnas incidunt.

*§. XXXVI.*

Ventriculo cibis replete, præstat prius lateri dextro incumbere, eo quod chylus

promtius sic ad intestina descendere potest, & hac etiam ratione præcavetur, ne hepatis ponderosum viscus ventricalo incumbens, graviter eum comprimat.

*§. XXXVII.*

Somnum statim a cena capere nunquam conducit, sed potius una vel altera hora exspectanda est. Deinde & hoc tenendum, quod parcus ac mollior cibus suaviorem somnum efficiat.

*§. XXXVIII.*

Somnus meridianus ex toto insalubris est, quia capiti & universo generi nervoso debilitatem inducit, idque torpidum & catarrhis obnoxium reddit.

*Scholion.*

Quandounque ventre repleto obdormimus, chylus sanguinis vehiculo ad cerebrum delatus, non modo copia, sed partium elasticitate, ejus vasa nimis expandit, eorumque tonum solvendo, ingenium humorum stagnationem parit, qui ubi, intus bulosam, & inferiorem cerebri substantiam descendunt, capitum torporem ac gravitatem ibi excitant.

*§. XXXIX.*

Res cum majori noxa conjuncta est, quando sub meridiano somno corpore supino decubitur, ita enim humores longe facilius stagnationem subeunt, quæ ob varia incommoda, capiti imprimitis valde hostilis atque insensa est.

*§. XL.*

In terris calidioribus, somnus meridianus sanitatem non tam facile offendit.

*Scholion.*

Quia vires & succos, qui diurno solis fervore nimium difflantur, colligit & intra corpus detinet. Cavendum tamen est, ne supino corpore, sed capite erecto, decubitus fiat. Neque meridianus somnus adeo novicus est iis, qui noctes inquietas, & insomnes agunt, & ab immoderationi astu languent, vel corpus variis modis delassarunt; neque iis interdicendus est, qui gracilioris corporis habitus, vel atlantis provectioris sunt.

*§. XLI.*

Quemadmodum nulla regulâ tam firma est, quæ non suas patiatur exceptions ita etiam somnus meridianus, in quibusdam

dam casibus certaque sub conditione, tuto admitti potest. Non est inutilis, ubi vires custodiendæ, ubi benignum humidum in corpore retinendum, vel cerebri partiumque humectatione opus est, qua præcipue senes indigent.

## §. XLII.

Ut moderatus somnus magnam corpori utilitatem promittit; ita modum excedens noxam insignem affert.

*Scholion.*

Immoderatus somnus non modo capiti gravitatem ac torporem, sed omnibus etiam corporis partibus languorem inducit, & tam animo, quam corpori, agilitatem detrahit, quia sufficientem fluidi subtilissimi in nervos & partes solidas, quæ motuum opifices sunt, influxum nimis remoratur. Inde vero sanguis & humores suam amittunt fluiditatem, eorumque spirituაcentia depressa corpus tardis passionibus opportunum facit. Causa immoderati somni, ad ingentem vasorum cerebri & duræ matris debilitatem, seu atoniam, referenda est, qua evenit, ut sanguis nivium ibi congestus, lentius procedat, humidumque demittat, quod postea in tubulis cerebri delabitur. Omnia vaporesa, opia & quæ copiosas exhalationes sulphureas exspirant, somnum immoderatum gignunt, quia elaterem ac totum membranarum & vasorum cerebri majori, quam par est, expansione, multum debitilant, unde nimia sit sanguinis congestio, atque humidum a sanguine tardius progredivente secessionem faciens, poros ac tubulos cerebri occupat; hinc immodicum somnum arte paratum plerumque stupor, animalium functionum segnitates, & somnolentia cum capitum gravitate, subsequuntur.

## §. XLIII.

Qui adolescent & primam adhuc ætatem agunt, semper suavius dormiunt, quam qui proæctioris ætatis sunt homines, & qui ad perfectum corporis augmentum jam pervenerunt.

*Scholion.*

In puerili & adolescentiæ ætate, mollior cerebri vasorumque textura est, ex quibus succus nutritius roscidus exsudat. Senes ve-

ro siccioris texturæ sunt, vasa obtinent duriora, hinc nimia pororum angustia nonnisi parcam nutritiæ succi in tuberosa cerebri substantia secretionem admittit. Qui bene valent ac parum dormiunt, maxime sunt cholericæ; hos autem, si sanitatis rationem habere velint, a vino & potibus spirituosis, neque minus a cibis acribus, salitis & aromaticis, abstinere oportet. Natura nulli rei magis, quam somno ac vigiliis certis temporibus assuefit, quare consultum est, omnibus modis somnum diurnum declinare, utpote qui noctes insomnes reddit.

## §. XLIV.

Notatu dignum est, somnum eo fieri impeditorem, quo diuturniores vigilæ præcesserint.

*Scholion.*

Experiuntur hoc illi, qui integras noctes vigilæ ducere coguntur. Diuturnæ enim vigilæ benignos humores consumunt, acres vero calidas particulas in sanguine cumulant, quæ cerebri fibrillas continenter sollicitant, sive somnum arcent.

## §. XLV.

Ut immoderatus somnus sanitati adversatur, ita etiam protractiores vigilæ, corporis & animi vigorem ac vires exhauiunt.

*Scholion.*

Siquidem, & humidum roscidum, & liquidum nerveum, sub assidua vigilia in vehementem motum abripitur, & magna ex parte consumitur. A nimis vigilis concoctio perturbatur, corpus macie contabescit, facies foedo pallore discoloratur, oculi recedunt & concavi fiunt, ipseque voltus austерum ac tristem habitum induit. Hinc Hippocrat. Lib. de Diæt. in Acut. vigilia, perhibet, nimia post cibos noxia, quum cibum colligescere non finiat. Et eod. Libr. vehemens, inquit, vigilia potus cibosque, tum crudos, tum incoctiores, reddit.

## §. XLVI.

Diuturnas vigilias sequitur plerumque maxima partium internarum debilitas, unde stagnationes humorum in capite, pe-

periculi plenæ inflammations ac deliria oriuntur.

*Scholion.*

Perpetuæ observationis est, quod fortiorē spasmum, seu intensiorem partium tonum, ut plurimum magna relaxatio & flacciditas excipiatur.

§. XLVII.

Qui per nocturnam quietem anxiis ac terrificis insomniis agitantur, in iis sanguinis ac humorum circuitus per caput & pectus male procedit; siquidem in ejusmodi subiectis graviores sanguinis stagnationes dictis in partibus observantur.

*Scholion.*

Quare somnia anxia ac turbulentia, secundum Hippocratem, præternaturalem corporis statum morbosque impendentes denunciant, quibus convenienti diæta, & recto remediorum usu obviam eundum est.

C A P U T VI.

*De diæta robustorum & imbecillium.*

§. I.

**Q**uemadmodum nihil in se & sua natura, seu insita necessitate, salutare, vel noxiū est, sed uterque, tam salubritatis, quam insalubritatis effectus, ex viribus agendi & ex relatione ad corpus humanum facta, demum resultat: ita etiam rerum non naturalium salubrium & insalubrium virtus & efficacia, ex corporum diversitate, in quibus sese varie exserunt, dum salubris & insalubris eorum effectus variis modis, vel impeditur, vel adjuvatur, nunquam non estimari debet.

§. II.

Perperam agunt præsides valetudinis, qui singulis unam eandemque vivendi rationem præscribunt, & quod uni consert, illud aliis quoque commodum esse judicant omnibus.

*Scholion.*

Magistra enim experientia quotidie edocemur, non omnia omnibus esse accommodata, & quod unus citra ullam noxam ferre potest, hoc alteri in summam cedere

perniciem. Ipsum quoque tempus, in rerum salubritate determinanda, plurimum valet; quædam enim certis temporibus tuto & citra ullius offendæ metum ingeruntur, quæ alio tempore assumta, sanitati haud leve detrimentum afferre solent.

§. III.

Diversi salutares & noxiū alimentorum effectus maximam partem a corporum differentia deduci debent, siquidem, ut recte monet Hippocrates, natura a natura, corpus a corpore differt.

*Scholion.*

Hæc naturarum differentia sit tam ratione ætatis, temperamenti, habitus corporis, consuetudinis & connatae dispositio- nis, quam præcipue ratione roboris ac imbecillitatis.

§. IV.

Quemadmodum in universum inter vi- res, ratione potentie & debilitatis, ingens intercedit discrimen: ita etiam robustorum, & imbecillum corporum humano- rum varia ac dispar conditio est; quare semper ad corporum diversitatem respi- ciendum, quippe quæ in medicina, tam therapeutica, quam diætetica, multum momenti habet.

§. V.

Homo robustus is est, qui insigno robo- re ac potentia motuum instructus est.

*Scholion.*

Id est, qui magna facultate pollet non tantum in edendis motibus voluntariis, verum etiam in actionibus vitalibus & animalibus; sive, ut res dilucidius appa- reat, qui multum ponderis elevare magnisque animi & corporis labores sustinere potest, & qui bene ac copiole ingerit atque egerit, nec facile gravem a vigiliis variisque, licet minus congruis alimentis, lati- sionem patitur.

§. VI.

Qui corpore robustus, is etiam animo fortis & ingenio alacris est, nec facile morbis & affectibus animi fit obnoxius, nec facile a rebus externis lœditur.

§. VII.

Ut quælibet vis motrix partim ab instru- mento, quo motus exercentur, partim ab

ab activitate & energia motu dependet, ita etiam robur corporis humani, partim a muscularum duritate & magnitudine, partim etiam a copioso boni sanguinis & liquidi nervorum in has partes influxu, proficitur.

S. VIII.

Robur itaque corporis ex vasorum amplitudine & capacitate, nervorum crassitatem & muscularum soliditatem, cognoscitur.

*Scholion.*

Siquidem omne corporis robur, secundum originem suam, a dispositione parentum, quoad partes solidas, quoad fluidas vero a decenti in rebus non naturalibus regimine, derivandum est. Inter robustos homines numeramus plebejos, duris laboribus assuetos, & qui simplici & crassu viatu utuntur, ratione etatis juvenes ac viros, ratione temperamenti sanguineocholericos, respectu habitus corporis, qui non adeo pingues aut spongiosæ texturæ sunt, sed osa solidiora, nervos strictiores, firmos tendines & vasa capaciora obtinent. Quoad nationes & climata hunc incensum referendi Westphali, Pomerani ac Brunsvicenses. Imbecillioris naturæ sunt, qui fibras teneriores, & exquisitiiori sensu praeditas, vel ad subeundos heterogeneos motus idoneas obtinent, qui facile animi affectibus exagitantur, & quorum vasa angustiora non sufficiunt boni ac spirituosis sanguinis quantitate instructa sunt; præterea, qui tendines ac nervos exiguis & laxiores, dentesque pauciores habent, & a laboribus, tam animi, quam corporis, facile fatigantur.

S. IX.

Imbecilliores non tantum facile a rebus externis leduntur, & levi data occasione in morbum incident, verum etiam morbo quodam correpti, in malis sunt, animum habent mobilem ac versatilem, nec vitam adeo longe protrahere possunt.

*Scholion.*

Imbecillum numero adscribi debent infantes, senes, vite urbanae ac otiosae dediti, continuis studiis, & meditationibus addicti, ex sexu foeminæ, natione Svevi ac Misnici. Deinde etiam horum in societatem veniunt ii, qui gravi morbo, nimis

Tom. I.

vigiliis, longiori fame ac inedia, aut latiori sanguinis profusione, ut & diurno mœrore, multa venæ sectione; aut cibriori purgantium uso, insignem virium jacturam passi sunt. Deinde hoc pertinent puerperæ ac foeminæ mensis fluxu labentes. Imbecilles, vel a solo suaveolentium odore se male habent, ab exigua dosi aliquujus emeticci, vel purgantis, copiosas patientur excretiones, & a cibo, seu flatulento, seu acido, vel etiam leviter aeris frigidiusculi afflato, noxam sibi contrahunt.

S. X.

Quia corporis imbecillitas, & nimia ad morbos motus recipiendos aptitudo, a benignorum succorum inopia maxima ex parte proficitur: ideo medicum, qui debite corpus firmare, idque adversus externalium rerum injurias fortiter munire intendit, omnem curam in eo desigere oportet, ut blandioribus succis vasa ac nervos repleat, inertes vero ac superfluos humores corpori detrahatur.

*Scholion.*

Ex his perspectis levi negotio conficitur, imbecilles, qui omnibus morbis patent, & quemcunque excessum graviter ferunt, longe tuius ac facilius integrum recipere posse sanitatem, si moderatam vivendi rationem sibi imperent, quam si in medicina validiori, ex pharmacopolis petita, salutem querant.

S. XI.

Neminem magis decet vitam ad sanitatis leges exacte componere, quam imbecilles, quia a levi saltu errore in diæta commissio graviter offenduntur, & insigni sunt documento, quantam vim ac potentiam rerum naturalium usus, & abusus, in corpus habeat.

S. XII.

Imbecilles animum eo advertere debent, ut concoctio ac perspiratio, quanta maxima fieri potest circumspetione, in statu integro conserventur.

*Scholion.*

Ad juvandam concoctionem, oportet imbecilles paulo largius somno indulgere, ante cibum corpus, non quidem vehementi, sed moderata exercitatione, ventilati-

re, nec adeo multum assumere. Circumcidenda ipsis sunt acida, dura, flatulenta, salsa ac dulcia, quæ in imbecillibus facile in acorem vertuntur. Expedit etiam ventos fugere septentrionales, animi tranquilitatem colere, & omnia, quæ modum excedunt, & intemperie infensa sunt, cum cura a se amoliri. Vid. *Celsas lib. I. cap. II.*

## §. XIII.

Quum homo robustus & omni ex parte valens non facile a quadam excessu læsionem sentiat, ideo seu *adum Celsum lib. I. cap. I.* non set tam stricte obligare debet legibus diæticis, sed varium vita genus habere, omnibusque adfuescere oportet.

*Scholion.*

Præclare tamen laudatus auctor in fine ejusdem capituli monet, cavendum esse robustis, ut ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur, hoc est, ne vires detrimentum capiant, quæ efficacissimam in profligandis morbis medicinam constituant.

## §. XIV.

Imbecillis, quibus *Celsus* annumerat literarum cupidos, qui diurnis nocturnisque ingenii laboribus corporis robur frangunt ac spiritus dissipant, eam vivendi rationem inire convenit, quæ imprimis concoctionem ac perspirationem juvet viresque reficiat.

*Scholion.*

Quare eos, qui Musarum sacris operantur, eo tempore, quo cibus capitur, ab omni cura ac meditatione vacare oportet. Tempus vero exercendis ingenii laboribus maxime accommodatum est matutinum, & quod peractam concoctionem subsequitur. Quam in rem plura notata digna commentati sumus in tractatu nostro: de studiis per regulas diæticas facilitandis, & prolonganda literarum vita, nec non in parte 9. diæticorum Germanico idiomate prostantium scriptorum, disquisitione ultima. Literarum etiam cultores teneriori victu uti oportet, qui subtile & fluxiles succos corpori ingenerat. Caveant vero sibi a flatulentis, leguminosis, pisis, fabis, cerevisis crassioribus & vinis detrioris notæ, quæ caput gravant, sensus

obtundunt, & lumen ingenii obtenebrant. Cerevisæ enim ac vina, quo tenujora sunt, eo magis literatorum sanitati velificantur. Et quoniam debita alimentorum concoctione cerebro ac nervis favet, & spirituum animalium uberiorem proventum suppeditat; hinc literarum studiosis sufficiens somnus quam maxime commendatus esse debet. Quantum enim somno decedit, tantum quoque viribus ad pertractanda studia necessariis detrahitur. Deinde iis, qui literarum studiis se consecrunt, diligenter circumspiciendum est, ne nimia studiorum intemperie, & luxuria corpus enervet, & variorum morborum injuriis obnoxium reddant. Præstat potius laborum intervalla suavi otio dispungere, & quandoque gaudia curis interponere, ut mens ad functiones suas rite perficiendas excitatior fiat. Nihil quoque magis sanitatem offendit, quam perpetua sessio, literarum amantibus familiarissima, qua sibi solennem illum affectum hypochondriacum alvique adstrictionem accersunt.

## §. XV.

Magnam quoque in diæticis considerationem merentur corpora obesa multisque humoribus repleta, & graciliora, seu habitus macilenti.

## §. XVI.

Obesi & vel sero, vel sanguine repleti, quam maxime in morbos proni ac proclives sunt, & tam ab animi turbationibus, quam externis rebus, ut frigore, calore, graves patiuntur læsiones, & morbo quadam correpti, ægre convalescant.

## §. XVII.

Obesis ac repletis commendanda imprimis sunt ea, quæ extenuant, & superfluos humores corpori subtrahunt.

*Scholion.*

Faciunt hue aqua calida, acidulæ, thermæ, vigiliæ, omnis vehemens exercitatio, acida, salsa, cibus semel de die sumptus, leves vomitiones ac purgationes, que non nimis validis remediis excitantur, alias enim majorem sanitati perniciem affere solent.

## §. XVIII.

Gracilioribus & macilentis quadrant ea, quæ succos nutritios & vires conservant. & intus detinent.

## Scholion.

Quare modica exercitatio, frequentior quies, cubile molle, animi securitas, copiosior cibus, quanto nimurum solvendo ventriculus par est, somnus plenus, balnea a prandio, assumta inter cibos ac potus dulcia, frigus & plura alia, quæ benignos humores pariunt, eosque intra corpus detinent, macilentis egregie convenientiunt. Omnis vero vomitus ac purgatio gracilibus & imbecillis mirum quantum infesta est.

## §. XIX.

Dantur corpora, quæ alvum justo, vel duriorem, vel fluidiorem subinde experientur, & his etiam peculiare in diæta regimen præcipiendum est.

## Scholion.

Qui alvi adstrictioris sunt, eos cibis uti oportet, qui alvum fundunt, & vinis præfertim dulcibus, salsis & oleosis. Quæ si parum proficiunt, ut Celsus suorum est, alioen sumant; a frequenti tamen purgantium usu sedulo abstinendum est. Qui alvum nimis fluxam habent, eos validiori exercitatione corpus siccare decer. His quoque accommodata est fames cum parciore cibo, & exigua potio; magis etiam frigidæ, quam calidæ usus iis impetrari debet.

## C. A. P. U. T. XII.

*De diversa ratione temperamentorum, statum ac temporum anni dieta.*

## §. I.

Temperamentum nihil aliud est, quam certa partium, & solidarum, & fluidarum habitudo, ad circulum sanguinis motusque microcosmicos, & functiones, tam naturales, quam vitales & animales, perficiendas.

## Scholion.

Firma experientia exploratum habemus pro diverso sanguinis circulo, ejusque in partes solidas influxu, diverso etiam modo se habere robur corporis, ipsamque digestionem cum secretionibus, & excretionibus mirum quantum variare, imo animi quoque inclinationes ac mores, cum ingenii facultatibus, disparilem nancisci conditionem. Quare hæc omnia a diverso sanguinis circuitu, velut ab origine sua, profluere, extra omnem dubitationis aleam positum est.

## §. II.

In cholericis sic dicto temperamento, fibrae sunt teneriores valdeque tensæ, nec non vasa angustiora, per quæ validior vis motrix vehementi impetu vitales undas jaculatur.

## Scholion.

Hinc est, quod etiam in animo præcipitania, inque cæteris corporis functionibus quædam velocitas observetur. Et quia sanguis in hoc temperamento celerius per vena vibratur, hinc major exsurgit calor, & partes sulphureæ exaltantur.

## §. III.

Hoc prædicti temperamento caveant ubi ab omnibus iis, quæ corporis calorem accidunt, & sanguinem rapidiori motu exagitant. Ea potius in utrum feligere conductit, quæ igneum quasi hunc motum paululum restinguunt, eique quandam temperiem conciliant, utpote quæ optima sanitatis est conservatrix.

## Scholion.

Quam ob rem cholericis neutquam accommodata sunt vehemens ac longior corporis exercitatio, motus laboriosus, cibi aromatici, calidi, pingues, potus spiritu pleni, vinum præfertim generosum, spiritus vini, cerevisię inebriantes, servidioris solis aestus, omnis immoderata animi commotio, medicamenta validiora, purgantia, sudorifera, volatilia, nimis diuturnæ vigilæ & quæcumque ita comparata sunt, ut sulphuream humorum in temperiem cumulant, eorumque incendium augeant. Périculum quoque cholericis intentant omnia excessive frigida, tam aer frigidus, quam potio frigida, quippe

que ejusmodi sunt, ut sanguinem, per se spissum, ac debita orbum humiditate, in tenacissimum gluten cogant, unde graves cholericorum inflammations, ac febres ut plurimum proficiscuntur. At vero cholericorum sanitati praesidium promittunt infusa calida, potus copiosiori aqua diluti, aqua decocta, vinum cum aqua mixtum, omnes cibi humectantes, temperatus hy pocauisti, & lesti calor, & concclave spatiosum. Denique per omnia mediocritatem colant, siue alvum adstrictam experientur, non purgantibus validis, sed laxativis, v.g. pastulis, manna, rhabarbaro, tamarindis, & aloë, solvenda est.

## §. IV.

In temperamento melancholico, ob fibrarum duritiam, ac densitatem, sanguis fente, & cunctanter per vasa devolvitur, unde humores crassitatem induunt, omnesque, tam animi, quam corporis actiones, quadam cum difficultate exercentur. Quare nocturno sunt omnia, que humoribus spissum lentorem inducunt, & impeditionem eorum circuitum magis, magisque sufflaminant.

## Scholion.

Melancholicos, quia sanguinem spissum, ac minus mobilem in venis alunt, abstinere oportet a viatu crasso, acido, cibis, ac piscibus compactioris texturae, leguminibus, cerevisiis grossioribus, ac spirituosis, que nimium commovent. Neque iis adeo opportunus est aer, tam frigidus, quam calidus, quia uterque necessarium humoribus fluiditatem detrahit. Exhalare etiam ab eorum animis debent omnes affectus, quibus vehementia inest, ut ira ac terror, utpote qui spissum sanguinem in tenuissimorum vasorum angustias fortius impellendo, graviter, plerumque eorum sanitatem affligunt. Contra ea melancholicis convenient motus, & corporis exercitatio, non simul, ac semel, sed successive aucta, potus largior, & humectans, vinum generosum moderate sumptum, venæ sectio, & cibi aromatibus moderate conditi. Expedit his quoque non multum satiari cibis, impigrum esse ad labores, peregrinationes sub aere temperate calido, ac sereno instituere, eaque magni

habere, ac sectari, que animum variâ delectatione reficiunt.

## §. V.

In temperamento phlegmatico serum abundat, valdeque tardus, ac languidus est humorum circuitus, & omnes, cum animi, tum corporis actiones, pigritiem, ac torporem sibi adjunctum habent. Juvat itaque sanguini tardius progredienti stimulum, & calcar addere, vires, ac partium robur firmare, & humidam, frigidamque humorum intemperiem ad sicciorum statum reducere.

## Scholion.

Quia sanguis in hoc temperamento tarde iter suum absolvit, hinc phlegmaticis egregie quadrant carnes aspergunt, sale, & aromatibus conditæ, cerevisia non adeo tenues, & vina, que spiritu turgent. Eodem diligenter vacare oportet corporis exercitationi, que superabundans humidum egregie discutit. Abstineant vero necesse est a fructibus horzis, & crudis vegetabilibus, ab aere vappido, ac humido, qualis in locis angustis, & depressioribus, ut plurimum tempore autumnali, observatur. Neque minus animo exesse jubent omnem angorem, ac molestiam, ea studiose sequendo, que animo vigorem, & agilitatem conciliant.

## §. VI.

Sanguinei vocantur, quibus habitus corporis spongiosus est, & laxe cohæret, qui venas copiosas, sed exiles, & angustas obtinent, per quarum alveos sanguis placido, & secundo flumine decurrit. Quum itaque hic status corporis ad copiosum sanguinem progenerandum maxime sit idoneus, hinc sanguineos se ab eorum usu retrahere decet, que superfluam sanguinis copiam accumulant.

## Scholion.

His præcipue conducunt sobrietas, temperantia, ac durius quodammodo vivendi genus. Temperant sibi a dulcibus, spirituosis, vino, spiritu vini, nimio carnium esu, cerevisiis multum-nutrientibus, carne suilla, ac somno diurno. Apprime multum iis prodest motus non adeo fortis, sed moderatus, inque aere temperato eos versari oportet, quia & nimis calidus,

& nimis frigidus, ipsorum sanitati calamitatem inferre solet. Conferunt potus tenues, infusa herbarum & aqua calida sanguinisque missiones. Et quia sanguineorum natura ad criticas sanguinis excretiones valde inclinat, hinc dispiciendum, ne alio modo cohibeantur.

## §. VII.

Quemadmodum non una est corporum, tam quoad solidas, quam fluidas partes, in omnibus etatibus habitudo ac dispositio, ita nec eadem vivendi ratio omni etati accommodata est.

*Scholion.*

Sub certis etatibus, quibus curriculum vitae humanae absolvitur, corpora incrementantur, ad statum ac vigorem perveniunt, tandemque amissio robore, ingens patiuntur decrementum. Sub omni vero etate diversa machinae nostrae conditio est, quoniam & fluida ratione temperie & quantitatis, & solida respectu aptitudinis ad motum, magnam subeunt mutationem. Provaria igitur ac differente corporum habitudine, diversa quoque vivendi ratio instituenda est.

## §. VIII.

Sicut in condendis legibus, ad quas diata ratio componenda est, omnium maxime attendi debent virium robur & imbecillitas; ita, quum sub omni etate vires quoque diverso modo se habeant, non nisi indagatis cuiuslibet etatis natura ac viribus, accommodae vitae leges praecepanda sunt.

*Scholion.*

Infantes, pueri, ipsique senes imbecillioribus accensiendi sunt; robustiorum vero numero juvenes ac viri continentur. His igitur diversus vita cultus imperari debet.

## §. IX.

Infantes, ob insignem fibrarum tenacitatem & sensibilitatem, a quacunque re noxia facile offenduntur, morbisque obnoxii sunt, quare circumspetiori diata eos tractare oportet.

*Scholion.*

Infans ille dicitur, cui nondum fandi facultas est; puer, qui nondum ad puberatem pervenit. Infantes autem gravissimi nervosi generis affectionibus patent,

Tom. I.

id quod vehementes spasmi, convulsiones, tormina, epilepsiae, pavores, febres ac dolores testantur. Apparet hoc etiam exinde, quia, si lac lugunt nutritis, gravi animi affectu exagitatae, maxima plenumque incommoda, ipsamque interdum epilepsiam, patiuntur. Præterea eorum teneritudo inde perspicua evadit, quum a lacte matris, quæ pridie purgans assumpsit, alvum frequenter dejicant, & ab omni graviori errore in diata a matre commissio se male habeant, e. g. si spiritum visum assumerit, si cum viro celebraverit concubitum, si comedenter acida, aut flatulenta, sive frigus ad mammas libere admissum fuerit.

## §. X.

Quemadmodum infantes, ratione firmitatis ac teneritudinis, a se invicem plurimum dissident, ita etiam diversa eorum diata & tractatio instituenda est, nec unum idemque lac omnibus ac singulis propinari debet.

*Scholion.*

Animadvertisimus enim, infantilia corpora, habito ad vires partiumque texturam respectu, longis invicem distare intervallis. Qui enim ex sanis ac robustis parentibus prognati sunt, ut sunt homines plebeii, rustici, operarii, non facile a noxia quadam re lesionem sentiunt, nec adeo frequenter morbos afflictionibus tentantur. Qui vero infantes sati sunt a parentibus imbecillioribus, in adolescentia, vel senectute constitutis, valetudinariis, vel intemperantia & ebrietati litantibus, non longe magis morborum injuriis patent, & levissimam quoque lesionem ægre ferunt. Deinde infantes etiam ratione habitus corporis discrepant. Quibus enim caro spongiosa est, & nimis mature in pinguedinem exuberat, qui teneriores nervos ac tendines habent, non faciliter morbis obnoxii, nec adeo vivaces sunt. Qui vero carnem habent compactiorem, nervos solidiores, tensaque membranas ac tendines obtinent, eorum sanitas meliori nititur firmamento. Denique illud hoc loco animadvertisendum est, quod infans unus præ altero magis expostus sit affectibus spasmodicis ac convulsivis, & observando a nobis notatum est, infantes ab iis parentibus procreatios, qui

N 3 affe.

affectionibus animi fræna laxant, & lauto ac delicato vitæ generi indulgent, quo in numero divites, magnates & aulici sunt, vitam non adeo longe protrahere, & maxime iis morbis infestari, qui ex nervorum debilitate suam trahunt originem. Atque his lenissima diæta, & severiori lege circumscripta vitæ ratio accommodari debet.

## S. XI.

Nihil est, quod lactentis infantis sanitati magis aduersetur, quam nimia lactis repletio.

## Scholion.

Quemadmodum omnis repletio naturæ exosa est, & maxime digestionem lœdit; ita eadem multo magis in tam imbecillo subiecto pertinacientia est. Quare pessima nutricum consuetudo invaluit, dum infantibus, quando male habent, vel vagitus edunt, subinde mammas præbent, & invitis propemodum obtrudunt, quo nihil aliud efficiunt, quam ut ventriculum nimio lacte obruendo, cruditatibus ejus cumulum addant, ac vim morbi exasperent. Ingesta enim a ventriculo male digesta intra primam regionem stagnant, aëscunt & corrumpuntur. Hinc ingeniose dictum est ab Hippocrate: *nutrices dum lactant infantes, sœpe etiam mactant.*

## S. XII.

Tenerioribus propinandum est lac tenue ac fluidum: nam crassum, butyrosum & caseosum graviter tenellos affligit, quia a ventriculo non satis vinci atque expelli potest.

## Scholion.

Res maxime utilitatis est, lactis, quod nutrices infantibus præbent, examen instituere, & explorare, cuius sit consistens, & qua in proportione partes serosas, caseosas ac butyrosas continet. Optime autem hoc indagari potest evaporatione, deinde instrumento quadam statico, quo cerevisiae & aquæ librari solent, tum affusione spiritus vini rectificatissimi, qua proportio solidi ad fluidum cognosci potest; denique etiam butyrosam lactis substantiam investigare licet, quando lac per viginti quatuor horas in tepido loco reponitur.

## §. XIII.

Pessimæ conditionis lac crassum ac pingue est; melioris notæ, quod non adeo spissum, nec adeo tenue ac salsum, sed dulce & liquidum, & quod a sana acetosa nutrice funditur.

## Scholion.

Nimia lactis crassities commodissime mendari potest, si nutrix ante cibum moderato labore corpus exerceat, si infusa ex seminibus fœniculi, anisi, cymini, cum aqua calida parata, mane jejuno ventriculo sumat, si que nimia ciborum copia ipsi circumcidatur.

## S. XIV.

Consultum est primis mensibus offerre infanti lac tenue; procedente vero tempore & circa exitum anni paulo crassius non nocet, quod infantes recens editi ægre ferunt.

## Scholion.

Lac crassum vase adhuc tenuissima obstruit, & glandulas mesentericas villosque, & ostia valorum lacteorum spissa ac tenaci amurca oblinuit & infarcit. Præterea lac copiosum & spissum difficilius motu peristaltico per intestinorum anfractus trajicitur, hinc in acorem satiscit, inque corruptivum liquamen degenerat, unde molestæ inflationes, tormina, spasmi, dolorosæ alvi dejectiones, vigilæ, epilepsia & pavores in somno cooruntur.

## S. XV.

Lactis usus infantibus ultra annum concedendus est, ita enim majus robur partiumque firmitatem consequuntur. Si autem lactatio sex vel octo mensibus circumscribitur, tunc sensim cibo tenuiori & facilissimæ concoctionis assuefaciendi sunt.

## Scholion.

Pleraque matres in eo delinquere solent, quod infantes eo tempore, quo adhuc lac ex mammis hauiunt, pulmentis ex farina, ovis & lacte paratis infarciant, quod alimenti genus ob multam viscositatem non potest non esse noxium. Quare infantibus accommodiora sunt ea, quæ ex medulla panis similaginei, aqua, & butyro parantur. Faciunt quoque ad infantum sanitatem infusa v.g. ex radice glycyrrhize, herbis veronicae & scordii concinnata, qui-

bus

bus adjungi potest decoctum hordei corticibus citri insulam, cuius usus etiam nutribus pro lacte depurando suaderi debet.

## §. XVI.

Maximopere cavendum est, ne infantibus, si dentitione molesta personguntur, vel alio quodam morbo laborant, copiosum lac offeratur, quia facillime corruptionem ex stagnatione subit, morbumque exulcerat.

## Scholion.

Sub omni enim graviori dolore, universa nervorum compages, ob singularem, qui nervosis partibus communis est, consensum, afficitur; siquidem dolor nervosas partes violento spasmo constringit, unde ventriculi & intestinorum tonus motusque peristalticus, una cum digestione, & excretionibus, mirifice perturbatur, & fecum per alvum excretio impeditur.

## §. XVII.

Quo tenerior ætas est, eo longior somnus ipsi convenit. Quo magis vero ætas increscit, eo magis somno quipiam palatium detrahendum.

## §. XVIII.

Cūrare oportet, ut infantes semper alvum habeant laxiorem, eamque frequenter deponant. Simul ac enim alvi officium desideratur, morbum certissime imminere judicandum est.

## Scholion.

Quemadmodum in omni, ita etiam in infantili ætate, alvina excretio rite procedens, convenientissimum sanitatis indicium constituit, utpote quæ de nervosi generis integritate, a qua salvis intestinorum peristalticus motus dependet, liquidissime testatur. Alvus vero adstrictior semper extimescenda est, quia labefactatum nervosarum partium robur, adeoque corporis ad recipiendos morbos aptitudinem, designat. Cæterum præclare annotavit *Hippocrates de Dentib. §. 1.* infantes saniores esse, quibus alvus valde lubrica est, & bene concoquunt; morbosos autem, quibus modice fluit, qui voraces sunt, nec tamen convenienter nutriuntur.

## §. XIX.

Nihil magis ventricoli & intestinorum tonum in infantibus destruit, quam medicamenta purgantia paulo validiora.

## Scholion.

Hujus generis sunt ex gialappa & scammonio parata, ut & metallica, aurum fulminans & mercurius dulcis, quæ diutius intestinorum plicis inhærendo, membranosos eorum parietes erodunt, facta in primis acrum humorum accessione. Magis quadrant leniora laxantia, ut sunt rhabarbarina cum absorbentibus mixta, vel manna cum rhabarbari extracto maritata. Quanquam vero semper eo laborandum sit, ut crassa ac viscida laetis recrementa quotidie per alvum eliminentur, curam tamen adhibere decet, ut integer & salvis ventriculi atque intestinorum tonus custodiatur. Hoc enim infracto, vel penitus destruto, alvus nunquam suum rite præstat officium, unde frequentissima infantilium morborum origo derivanda est. Validiora enim purgantia hoc habent, ut una vice fortiter quidem alvum ducant, postea vero, laeso ac destructo intestinorum tono, alvi obstructions efficiant, quæ in infantibus sœcundissimæ morborum sunt genitrices. Sæpe hoc a nobis non citra dolorem, etiam in illustribus & conspicuis dignitate subjectis, animadversum atque prædictum est, quod etiam sinister, & luctuosus eventus confirmavit, quamvis medicorum quorundam ignorantia candide prolatam hanc veritatem multis modis fugillaverit. Suffragatur autem nostra sententia solidum Ferravii judicium, quod lib. de Art. Med. Infant. ita proponit: *Infantes ob virium imbecillitatem medicamenta valde alterantia tolerare non possunt. Eadem opiatorum est ratio, quæ infans ingenio infesta sunt, & corpus ad morbos præparant.*

## §. XX.

Infantes ac pueros sæpius, sed parum semper, assumere oportet, quod, quo temperatus est, eo magis alendis partibus accommodatum.

## Scholion.

Feliciter hæc lex diætética auctoritate Hippocratis, qui libr. de Pueror. Nutrimita fatur: *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimoque egent nutrimento, alias corpus absuntur. Infantum enim ac puerorum corpora, ut procedente-*

estate majus subinde eariant incrementum, copioso indigent succo nutritio, qui eorum partibus sensim apponi debet. Quum autem tenellus eorum venter copioso cibo concoquendo plane impar sit, hinc infantibus parum cibi, sed eo frequentius praehere decet, & quo magis alimentum temperie gaudet, eo etiam magis nutrientis partibus est idoneum.

### §. XXI.

Quæcunque temperiem excedunt, ea infantes, ac pueri in universo rerum non naturalium usu evitent necesse est.

#### Scholion.

Vinum, spiritus vini, omniaque acida, infantibus, ac pueris instar veneni nocent, quia non solum nutritioni, & partium augmento resistunt, sed etiam cerebro, ac nervis, inimica sunt, ac saepius cerebri functiones perturbant.

### §. XXII.

Ad conservandam tenellorum sanitatem plurimum confert æqualis, & moderata transpiratio. Quare infantes sub temperato regimine, & calore in lecto, & conclavi detineri, & ab omni intensiori frigore probe muniri debent. Si secus fit, facillime in tormenta ventris, & singultum incident.

#### Scholion.

Bene Hippocrates Libr. de Aliment. §. 6. qui probe, inquit, perspirant, debiliores, sed saniores sunt, & a morbis facile reconvalescent. Qui male perspirant, priusquam ægrotent, fortiores sunt, ubi autem agrotarunt, difficilius a morbis reconvalescent. Est autem transpiratio eam impennis ob rationem infantibus necessaria, quia multum egent nutrimento, cuius maxima pars rursum e corpore ejicienda est. Quo melius autem succedit hæc cutanea excretio, eo sincerius, & salutarius nutrimentum evadit.

### §. XXIII.

Lactentium infantum sanitas maxime dependet a lactis natura, & nutritiæ sana, vel debili corporis constitutione.

#### Scholion.

Quum enim infans a nutrice suam accipiat alimoniam, fieri non potest, quin a lacte deterioris notæ, vel penitus deprava-

to, maximum patiatur incommodum. Atque hinc evenire solet, ut infans, nutrice gravi ira, vel terrore correpta, facillime in epilepticas afflictiones incidat. Quo in casu consultum est manimas frequenter emulgere, & sedulo cavere, ne intra viginti quatuor horas infanti lac præbeatur. Quare infanti bene morata nutrix adjungenda est, semperque curare oportet, ut lac unius naturæ tenellis propinetur. Maxime autem infantis sanitati accommodata est nutrix, quæ mediocris ætatis, semel saltem lactavit, & jam bis partu defuncta, nunquam vero abortum passa est. Deinde & hæc ad dotes bonæ nutritiæ referri debent, si laudabili cibo nutritur, si moleum liquidi, sed valde tenuis, assumit, si ab omnibus acidis, spirituosis, inque putredinem pronis, ut & acrioribus purgantibus, abstinet, diurnum a cibo somnum fugit, & a venere prossus abhorret, & quæ inferiores corporis partes binis vicibus de die exercet, neque lac adeo crassum, ac superfluum in mammis alit, quippe quod furunculos, multisqæ ægritudines intra primam regionem prognerat.

### §. XXIV.

Maximopere cavendum est, ne tenerum infantum corpus multis, ac validioribus medicamentis exagitetur, & benigniora potius in usum vocanda sunt, quæ non intestinorum tonum ladtunt, ac transpirationem sartam, tectamque servant.

#### Scholion.

Infantibus nunquam validiora remedia offerri debent, siue rei necessitas talis quid exigat, illud tutius nutritiæ exhibetur. Constat enim frequenti observatione, exhibito nutritiæ quodam purgante, & laxativo, infantis alvum fieri molliorem.

### §. XXV.

Pueros, quoniam nutritione, & aetione opus habent, multum quoque, sed parum simul, & quod partibus aliendis idoneum est, assumere oportet, maximeque necessarium est, ut corpus moderato motu exerceant, inque perpetua perspiratione servent, hac enim ratione egregie adolescentes.

*Scholion.*

Qua fieri potest circumspetione pueri arceantur ab usu dulcium, laetis, & casei, utpote quæ vermium generationi favent, & humoribus corruptionem inducunt. Alienæ quoque esse debet puerilis ætas a vino, portibus spirituosis, & nimia corporis exercitatione, ne humores plus justo accendantur, & corpus intempestive exsiccatum, decenti augmentatione defraudetur. Qui autem literarum studiis animum consecrarent, eos alimenta crassioris texture, & flatulenta, ut fabas, pisa, milium, farinacea, & cerevisias inebriantes, diligenter evitare oportet. Hæc enim non tantum corporis robur enervant, verum etiam ingenii vim depriment, ejusque acumen multum obtundunt.

## §. XXVI.

Recte scribit Celsus, juvenum minus, que assumant, & quomodo carentur, interest.

*Scholion.*

Juvenili ætati magnus vigor inest, & ingens partium solidarum robur, quare juvenes, dum aetatis suæ patrocinium habent, non tam facile lacerantur, nec adeo stricte diæticis legibus se obligare debent.

## §. XXVII.

In juvenili, ac virili ætate semper collenda est mediocritas, & ita edendum, ut animi, & corporis vires reficiantur, neutrliquam vero opprimantur.

## §. XXVIII.

Circa viatum illud maxime cavendum est, ne ad sanguinem, nimis calidis, ac spirituosis, & fortiori motu exagitatum, frigidus potus, vel aer admittatur, ita enim magna pars juventutis funestis inflammationibus correpta præmature extinguitur.

## §. XXIX.

Juvenes, ac viri, quantum fieri potest, abstineant a calidioribus, & sanguinem emovoentibus, fugiant quoque fortiora purgantia, nec nimis immodeice animi affectibus indulgeant. Venæ sedio autem, si necessitas urgeat, hac in ætate non improbanda est.

*Scholion.*

Non possumus nobis temperare, quin hoc plane illustrem locum ex Baglio transferamus, qui hac de re ita sentit: In juvenibus humores ut plurimum faciunt impietum superiora versus, in senibus vero versus inferiora. Pendet id, si licet opinari, ex laxitate nimia solidorum, & fluidorum in senibus, contra vero ex nimia vi, tensione, ac elatere eorundem in juvenibus. Hac de causa ait Duretus in Coac. fol. 66. & 69. febres ardentes in juvenibus solvuntur per hemorrhagiam narium, in senibus per dysenteriam; sed ut hec certo observentur in praxi, sicut revera observari debent, jubente sic naturæ lege, animus omni cura solvendus est, ut libere hinc inde diffluere possim spiritus, & irradiare partes singulas, juxta naturæ ordinem; nam animo curis, studiis, & mille aliis causis vita civilis agitato, turbatoque, liquidorum omnium cursus mille modis turbantur, agitanturque, efflunt hinc inde suribunde, qua fluere non debent. Vid. pluribus Baggliv. Oper. pag. 350.

## §. XXX.

Pro valetudine est, a prima juventute duris laboribus, & victui duro corpus assefacere, & aere magis frigido, quam nimis calido, uti.

## §. XXXI.

Senum dieta ad examen paulo curatus revocanda est, utpote qui-jure, ac merito imbecillis accenseri debent.

*Scholion.*

Quo majus enim decrementum vires patiuntur, eo magis corpus externarum rerum iuriis opportunum est.

## §. XXXII.

Senili ætati maxime commendari debet mediocritas, temperantia in viatu, ac potu, animique tranquillitas; omne enim nimium senum naturæ quam maxima est inamicum.

*Scholion.*

Quare a proiectiori ætate aliena sint dimissæ ciborum repletio, frequens: viari, præsertim acidi, ac tartaci, usus, alimenta intemperata, salsa, acida, dura & quæcumque difficiliora ventriculus subiunguntur.

## §. XXXIII.

Nihil æque senum valetudinem affigit, quam crebrior acidorum usus, & frigoris vehementia.

*Scholion.*

In decliviori ætate sanguis lentiori gradu per vasa fertur, & omnes, quæ alias sanitati præsidio sunt, excretiones languent, unde humores spissitudinem induunt, & ad subeundam stagnationem inclinant. Quum itaque frigus, & acida humores debita privent fluxilitate, ipsumque calorem depriment, in procinxi est ratio, quare frigus, & acida senum valetudini magnopere adversentur, inque morbis, quibus hæc ætas patet, progenerandis plurimum valeant. Alimenta in senum ventriculo facile aceſcent, eamque ob rationem lacticinia, & caseus huic ætati insignes molestias creant.

## §. XXXIV.

Senibus maxime convenient ea, quæ ventriculo promte obsequuntur, præsterim in cœna, ut quietiori somno fruantur, qui devexæ ætati maximum semper solatum affert.

## §. XXXV.

Victus quo propius ad simplicitatem, ac temperiem accedit, eo magis tuendæ senum valetudini velificatur.

## §. XXXVI.

Nunquam senibus a vita genere, cui tam ratione motus, quam victus, jam inde a multo tempore assueti sunt, sine gravi causa recedendum est.

## §. XXXVII.

Senibus maxime conducibilis est moderata transpiratio, hinc laborandum, ut illa semper rite succedat.

*Scholion.*

Transpirationem egregie juvat motus, sive exercitatio corporis, sub aere temperato instituta, & vinum forte, ac generosum, quod non modo transpirationem movet, sed & universo corpori vigorem, ac rebor conciliat, unde vinum haud illepius lac senum appellatur. Faciunt quoque hoc infusa herbarum aromaticarum, ut salviæ, melissæ, corticum citri, & cinnamomi. Valde autem senibus nocent vina vaporosa, ac sulphurea, vel que-

principio acido, & adstringente pollent, quoniam alvum obſtipant, & decentem urinæ fluxum intercipiunt.

## §. XXXVIII.

Venæ ſectio ætate affectis magnam promittit utilitatem, quæ præcipue tunc locum habet, ſi vires ſuppetunt, ſi appetitus eſt integer, & univerſum corpus adhuc quodam vigore inſtructum eſt.

*Scholion.*

Magna pars ſenum quam longiſſime vitam poſſet extendere, niſi ſanguinis depletiōnem negleciū haberet. Sanguinis enim abundantia, in quam hæc ætas, ob vitam ſedentariam, & victum paulo libraliorem, proclivis eſt, multos jugulare ſoler, ſiquidem ſcorbutum, viſcerum infaſtus, marafnum, affectus ſoporofos, & præcipue apoplexiā, corpori inducit. Quo de argumento plura legi poſſunt in *Difſert. noſtr. de Vene ſectione magno ad vitam longam remedio.*

## §. XXXIX.

Senes, quoſ vires corpus exēcendi deſtituunt, frictionibus curare debent, ut ſanguinis circuitus promoteatur.

## §. XL.

Senes a nimio carnioni eſu abſtinere oportet, vegetabilia autem coctione molliſta, ut paſſulæ, pruna, poma, magis eorum sanitati accommodata ſunt.

*Scholion.*

Carnes nimiam ſanguinis abundantiam corpori ingenerant, quæ ſenibus, utpote a corporis exercitatione alienis, infenſiſima eſt, & præcipuum morborum, quibus ſenes affliguntur, cauſam conſtituit. Longe melius ſenum valetudini inſerviunt legumina molliora, olera, & piceſ, quia parum ſaltem nutritii ſucci continent. Placet autem hoc loco peculiarem obſervationem inſerere, quam *Baglivus in Operib. pag. 388. ſcriptam reliquit*, & ita habet: *Animadvertes in praxi, aliquos etiagros fluxiſinibus, & diuturnis morbis obnoxios, tempore quadragesimali convalescere; paſchate iterum ab eſu carnium langeſcere. Obſervabis etiam quodam morbos ab obſoleto eſu cauliū, leguminū, oleum, piceum, aliorumque ciborum huiusmodi*

modi evanescere , cibis vero boni succi exacerbari , & crescere .

## §. XLI.

Senibus quam maxime nocent purgantia , & graviores animi commotiones , quo magis enim corpus debile , & imbecillum est , eo majorem a qualibet intemperie lassionem emittit .

## §. XLII.

Diversis anni temporibus diversum quoque vitæ regimen accommodandum est , quoniam aeris status immutatus magnam animantium corporibus inducit mutationem .

## §. XLIII.

Hyemaliter tempore , ob auctam aeris elasticitatem , fibrae majori labore instrutæ , & ad motus exercendos , juvandam que ciborum concoctionem promptiores sunt , quare tunc temporis victum paulo duriorem , & crassiorum longe melius , quam alio quovis anni tempore , ferre possumus .

## §. XLIV.

Quum transpiratio per hyemem , tubulis cutaneis a frigido aere admodum contractis , quodammodo colibetur , hinc brumali tempore vinum meracius , & cerevisia efficacior egregie convenient . Expedit quoque jusculis , & infusis calidis frequenter uti , & semper curam adhibere , ut perspiratio assumitorum quantitatii respondeat .

## §. XLV.

Pessima consuetudo est , quæ præsertim apud Germanos invaluit , sub acriori frigore conlayia , imprimis humiliora , nimis calefacere , ita proflus , ut ferventissimo calore homines quasi torreantur . Quum enim brevi post ad levandum ardorem corpus frigido aeri committant , catarrhos defluxiones , coryzas , & capitis debilitatem , sibi accersunt , quæ procedente tempore periculosa nervorum affectiones inducere solent .

## §. XLVI.

Vere aliquantum cibo detrahendum , & potui adjiciendum est , quo temporis tractu veneri etiam tutissime litatur .

## §. XLVII.

Pessime sanitati consulunt , qui sub ipso

veris initio statim vestes hybernas depont , & levi saltet incedunt amictu , qualis tempore æstivo in usu est .

## Scholion .

Verno tempore magna est cœli varietas , & perpetua calor , & frigoris vicissitudo . Si itaque calida aeris constitutio in frigidam tempestatem subito transmutatur , frigus poris calore apertis se se insinuat , eosque constringit , unde curauæ exhalationes , quarum emissio tempore vernali admodum salutaris est , cum insigni sanitatis detrimento intra corpus retinentur .

## §. XLVIII.

Prohibita transpiratio vix ullo tempore magis , quam vernali extimescenda est , quia corpus ad gravissimas afflictiones præparat .

## Scholion .

Testes hujus rei sunt complures morbi , & febres , præsertim exanthematicæ , quæ plerumque vernali tempore incident , nec aliunde , quam ab intercepta transpiratione , suam trahunt originem . Per hyemem enim plures , ac superflui succi copia ciborum in corpore accumulantur , quos natura , cœu alienos , & supervacaneos , facta sub vernali anni statu majori , tam in solidis , quum fluidis partibus , expansione , foras ejicere laborat . Quare nulla anni pars magis , quam verna , præservandis a morborum insultu corporibus accommodata est . Atque hinc etiam ratio perspicua evadit , quare consuetudine receptum sit , vernali tempore venæ sectiones instituere , & sanguinem lenioribus laxativis , & infusis depurare ; siquidem hic cœli status ejusmodi præservativis curationibus cum fructu suscipiendis egregie patrocinatur . Diligenter itaque disperciendum , ne salutaris perspiratio , quæ corporis universi fôrdes expurgat , per vernum tempus ullo modo intercipiatur .

## §. XLIX.

Nullus est anni status , aut conditio , quæ plures producat morbos , quam tempus vernum , & autumnale . Jam quum sumnum sanitatis præsidium in libera transpiratione sit collocatum , laborare oportet , ut illa semper rite succedat .

*Scholion.*

Quare tunc temporis corpus adversus frigoris inclemiam probe munire decet; & quia aer multis, naturæ inimicis exhalationibus refertus est, summo studio candum, ne sub initium veris, vel exitum autumni, nimirum mense Martio, ac Novembri, ut & tempore matutino, ac vespertino, corpus liberiori aeri exposatur.

*§. L.*

In autumno eadem, quæ in vere observanda sunt, quia eadem est coeli intemperies, & subita tempestatum mutatio, qua salutaris perspiratio facile supprimitur. Et quoniā in hanc anni partem æquinoctiale tempus incidit, ideo imminentibus morbis præservativa curatione obviam eundum est.

*§. LI.*

Æstate magis pro sanitate sunt vegetabilia, & potiones dilotæ, abstinendum vero a viatu duro, & crassiori, vino, vel spiritu vini, intempestivo, & nimio usu tabaci, qui tamen vere, & autumno admitti potest. Venus autem secundum Cel. si monitum æstate fugienda est.

## C A P U T XIII.

*De diata sexui convenienti.**§. I.*

**C**orpora diversi sexus diversam quoque diatam, & vitæ regimē desiderant.

*§. II.*

Fœminæ viris sunt imbecilliores, hinc diata peculiari opus habent.

*Scholion.*

Fœminæ laxiori corporis habitu, & maximam partem vitæ otiosæ, & voluptatibus additæ sunt, parum bibunt, corpus habent exquisite sentiens, ad spasmos & convulsivos motus proclive, & sanguini redundanter colligendo valde opportunum. Præterea etiam certis, ac statis temporibus solennem sanguinis per uteri venas profusionem patiuntur. Ex quibus conficitur, sexui potius fœminino, quam

virili, de peculiari vivendi ratione esse prospiciendum.

*§. III.*

Mollior sexus, teste experientia, ut plurimum pessime habet, turbato, vel male procedente sanguinis ex utero profluvio; viget vero ejus sanitas menstruali hoc fluxu rite constituto.

*Scholion.*

Quapropter medicum omnem curam in eo collocare oportet, ut uterina hæc sanguinis excretio debita semper in quantitate, tempore, & ordine respondeat, nonquam vero perversa diata, & neglecto vita regimine turbetur, vel plane cohíbeatur. Menstruam vero sanguinis ejectionem nihil æque pervertit, ac frigoris, impendente mensium fluxu, liberior ad ventrem, & inferiores partes admissio. Multum quoque in violanda hac sanguinis excretione valent graviores animi commotiones, præsertim terroris vehementia, cuius tanta vis est, ut sibi ipsum præsentem fluxum sistere, & cohíbere soleat. Neque tunc temporis expedit, gravioribus curis inhærente, vel animum pravis desideriis exagitare, sed potius animi tranquillitas omni studio colenda, & observanda est. Tempore quo menses fluunt, abstinere oportet ab omnibus acidis, flatulentis, viatu duro, crasso, & nimium refrigerante, lacticiniis, & viscosis. Evitari quoque debent panis calidus butyro illitus, frigida potio, cerevisia fœculenta, & omnia, quæ adstringendi facultate gaudent.

*§. IV.*

Instante mensium fluxu, sanguinis circulum, ac motum liberum omni modo promovere consultum est.

*Scholion.*

Liberiore sanguinis fluxum egregie efficiunt infusa herbarum temperate balsamicarum, ut sunt herba melissæ, veronicae, flores cheiri, anthos, cortices cinnamoni, citri recentes, loco infusi herbæ thee mane sumta. Expedit etiam alvum semper habere paulo laxiorem, unde si illa diutius adstricta fuerit, clyster emolliens infundendus, vel dosis pilularum balsamicarum exhibenda est. Multum quoque juvant

want moderata corporis exercitatio , & aeris temperate calidi usura , semperque curandum , ut pedes , & inferiores partes a frigore probe defendantur .

## §. V.

Singularis etiam vita ratio præcipienda est foemini , quæ uterum ferunt , ne vel ipsa mater , vel quod intus gerit , aliquid capiat detrimenti .

*Scholion.*

Infans enim utero conclusus quasi par tem corporis materni constituit .

## §. VI.

Qualis est matris sanitas , qualis animi , humorum , motuumque conditio , talis quoque status infantis est . Quo vegetior ergo mater est , eo vegetior quoque fœtus observatur , & quicquid matri nocumentum afferit , illud multo magis imbecilli fœtus sanitatem pervertit . Quare summa exigit necessitas , ut foemina ante omnia sub impragationis statu summam corporis sui curam gerant , vitamque degant ad sanitatis leges quam maxime accommodatam .

## §. VII.

Fœminas in dixta amplecti decet maxime ea , quæ sanguinem bonum , ac temperatum corpori ingenerant , quæ humoribus conciliant fluiditatem , & superfluas excrementitias partes a vitalium succorum consortio arcent . Fugere autem oportet omnia intemperata , quæ humores vehementer in motum cident , quæ eos impuros reddunt , vel nimis copiosum sanguinem suppeditant .

*Scholion.*

Quemadmodum omne intemperatum sanitati , & naturæ corporis nostri noxam minatur , ita hoc multo magis prægnantiibus insidias struit . Quare a foemini exulare debent graviores animi affectus , frigus immodicum , removeantur immoderatior æstus , nimia ciborum repletio , vehementis corporis motus , somnus diuturnus , alimenta difficultis solutionis , & malii succi , omniaque validiora emetica , purgantia , & quæcumque ob suam activitatem humores in vehementem motum conjiciunt . Majorem vero gravidarum sanitati utilitatem pollicentur omnia tempe-

rata , quæ benignos , & laudabiles succos corpori largiuntur , ventriculo rite obtemperant , & excretoria citè trajiciunt .

## §. VIII.

Quum sanguinis fluxus in gravidis cessans in statum plethoricum eas conjiciat , hinc nihil magis confert ad tuendam matris sanitatem , spemque uteri servandam , quam debito tempore instituta vena sectio , quæ in nonnullis mense statim secundo , in plurimis vero tertio celebranda , & pro rei necessitate , septimo , vel octavo repetenda est .

*Scholion.*

Nimia sanguinis redundantia eam observationem corpori in gravidis detrahenda est , quoniam sibi relicta , & matrem , & infantem in gravissimas afflictiones precipitat . Quia vero una foemina præ altera copiosiore fæcum in venis alit , ea propter huic deplendo neutiquam sufficit unica vice administrata vena sectio , sed potius in quibusdam subjectis aliquoties , nimirum ter , vel quater , sanguis e venammittendus est . Hac enim ratione tristis abortio , aliaque , quæ gravidas invadunt , incommoda , egregie avertuntur .

## §. IX.

Plethora , gravidis quam maxime familiaris , ut plurimum cacochytmiam progenerare solet ; idecirco medicum , cui matris , & infantis , salus commissa est , curam adhibere oportet , ut perniciofa hæc succorum depravatio decenti auxilio a corpore arceatur .

*Scholion.*

Commodam hac in re operam locant Ieiuniora evacuantia , quæ collectam in primis viis impurorum succorum colluvient blande educunt ; quod consilium suo quoque confirmat suffragio divus Senex sett . 5 . aph . 29 . prægnantes , inquiens , purgabis si materia turget , quadrimestres , & usque ad septimum mensem , sed has minus . Huic scopo convenientia medicamenta balsamica , quæ clementer evaeuant , simulque ventriculum , & intestina , cum universo genere nervoso , roberant . Faciunt huc pilulae Becheri , & rhubarbarinæ , neque minus passulæ rhubarbarinæ , adjecto pauzillo cinnamomi .

## §. X.

Gravidis maxime infesta sunt fortiora purgantia, quia validiori spasmo intestinorum membranas, & nervosas corporis partes contorquendo, utrum ad elidendum foetum sollicitant, vel etiam ventriculi tonum, ac robur destruant.

## §. XI.

Ad removendam impuritatem succorum egregiam quoque opem ferunt ea, quæ perspirationem reddunt liberiorem.

*Scholion.*

Quare gravidis frequenti in usu esse debent pulveres bezardici fixi, elixir stomachale, infusa herbarum calida, moderata corporis exercitatio, & vinum generosum, sed parce, & convenienter usur pandum.

## §. XII.

Primis mensibus gravidas non adeo edaces esse oportet, inque toto ingravidationis statu temperantia maximopere commendanda est.

*Scholion.*

Nimia enim repletio multas producit cruditates, quæ benignorum succorum generationem impediunt. Unde frequenti nobis constat observatione, nimiam ciborum satietatem debitæ infantis nutritio ni esse impedimento. Et videmus, obesas mulieres frequenter infantes edere imbecilles, ac macilentes, quum e contra pingues, ac robusti a macilenta matre sèpissime procreantur.

## §. XIII.

Maxime omnium gravidæ sibi temperare debent ab animi commotionibus, præfertim terrore, & perversis impressionibus, quæ infantis sanitati magnopere adversantur, decentemque ejus conformatiōnem turbant, atque impediunt.

*Scholion.*

Testatur experientia, perversam matris imaginationem multa infantibus de honestamenta corporis imprimere, ita, ut sèpius manifesta earum rerum vestigia conspiciantur, quarum imagines diuturna contemplatione animo altius a matre infixæ fuerunt, id quod maxime ultimis annibus evenire solet.

## C A P U T XIV.

*De consuetudinis in tuenda valetudine efficacia.*

## §. I.

**Q**uemadmodum in omnibus rebus, quæ animum, & corpus humanum afficiunt, magna vis est consuetudinis, ita etiam illa in tuenda sanitatem, & rerum non naturalium usum, plurimum valet, eamque ob rationem a medicis diligenter attendenda est.

## §. II.

Consuetudo nihil aliud est, quam certa partium corporis, quæ motibus præsunt, ad certos motus edendos, ob frequens, & repetitum præcedens exercitium, dispositio, qua, vel sponte, vel levi saltu data occasione, iterum similes motus producuntur.

*Scholion.*

Quid sit consuetudo, cuius tanta in animo, & corpore nostro alterando est efficacia, huc usque nondum satis exquisite exploratum, atque perspectum est. Nos in ea sumus sententia, consuetudinis naturam certa partium, tam solidarum, quam fluidarum, ad motus quosdam repetendos, aptitudine, contineri. Quare omnes corporis nostri partes obnoxiae sunt consuetudini, & ejus efficacia promte obediunt.

## §. III.

Quotidiana experientia docemur, diutius consueta difficulter mutari, & consuetudinem alteram quasi naturam constitutere.

*Scholion.*

Per corporis enim naturam nihil aliud intelligitur, quam peculiaris solidarum, & fluidarum partium, ad certos motus, & functiones præstandas, dispositio. Quum itaque a sepe repetitis aliis motibus, per externas causas introductis, insita & naturalis deleatur dispositio, & prorsus alia inducatur, priori contraria, hinc talis aliorum motuum assuefactio haud inconcinne, altera natura appellari potest.

## §. IV.

## §. IV.

Consuetudo efficit, ut motus non solum incertis partibus, sed fixis, & statim quoque temporibus, certoque gradu, iterentur.

*Scholion.*

Si quis aliquoties certo tempore cibum assumit, aut somnum cepit, vel ex eo expergesfactus est, aut alvum depositum, statim his actionibus assuescit natura, & eadem hora accedente, harum rerum desiderium reddit. Quanquam autem difficile sit, atque arduum, genuinam, & mechanicam hujus rei dare explicationem, intellectus tamen humani imbecillitas, quæ ad interiorem harum actionum, præcipue quoad modum, cognitionem adspicere haud potest, ipsius rei existentiæ nihil derogat. Neque vero accurata harum rerum explicatione nos destitutos, a claris & manifestis causis temere transire decet ad tale principium, quod omnem pene conceptum exsuperat. Neque eam ob causam confugiendum ad principium, fibris corporis nostri motricibus insitum, quod occulta quadam sentiendi, & externas res percipiendi facultate polleat.

## §. V.

Natura ob frequentem usum rebus in se insalubribus, & corpori minus proficuis tandem facillime assuescit.

*Scholion.*

Qui prima vice tabaci fumum haurire tentant, graviter ut plurimum ab eo offenduntur, quæ tamen procedente tempore commodissime ferunt, tandemque ita ipsi assuescunt, ut frequentiori ejus usu penitus delectentur. Eodem modo comparata sunt narcotica, quæ quanquam rarius assumta corpori torporem, & sensibus stupiditatem inferre soleant, diurna tamen assuetudine non amplius nocumento sunt. Luculentum hujus rei testimonium Persæ exhibent, qui prima in pueritia saltem pauxillum opii assumunt, cuius tamen quantitatem sensim ita augent, ut tandem ingentem ejus copiam, sine ullo incommodo, devorare possint; quod quidem eo faciunt consilio, ut ad coitum celebrandum sint promptiores. Ipse novi quendam hæmoptycum, qui ob crebrem opiatorum usum ita iis assuesfactus est,

ut postea extracto opii ad drachmæ dimidium, sine ulla noxa, aut gravi symptome, uti potuerit. Neque ignotum est, certorum locorum incolas aeri vappido, atque humido ita posse assuesteri, ut sanam ac diutinam vitam ibi degere possint, quum tamen haec cœli insalubritas aliorum, qui ejusmodi loca petunt, sanitatem prolinus insigniter affligat. Illud vero hoc loco neutiquam prætermittendum est, consuetudinem alimentorum etiam, quæ naturæ admodum inimica sunt, insalubritatem ita quasi mitigare, & contemperare posset, ut eorum nocendi facultas multum vel penitus hebetetur. Res per vulgata est de pessimo Polonorum more, qui spiritum vini fortissimum ad aliquot mensuras quotidie hauriunt, quod si quis alius insuetus tentaret, nullum dubium est, quin ingens sanitatis, aut vita periculum, sit aditurus.

## §. VI.

Amat natura etiam medicamentis Iapæius usurpatis ita assuescere, ut eorum medendi efficacia tandem plane obtundatur.

*Scholion.*

Quam ob rem vere dictum est ab Aristotle: natura pharmacis assueta, eorum vires contemnit. Atque hinc valde consultum fore arbitramur, si medici in diutinis morbis medicamenta permutant.

## §. VII.

Noxam, quæ ab affectibus animi extimescenda est, etiam consuetudo amolitur, siquidem iracundia, quæ quasi in consuetudinem cessit, nullam prorsus sanitati injuriā inferre solet.

## §. VIII.

Nihil magis sanitati insidias struit, quam subita rerum consuetarum mutatio.

*Scholion.*

Sapienter Celsus Libr. I. cap. 3. scribit. Neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus, satis tutus est, neque ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate famæ, idonea est, pericitaturque, O qui semel, O qui bis, die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit; neque ex nimio labore subita

inter-

intermissio sine gravi noxa est. Ergo, quum quis aliquid mutare volet, paulatim debet assuescere. Atque hinc est, quod in regionibus septentrionalibus educati, ubi in regiones calidiores veniunt, insuetum calorem primo molestie ferant, & raro a morbis immunes sint, quod etiam vice versa valer. Neque minus frequenter accidit, ut si quis reliqua patria in aliam regionem, ubi alia vivendi ratio, & insueti aeris usura est, magnas ut plurimum ab hac mutatione molestias sentiat, quæ tamen longiori consuetudine multo fiunt mitiores. Deinde etiam observando nobis cognitum est, infantes lactentes, qui diutius intra parietes domesticos detenti postea subito in liberiorem aerem procedunt, graves pati dæsiones; quarum omnium vix alia causa est, quam subita, & improvisa rerum consuetarum mutatio.

## §. IX.

Laude digna sunt verba Hippocratis, quæ sect. 11. aph. 50. ita proponit: Ex multo tempore conueta inconsuetis molestare non solent, et si sint deteriora. Et aphor. 49. ad sueti, inquit, debiles ferre possunt ea, qua inassuetis robustis molestiam creant.

## Scholion.

Qui urbano, & concluso aeri multum affluefactus est, facile a puro, libero, & aperto aere, qualis maxime ruralis est, perturbatur, & plerumque lassitudinem corporis sentit, vel quandam capitis gravitatem. Qui diu cerevisias amaras potarunt, dulces postea ferre nequeunt. Quam ob rem etiam ægris in iis rebus, quibus diu assueti sunt, & a quarum usu non adeo gravis noxa extimescenda est, interdum gratificari oportet. Vid. Sponius ad Hippocr. sect. 4. aph. 64.

## §. X.

Si quis aliquid mutare volet, etiamsi perniciosum sit, paulatim hanc mutationem instituere debet; quod enim paulatim, ac successive fit, illud tuto fit. Vid. Hippocr. sect. 11. aph. 50.

## §. XI.

Homo perfecte sanus, ac robustus nullis rebus nimirum, ac longius assuescere debet,

## Scholion.

Optimum hac de re Celsi præceptum est, quod Lib. 1. cap. 1. hunc in modum tradit: Sanus homo, qui & bene valet, & sua sponte est, varium habere debet vitæ genus, modo in rure esse, modo in urbe, modo in agro, navigare, venari, quiete se interdum, sed frequenter se exercere. Prodest etiam balneo uti, interdum aquis frigidis, modo ungi, modo id ipsum neglige, nullum cibi genus fugere, quo populus uitetur, interdum in convictu esse, interdum se ab eo retrahere, modo plus justo, modo non amplius assumere.

## C A P U T X V.

De remediis ad sanitatem tuendam, morbosque preavendos accommodatis.

## §. I.

**H**omo sanus, & perfecte incolunis, quantum fieri potest, nec medico, nec pharmacopeis utatur, sed potius, juxta Montani consilium, & medicos, & medicamenta fugere debet, si sanitatem suam salvam, & integrum conservare velit.

## Scholion.

Intelligendum hoc ipsum est de corporibus tam robustis, quam imbecillioribus. Illa ex vasorum capacitatem, carnis soliditate, nervorumque, & ossium firmitate, & insigni externalium rerum injuriis resistendi potentia, cognoscuntur. Hujusmodi corpora non adeo facile à morborum insultu expugnantur, diutius perennant, & facilis amissam sanitatem recipiunt, si modo illud in omni vitæ genere obseruent, ut temperantia, & mediocritatis cultum magni habeant. Atque hujus indolis corpora non adeo rigidis legibus digesticis, nec magna remediorum multitudine, aut varietate, indigent. Imbecilliores etiam, & debiles, ac morbis obnoxios, ut in hypochondriacis videmus, a copia & varietate medicamentorum lardi, quotidiana experientia edocemur. Quare merito his in suis curationibus, exercitatis.

zissimus in arte nostra vir, *Montanus*, suadet, ut, si valere velint, medicos, & medicamenta fugiant.

## §. II.

Cui corporis sui integritas curæ, cordique est, eum abstinere oportet a fortioribus purgantibus, quippe quæ infelix admodum, & virulentæ indolis sunt, ac non modo stomachi, sed & universi corporis vires frangunt, nullique ætati converniunt.

*Scholion.*

*Asclepiades*, teste *Celso*, in *Præfatione Lib. 5. pag. 241.* usum purgantium maxima ex parte fustulit, quia omnia fere stomachum lxdunt, & mali succi sunt. Huic ipse *Celsus* adstipulatur, scribens: *optima medicina est, non uti medicina.* Qua in re sequi videtur *Hippocratem*, qui *sect. 11. aph. 33.* qui bene, inquit, *corpus habent*, *hoc purgare periculosum est.* Et *aph. 36. sa. na*, ait, *habentes corpora, dum purgantibus fatigantur, cito solvuntur.* Merito igitur *Campegius de cibrat. medicam. venenosa*, & maledicta vocat purgantia. Et apprime ad veritatem de validis pharmacis longo usu eductus *Crato* sentit: *qui reclam, inquiens, viclus rationem tenere volunt*, *iis optimam medicinam præscribere supervacaneum est; nam omnia prius ad valetudinem reclam tuendam tentanda sunt*, *quam corpus medicamentis laboriose comovendum.*

## §. III.

Pessimo more receptum est, corpus replere, & omnia pro lubitu ingerere, potestea vero a medicis evacuantia sollicitare, & rursus nimia corporis repletioni indulgere.

## §. IV.

Si quis ex usu rerum non naturalium male se habeat, ita, ut imminentem morbum extimescat, abstinentia, motu & quiete, tam auii, quam corporis, materia superflua, & morbum committens, evacuanda est, antequam medicorum auxilium exposcatur.

## §. V.

Quia nimia ex cibo, ac potu repletio plethora, & eacochymia, sœundissimis morborum procreatricibus, plurimum fa-

vet, necesse est, ut medicus promoven- dis superflui sanguinis, & humorum eva- cuationibus invigilet, quas inter venæ se- ctio primum locum tenet, & præsenta- neum auxilium constituit.

*Scholion.*

Sanguinis ex venæ emissio penitus qui- dem e medicina exulare posset, si super- fluam sanguinis, & humorum copiam ab- stinentia, motu, & exercitatione corpo- ris imminuere quæreremus. Quum vero pauci sint, qui id consilii amplectuntur, ideo ipsa necessitas nos ad hoc remedii ge- nus compellit, qua de re plura legi pos- sunt in *Dissertat. nostr. de magno vene se- ctionis ad vitam sanam, & longam præse- dio.*

## §. VI.

Venæ sectio vere, & autumno, præser- tim circa tempus æquinoctiale, conve- nientissima est, summumque corporis a variis afflictionibus defendendi præsidium constituit.

*Scholion.*

Optime *Hippocrates* *sect. 6. aph. 47.* ait: *Quibus vene sectio, aut medicamentum conductit, his vere venam secare, aut me- dicamentum purgans exhibere convenit.* Hinc quæ vere, & autumno præservatio- nis causa instituuntur curationes, ut anti- quissimæ, ita neutiquam contemnendæ sunt. Venæ sectio enim nimiam sanguinis quantitatem, quæ vere maxime molesta, & periculi non expers, purgationes vero seri vitiosi copiam corpori detrahunt.

## §. VII.

Quia morbi contumaces, & chronici partim ex ingestorum, & digestionis vi- tio, partim quoque ab excretionum defec- tu suam originem ducunt, ideo medicum operam dare oportet, ut, si præservatio- nis officio rite perfungi velit, exigente rei necessitate, non modo coctionem alimen- torum, sed eorum quoque excretiones, & maxime transpirationem, remedii ad- juvet.

*Scholion.*

Quare omnia, quæ chylificationi fa- vent, hoc est, chylum blandum, dul- cem, & spirituosum gignunt, & quæ ace- scendentia, chylificationi admodum infec- tione I.

O fami,

sam, in primis vijs removent, optima, & tutissima ad vitam, & sanitatem tuendam remedia haberi debent. Spectant autem huc omnia balsamica, roborantia, medicamenta stomachica, ex balsamicis, aromaticis, & roborantibus parata, ut essentia corticum aurantiorum, sal volatile oleosum *Sylvii*, nostrum sic dictum balsamum vita, essentia ambre, elixirium stomachale *Michaelis*, elixir nostrum balsamicum in notis ad *Poterium* descriptum. Pertinent huc quoque amara, quorum maxima in promovendo chylificationis negotio virtus est, dum acorem obtundunt, viscidum abstergunt, & alvinas excretiones insigniter adjuvant, si nimirum cum recentis balsamis combinentur. In horum numero sunt essentiae amaræ, absinthii, trifolii fibrini, radicis gentianæ, centaurii minoris, cardui benedicti. Faciunt huc denique alcalina, præsertim fixiora terrea, acidum absorbentia, & ex animali regno tutissima, ut lapides cancriorum, ac testæ ovorum, quæ terra subtiliori gaudent, & ob insignem usum vix satis depraedicari possunt.

### §. VIII.

Origo morborum, quos medicus amoliri intendit, potissimum a seignioribus, & interceptis excretionibus deducenda est, atque hinc medico incumbit curare, ut alvus quotidie suum præster officium.

### *Scholion.*

Ex iis, quæ alvi excretionem sine nova, & destructione motus peristaltici promoveant, maxime commendanda sunt salina, quæ omni virulentia carent, & præcipue stimulando operantur. Eminent ex illis sal Ebshameense, Sedlicense, a nobis detectum cum ejus fonte in Bohemia, arcanum duplicatum, sal fontium Egrancorum, tartarus tartaratus, & vitriolatus. Omnibus tamen palmam dubiam facit aloë, rite præparata, & secundum imitationem Becheri cum balsamicis mixta, quod in pilulis Hermannianis, Stahlianis, & nostris observatum est.

### §. IX.

Quum perspiratio libera omnes reliquas excretiones supereret, & summum sit sanitatis præsidium, idcirco medicum semper

eo respicere oportet, ut huic excretioni male procedenti convenienti auxilio succurrat.

### *Scholion.*

Perspirationem egregie, & sine ullo incommodo movent infusa herbarum nostratum, temperate balsamicarum, immo roborantium, ex aqua calida, ut sunt veronicæ, betonicae, salviæ, melissæ, menthae, basilici, faturejæ, item seminis fenniculi, anisi stellati, cinnamomi, corticum citri, aurantiorum recentium, necnon, infusum herbe thee, decoctum caffee, moderatus usurpatum, quæ calidissime, vel in calefactione conclavi, vel melius in lecto, mane hausta, sanguinis, & humorum motum juvant, fluiditatem succis conciliant, viscidos humores dissolvunt, & salia peregrina, & excrementitia, facta curaneorum tubolorum dilatatione, eliminant. Ubi vero fortior cuticularis excretio provocanda est, conveniens dosis spiritus *Buffii*, balsami vita, vel spiritus eboris balsamici, commendatis infusis adi potest.

### §. X.

Quandocunque chronicæ passiones corpori diutius infederint, vel causæ morbificæ præsentes gravem morbum minentur, tum ad hunc avertendum, & chronicas passiones leniendas, decens usus fontium salubrium, & mineralium esse debet quam commendatissimus.

### *Scholion.*

Fontes salubres sunt vel calidi, vel frigidæ, quorum illi thermæ, hi acidulæ appellari solent. Utrique eadem fere ingredientia, videlicet spiritum sulphureum volatilem, sal fixum alcalinum, vel neutrum, & volatile vitriolum custodiunt, inque decenti copia, & convenienti regmine hausti, universum corpus pervadunt, & ad ipsius minima vasa, ac tubulos penetrant, obstructiones recludunt, stagnantes humores dissolvunt, & in motum cident, omniaque emunctoria stimulant, adeoque urinam, alvi recrementa, sudorem, salivam, omnesque superfluos humores, sine ulla virium, vel appetitus dejectione, potenter educunt. Quare non datur in rerum natura, inque attis chymicæ

ex inventis remedium, quod in sanitate  
tuenda, & morbis vel antevertendis, vel  
tollendis, fontibus sic dictis salubribus  
æquiparari possit. Siquidem horum virtus  
amplissima, & plane excellens omnium  
saniorum medicorum consensu, & diuturna  
experientia, per tot seculorum decursum,  
in omnibus individuis, cunctisque  
in regionibus satis, superque comprobata  
est. Mineralia enim æstivo, & potenti  
principio gaudent, & quæ ex salium clas-  
se tutissima remedia constituant. Deinde  
etiam ipsum aquæ elementum ita est  
comparatum, ut omnibus aliis medica-  
mentis virtute antecellat, id quod fusi  
explicavimus in *Dissert. nostr. de aqua me-  
dicina universalis*. Et ipsa quoque natura,  
quæ velut optima medicinæ magistra sedu-  
lo imitanda est, medicos peritos docet,  
salia subtiliora alcalina fixa, & neutra,  
ut & vitriolacea tenuiora, omnium, quæ  
ex chymicis in usu sunt, ad tollendos mor-  
bos esse efficacissima. Cæterum de horum  
fontium ingredientibus, eorumque usu,  
& abuso legi possunt *dissertationes nostræ  
de prudenti fontium medicatorum usu*, item  
det *hermis Carolinis*, *de thermarum*, &  
*acidularum ratione ingredientium conve-  
nientia*, *de thermarum*, & *acidularum  
usu*, & quæ plura in unum fas-  
ticulum collectâ de mineralium aquarum  
elementis, viribus, ac usu prostant in  
tomo 2. *opusculorum physico-medicorum*.

## §. XI.

Balneis, tam naturalibus, quam arti-  
ficialibus, ad reparandas vires, & vale-  
tudinem tuendam, multum usi fuerunt  
veteres, præsertim calidiorum regionum  
incolæ.

*Scholion.*

Testatur hoc magnifica, & luxuriosa  
balneorum structura, quæ hodieque in  
Græcia, & regionibus Turcicis visuntur.  
Vid. *Langius Lib. I. epist. 50.*

## §. XII.

Quanquam in regionibus calidioribus  
balneorum usus sit laudatissimus, parcus  
tamen usurpari debent nostris in terris,  
quæ sub cœlo frigidiori, & humidiori sitæ  
sunt.

- VI -

## §. XIII.

Ubi immoderatus calor nimiam par-  
tium humidarum, & subtilium facit dif-  
flationem, & corpori secitatem, & lassi-  
tudinem inducit, ibi fibrarum emolli-  
tione, & humectatione opus est, quod bal-  
nea, & aquarum dulcium insessus com-  
modissime præstant.

*Scholion.*

Ex quo apparet, balneorum usum no-  
stris quoque regionibus accommodatum  
esse, si corpus ab æstivo calore nimis ex-  
siccatum, ac delaestatum fuerit, hac ta-  
men adhibita cautione, ut ne balnea ni-  
mis calida usurpentur, alioquin excedens  
calor, plus nocumenti, quam emolumen-  
ti, afferre solet.

## §. XIV.

Insessus aquarum dulcium insignes cor-  
pori infert mutationes; aqua enim octin-  
genta vicibus aere gravior, superficiem  
vascorum in cute premit, & liquida ex-  
ambitu corporis ad interiora retro vertit,  
unde libera transpiratio impeditur, serum  
difflationi debitum retinetur, & ad uri-  
nam vergit, alvusque adstringitur.

*Scholion.*

Exinde perspicimus, balnea in regioni-  
bus calidis, inque macilenta, & calidioris  
naturæ hominibus non sine insigni fru-  
ctu adhiberi, quia non solum exsiccatas  
partes emolliunt, sed etiam humidum,  
quod calore exhalat, intus detinent,  
adeoque nimiam transpirationem ad tem-  
periem reducent, idque corporibus cali-  
dioribus, & æstivo tempore est commo-  
dissimum.

## §. XV.

Nocent balnea, & capitiluvia humidio-  
ris temperatura hominibus, qui vasa san-  
guine, & superfluis humoribus repleta ha-  
bent, qui capit, & ventriculi imbecilli-  
tate, vel cruditatibus in primis viis colle-  
ctis laborant, & frequentius catarrhis ten-  
tantur, siquidem improvidus hic balneo-  
rum usus non modo has afflictiones auger,  
sed alias quoque graviores suscitat.

*Scholion.*

Balneorum, & capitis lotionum usos  
res periculi plena est, & magnam pruden-  
tiæ desiderat, hinc cautissime usurpari.

Q. 2. hæc

hæc debent, & tutius ab iis nostris in regionibus abstinetur.

#### §. XVI.

Balneis nostris in locis substitui possunt pediluvia, item asperiores frictiones pedum, quæ ad circuitum sanguinis aquam reddendum, & perspirationem juvandam, multum conferuant.

#### §. XVII.

In pediluviosis, pedes surarum regione tenus, aquæ non nimis calidæ, sed temperatæ, immersendi sunt, eorumque usus paulo, vel mox ante somni tempus, per horæ dimidium, vel etiam ultra, commodissime instituitur.

#### §. XVIII.

Pediluvia calore suo sanguinem tenuem, & fluxilem reddunt, ejusque difficiliorem per pedes cursum promovent, & hac ratione universo corpori prosunt. Deinde

humiditate sua temperate calida fibrarum tonum in partibus inferioribus valde relaxant, carnemque, & cutim emolliunt, unde sanguis, relicta superiori corporis regione, ad amplias inferiores partes majori impetu ruit.

#### Scholion.

Si ullum remediiorum genus magnum universo corpori commodum afferre, & præcipue capitis morbos expugnare potest, hoc certe a pediluviosis expectari debet, quorum usus in omnibus capitis affectibus est laudatissimus.

#### §. XIX.

Pediluvia tempore etiam æstivo cum magna utilitate usurpari possunt, quia exsiccatas partes emolliunt, & humectant, & membra motu, a labore delassata egræ reficiunt.

F I N I S.

I N-

# INDEX

## RERUM LOCUPLETISSIMUS.

## A

**A**borvens periculosior partu. pag. 111.  
quandoque salutaris. 114. quomodo fiat. 111. abortum passæ facile in eum recidunt. *ibid.* quæ faciant. *ibidem.*  
*Absorbentium* terrorum usus. 210  
*Absinentia* & motus prius tentandi morbi quam medicamentis. *ib.*  
*Acida* ad sanguinem delata sunt salsa. 52.  
94 seq. feces alvinas reddunt albas. 115.  
primis viis sunt infesta. 159. tenesum concitant. 115. senes lœdunt. 202  
*Acido* in primis viis copioso, qui cibi vitiati debeant. 161  
*Acidum* & *Alcali* nec non viscidum, non universales morborum causæ. 8 seq.  
*Acidula* præstantissimum sanitatis præsidium. 210  
*Actiones naturales* quæ sint. 70  
Egroti aliquid concedant consuetudini. 158  
Aer multum a se differt. 150. sanitatem dispensat. 146. quid in sanguine efficiat. 99. inspiratione non subit ipsum sanguinem. *ibid.* corpus tamen valde alterat. *ibid.* tonum fibrarum diversimode afficit. 42  
Aer calidus debilitat. 152. quid sub eo imperandum. *ibid.*  
—frigidus contrahit fibras. 38. quibus cavendus. 202. temperate frigidus præstat calidiori. 151  
—humidus nocet. 152  
—humidus & calidus expandit fibras corporis nostri. 38  
—inconstans repletionem interdicit. 153  
—purus qualis. 150  
—serenus excitat vires. 36. 150.  
—temperatus qualis. *ibid.*  
Aeris detracatio quomodo necet. 31. ingressu in pulmones quare opus. 35. ad sanitatem usus. 150. impuri noxæ quomodo avertantur. 153. intemperati noxæ. 152. quomodo avertendæ. *ibid.*  
Tom. I.

Subita mutatio nocet. *ibid.*  
*Estate* abstinendum a tabaco. 204. ut &c venere. *ibid.* quali victu utendum. *ibid.*  
*Affectus animi* alterant corpus. 175. consueti minus nocent. 207. gravida tangunt fœtum. 111. sanitatem affligunt. 147. senes valde lœdunt. 203. turbant negotium mensum. 204. eorum noxæ a medico indagandæ. 148. iis assueti viscerum labo plerumque affecti sunt. 149. ex iis multi mortui. 147  
*Albinus.* 9  
*Alcali* & acidum non universalis morborum causa. 8  
*Alcalinorum usus* ad sanitatem tuendam. 210  
*Alcalinum* sal urinam subit. 89. 90  
*Alimenta* acida nutritioni non quadrant. 157. sanitatem oppugnant. 159. coagulo obnoxia vitanda. *ibid.* commoda vigorem prestant. 34. constringentia nocent. 159. cruditatem generantia. *ibid.* diu rora sunt incongrua. 158. a quibus facile vincantur. *ibid.* in primis viis fermentationem subeunt. 78. mucida viscosa nocent. 159. noxia quænam. *ib.* optima quænam. 154. & seq. non optima parum nocent, nisi quantitate peccetur. 161. sanitatem dispensant. 154. scibus quæ incommoda. 202. villosam tunicam obstruentia. 159  
*Alimentorum* facultates ad tres classes commode referuntur. 156. usu quotidiano egimus. 154  
*Alpinus* (Prosper) 16  
*Altiora loca* aerem salubriorem habent. 150  
*Alvi* crebrior depositio salutatis. 177. excrementa variant. 89. laxitas nimia nocet. 174. libertati studendum. 210. quæ hoc faciant medicamenta. *ibid.* plus justo retente, noxæ. 86. 90  
*Alvina excretio* non suppressenda. 173  
*Alvine* feces motu peristaltico expelluntur. 89. multum humidi habent. 89. earum examen chymicum. *ibidem.*

O 3 vid.

- vid. excrements 1  
*Aiunum adstrictiorem* habentibus quid faciendum, vel fugiendum. 195. quæ suppressant. 174. nimis fluxam habentes quid iacet. ib.  
*Alvus* quæ dimittat. 158. infantum sit aperta. 199. pender a conditione motus peristaltici. 89  
*Amarorum usus.* 210  
*Annos quid &c ubi.* 110. 112  
*Anatome Medico necessaria.* 5  
*Anatomæ & physices neglectus peperit festas.* ibid. seq.  
*Anima* distinguit nos a brutis. 125. cum sensitiva non confundenda. ibid. seq. cum corpore qua lege unita. ibid. corpus alterat. 106. an sit causa motuum vitium. 34. nec efficit omnes motus. 140. utitur ministerio corporis. 138. in vitales, & naturales actiones absolutum jus non habet. 140. motus vitales, ac naturales afficit. 147  
*Anima sensitiva a rationali distinguenda.* 125. quid sit. ibid.  
*Animalium partes* quænam difficilius concoquuntur. 158  
*Animantia munda* lege Israelitarum qualia. 155  
*Animi inclinationes* multum pendent a circulo sanguinis. 67. mores sequuntur temperamenta. 28. seq. patemata quomodo corpus alterer. 39. tranquillitas vitam sanam præstatur. 140. v. id. affectus animi.  
*Angustia vasorum* considerabilis. 25  
*Anodynæ* sitim sedant. 80. eorum usus in progressu calculi per uretheres. 97  
*Aorta* fabrica cura notabilis. 48  
*Appetitus & digestio* in omni fere morbo laeduntur. 79. ejus causa mechanica. ibid. quibus destruatur. ibid.  
*Aqua pluvialis* subtilior reliquis. 164  
*Aqua bona* quales. 163. calida potæ comoda. ibid. corruguntur coctione. 164. insalubres quænam. ibid. potus comoda. 163. cerevisæ marito anteponitur. ibid. potores sani & longævi. ibid. quomodo explorandæ. ibid. salubres, cur principio quosdam offendere videantur. 86  
*Aquarum infusæ.* 211. cohobet nimiam transpirationem. ibid.  
*Arabæ* quædam chymica reliquerunt. 15. argenti viyi usum externum docue-
- runt. ib. bona remedia invexerunt. ib.  
*Archeus Helmontii* pigmentum. 7  
*Arnoldus Villanova.* 15  
*Aromata* insalubritatem alimentorum corrigunt. 160  
*Arteria asperæ usus.* 34  
*Arteria partis ligata* motus impotentiam facit. 39  
*Arteriarum carotidum & vertebralium* communicatio ad secretionem fluidi nervi facit. 117. cerebri fabricatio. 59. seq.  
*Arterie* motu sunt instructæ. 48. tunicas crassiores intra cranium deponunt. 117. sunt venarum, & vasorum lymphaticorum radices. 121. cur minores, & pauciores venis. 49. uni in pedibus duæ venæ respondent. ibid.  
*Affusa* senibus non mutanda temere. 202  
*Affumia* excitatis debent respondere. 172  
*Asthma con vulsi* unde. 55  
*Astronomia* an sit oculus medicinae. 2  
*Attractio* non datur. 58  
*Autumnus* easdem cautiones habet, quas vet. 204  
*Auditus* quid sit. 130. ubi fiat, & quomodo luccedat. ibid. ejus organo auris. ibid. gravis unde. 131. seq.  
*Avicenne* laudes. 15  
*Auricule* cordis motus in jam mortuis potest restituiri. 34. seq.  
*Auris* auditus organon. 130. ejus anatomica consideratio. ibid. seqq. a quibus recte explorata. 13

## B

- Baglivius.* 9. 17. tonum fibrarum piaxi accommodavit. 40. seqq.  
*Ballonius.* 16  
*Balnea*, quando convenient, 211. quibus noceant. ibid. eorum usus nostris parcius adhibendus. ibid.  
*Balsamicorum usus.* 210  
*Barometra* commendata. 153  
*Bartholinus.* 12  
*Becccherus.* 16  
*Bellinus.* 9. 16  
*Berengarius (Jacobus)* 15  
*Bergerus.* 9  
*Bianchi.* ibid.  
*Bilis* quid sit. 80. ad elaborationem chyli facit. ib. alcalinæ est indolis. ib. seq. cystica differt ab hepatica. 83. qua diffe-

differentia, utraque effluat.	84.	cysticæ usus.	83.	corpori venenum qui fiat.
84. seq. cum urina secedit.	95.	deficiens quomodo suppleatur.	83.	examen ipsius.
80. exiccata flammam concipit.	ibid.	humor excrementarius.	82.	idemque utilissimus.
82. inspissata æque in aqua, & spiritu vini solvitur.	80.	motum ejus quæ adjuvent.	83.	officina hepar.
sanguine ponderosior est.	81.	quantitas.	82.	83. officina hepar.
sapo animalis.	81.	ad secretionem ejus,	82.	sanguine ponderosior est.
quæ faciant.	ibid.	81. sapo animalis.	82.	83. officina hepar.
Blancardus.	8	ulum quæ probent.	82	83. officina hepar.
Boerhaeven.	9			
Böhnius.	8			
Bonitas cerevisia unde pendeat.	165			
Bontekoe.	8			
Borellus.	9.13			
Botallus.	16			
Bronchia.	54.	eorum tunica glandulosa.		
55.				
Brunnerus.	9			
Butyrum quale alimentum.	156			
C				
Cæcochymia medicatio a venæ sectione inchoanda.	209			
Cælius Aurelianus.	15			
Caffe potius utilitas.	160			
Calendarium perpetuum in corpore habere.	39			
Calidiora sunt cavenda juvenibus.	201			
Calidum innatum veterum.	35			
Calor quid sit, & efficiat.	34.	auget proventum sалиum.	94.	corporis quid sit.
64.	est a circulo sanguinis.	ib.	quibus augeatur.	65.
corpori necessarius est.	34.	consumit succos.	72.	exhalationes concitat.
Vitæ necessarius.	65	91.	juvat sanguificationem.	64.
Camerarius.	9			
Cancer quomodo necet.	37			
Capitis lotiones qua cautela institui debant.	211.	declivior situs quid efficiat.	60	
Capsula lumbaris lympham recipit.	75			
Carbone igniti in conclavi clauso vitam possunt extingui.	37			
Carbones fossiles aerem insciunt fumo non saluberrimo.	151			
Carolinæ thermas potentiam urina qualis.	94			
Carnes assæ ab elixis in quo differant.	157			
augent partem sanguinis sulphuream.	ibid.	ferarum, quo differant a domesticorum carnibus.	ibid.	dant multum chylum.
92.	plus nutritur vegetabilibus.	73.	quæ nutriendo optimæ.	154.
in morbis purridis nocent.	159.	eorum usus senibus circumcidendus.	202.	seq.
Carrefsi lesta in medicinam redundavit.	8			
Caseus quale alimentum.	156			
Casserius.	13			
Cataracta incipiens, spuria & vera unde & quid.	129			
Catarrhi & coryza salutares quandoque motus.	177			
Cœsia proxima omnium, quæ in corpore humano fiunt, est motus.	20			
Cerebri humani moles.	118.	substantia corticalis.	116.	sit ne glandulosa.
ejus usus secretorius.	ib.	vulnera quæ lethalia.	119	
Cerevisie pravæ effectus.	165.	quænam optimæ.	ibid.	
Cerumen quid & unde.	130			
Cholerici qui sint.	53.	habent fibras tensas.	ib.	eorum proprietates.
& diæta.	ib.			
Chorion utero continuum.	110			
Chymica scientia medico opus.	14			
Chyli albedo unde.	84.	elaboratio perficitur in intestinis.	85.	progressum quæ juvent.
88.	secretionem juvant valvulae conniventia dictæ.	ib.		
Chylificationem quæ servant.	210			
Chylus quid sit.	84.	differ a sanguine.	63.	non est proxima nutritionis materia.
63.	quomodo fiat sanguis.	63	73.	quomodo fiat sanguis.
Chylum copiosum quæ alimenta suppeditent.	85			
Chymi in ventriculo reliquiæ acidæ juvant digestionem.	79			
Cibi crudiores quas noxas inferant.	169.			
ordine assumendi.	ib.	non simul, & semel.	ib.	
Ciborum optimorum abundantia nocet.	167.	quantitas differt secundum individua.	168.	fumendorum regula.
168.	varietas facit voraces.	168		
Cibos loco salubri oportet capere.	151			
Circulus sanguinis est ipsa natura veterum morborum medicatrix.	67.	est causa agilitatis & roboris.	66.	seq. caloris 65.

- chylicationis. 63. secretionum & excretionum. 66. difficilis per caput. 59. per hepar. 60. venari portæ. 62. omentum, lien. 61. colon. ib. vasa spermatica. 62. uterus. ib. celer per pulmones & renes. 63. liber præservat a morbis. 67. inæqualis quid efficiat. 51  
**Clima** mutat ingenia. 139  
*Clopton Havers laudatus.* 13. 100  
 Glyceres antifebries & nutrientes secretionem in crassis fieri confirmant. 86  
 Cœna qualis optima. 161. serum sit levius. 202. in ea quæ noa sint apta. 69  
 Cogitatio intensior quid efficiat. 147  
 Coitus multos seminarum morbos aufert. 109.  
 Coitum sëpe celebrantibus, quæ sunt tenenda. 175  
 Conclavia hyeme non sunt nimis calcifienda. 203. eorum usus. 160  
 Condimenta acida. ibid. salsa. ibid. salse acri & oleoso prædicta. ibid.  
 Consensio motus fluidorum. 27. partium membranosalium & nervosarum. 22  
 Consuetudo quid. 206. ejus magna vis. ibid. altera natura jure dicitur. 207. facit, ut res perniciose non noceant. ibid. seq. promptitudinem motuum efficit. ibid. non temere mutanda. ib.  
 Cor machina motoria composita. 30. perpetuum mobile. 47. motum habet reciprocum. 30 seq ex quatuor musculis constat. 47. sanguinis circulum impellit. ib.  
 Cordis arteriæ insignes & nervi. 34. auricula sinistra, cur minor dextra. 47. structura musculosa. 13. vasorum sanguiferorum peculiaris structura. 34. vasorum valvulae. 71. & vasorum proportio mutua. 52  
 Cornarius sobrietate vitam produxit. 167  
 Cornelius Celsus. 14  
 Corpus humanum est machina perfectissima. 28. jure dicitur machina. 24. est instrumentum ac domicilium mentis. 19. corpus omne est agens. 10  
 Corpora quævis sunt substantiae actives. 140. organica, habent virtutem generandi. 104. gracilia, quid iis quadret. 195. impura non bene nutritur, juniora facile nutritur. ib. quæ motu plus egeant. 182. robusta quænam. 68. facile corrigit alimentorum noxias qualitates. 160. singulis mensibus incer-  
 scunt, sed per urinæ fluxum copiosiorem iterum minuantur. 177  
 Corporis humani mixti principia. 23. partes solidæ & fluida. 24. machina est destructibilis. 28. seq.  
 Corporibus fintne vires tantum occasio-  
nales. 7  
 Corporum vires non sunt absolutæ, sed relativæ. 3. mortices mensurat mechanicus. 10  
 Corruptione non semper causa mortis. 32. putredinosa unde. ib. seq.  
 Cortex Chinchina non universale febrifugum. 3.  
 Coffarum fabrica. 54  
 Cooperus. 12  
 Craanius. 8  
 Crato. 16  
 Cruditates quid generent. 170  
 Crusta infantum lactea salutaris. 177  
 Cubicula quænam noxia. 111  
 Cuticula tactum moderatur. 134  
 Cuius structura qualis. 91. ejus tonus modicat transpirationem. 92. est tubulis petria. 91. tactus organon. 134  
 Cursus vehementior motus. 179. quibus noceat. ibid.

## D

- Deambulatio levissima motus species. 179  
 Debiliores fugiant edacitatem. 168  
 Debiles quomodo nutriendi. 171  
 Deobitus in latere dextro, quando conueniat. 190. in lecto qualis optimus, sapinus reprobatur. ib.  
 Dentes meliores habent, qui aquam potant. 163  
 Derivantium ratio. 52  
 Desiderii vehementis effectus. 147  
 Diaphragma ad respirationem facit. 54  
 Diastole cordis & arteriarum. 30  
 Diæta non omnibus una convenit. 192. variat secundum ætatem. 197. secundum virium diversitatem, ib. temperamenta. 195. sexum. 204. anni tempora. 203. seminarum. 205. gravidatum. 111. 205. seq. juvenum. 201. serum. ib.  
 Diætica medicina, quam sequatur regulam. 192  
 Digestionem calor adjuvat. 78. turbans effectus. 147  
 Dolor perceptionum species. 135. ejus su bjectum membranæ. ib. ratus est. ibid.

<i>ibid.</i> quibus sopiaendus.	<i>ibid.</i>	<i>Fluidum nervosum ex tenuissimis partibus chyli, lymphae &amp; sanguinis delibatur.</i>
<i>Dulcia</i> indoli sanguinis non convenient .		117. illud dari probatur . 119. duplicitis est substantia . 116. veteres dixerunt spiritum animalem . <i>ib.</i> an si lucidae igne naturae . <i>ib.</i> est causa motuum , 122. dat musculis instinctum ad motum .
157. cum fermentescibilibus non jungen- genda .	161	124. quod experimento probatur . 125. facit ad sensationem . 127. ad robur partium requiritur . 39. salivam subit .
<i>Duodenum</i> ventriculus parvus .	30.84	77 lac subit . 123. seq. in generatione multum efficit . 105. sanguini partim redditur, partim expirat .
<i>Dura</i> mater habet syphonen, & diaystolen .		121
119. ejus structura, & officium . <i>ibid.</i>		<i>Fluidorum</i> temperies continua agitatione tandem destruitur .
<i>eius</i> sinus . <i>ibid.</i> lassiones graves noxas inferunt .	120	26
<i>Duratio</i> quid sit .	26	<i>Fluor</i> albii excretio salutaris .
<i>Duretus</i> .	16	177
<i>Elasticitatis</i> insignia exempla in corpore humano .	38	<i>Fæsus</i> laudatus .
<i>Elasticum</i> quid .	<i>ibid.</i>	11.16
<i>Empirorum</i> wptor ΨΔδος 3. vetus lecta in quo laudanda . 6. in quo defecit .	<i>ibid.</i>	99
<i>Equitatio</i> motus species . 180. quibus conveniat . <i>ibid.</i> ejus gradus . <i>ibid.</i> quibus morbis avertendis prospic .	ib.	<i>Fætus</i> an per os nutriatur . 112. an per uteros saltum menes . <i>ib.</i> humanus cystidem bile repletam habet . 83. non respirat . 112. nutritio quomodo fiat .
<i>Essentia</i> humanae naturae in quo constat .	24	110
<i>Eunuchorum</i> qualia corpora .	106	<i>Fontes</i> salubres præstantissima sunt medicina .
<i>Excrentia</i> nigra a vitriolaceis aut martialibus .	89.v. <i>Alvus</i>	210
<i>Excretiones</i> pendent a circulo sanguinis .		112
70. respondere debent ingestionibus .		<i>Foramen</i> ovale .
89. sunt variae . <i>ibid.</i> earum successus Medico curæ esto .	209	202
<i>Experimentum</i> probans vivusne, an mortuus fuerit infans .	112	<i>Frigus</i> intussum infantes ludit . 199. quid in corporibus efficiat . 152. quibus partibus maxime noceat . <i>ib.</i> nocturnum, quo tempore maxime sit cendum . 153. purgationem menstruam turbat . 204. quomodo hominem perimat . 32. senes ludit . 202. unde corpori oboriantur .
<i>Exspiratio</i> quid .	53	65
<i>Externorum</i> usum cur non omnes æque ferant .	26	<i>Frigore</i> ambusta non sunt nimium, & subito calefacienda . 153. enecatis, quomodo succurrentum . 32. ex frigore in magnum calorem concedere periculum . 153. sub frigore intenso, quibus utendum .
<b>F</b>		152
<i>Febris</i> lactea . 113. ea laborantes nutrices lac sanum infantis præbent .	<i>ib.</i>	159
<i>Feminae</i> alunt plus sanguinis quam viri .		<i>Fructus</i> hiræ .
101. viris imbecilliores . 204. valent purgatione menstrua recte procedente .		157
<i>ib.</i> iis motus commendandus .	183	<i>Frumentacea</i> terram sanguinis partem augent .
<i>Fernelii</i> laudes .	17	110
<i>Fibre</i> motrices . 25. habent duplicitem motum . 124. seq. earum constitutio robur præstat . <i>ibid.</i> musculosarum tensio , quid efficiat .	40	<i>Funiculus</i> umbilicalis .
<i>Flatus</i> unde generentur .	172	
<i>Fluida</i> crassiora . 25. vel subtiliora . <i>ib.</i>		<b>G</b>
tenuiora maxime expanduntur a calore .	35	
Tom. I.		<i>Galenus</i> Aristotelis principia in medicinam intulit .
		7
		<i>Galeni</i> merita .
		15
		<i>Galenici</i> cum chymicis jungendi .
		17
		<i>Galli</i> cur venæctionem facile tolerent .
		42
		O 5 Gela.

- Gelatinosa proxime in sanguinem vertuntur.* ib.  
*Generatio quid sit.* 71. 104. pertinet ad actiones naturales. ib.  
*Generatio animalium duplex semen requirit.* 105  
*Gestationis commoda.* 182  
*Glandularum & secretionis intimior cognitio, quibus debeatur.* 12. conglobatae baratarum virtus enata corpori damina. 76  
*Glandulae sunt simplices vel compositae.* 70. continuati ductus arteriarum. 71. simplices nihil separant. 70. conglobatae dant lymphæ impulsum. 76. Cowperianæ. 99. juncturarum. 13. lenticulares intestinorum muci emunctorum. 98. mucilaginosæ juncturarum. 100. mucosæ erosæ quid faciant. ib. vaginae uteri. 99. vesicæ urinariae. ib.  
*Glauberus.* 16  
*Glaucoma unde.* 129  
*Graafius.* 13  
*Gravidas oportet studere liberæ transpirationi.* 206. & fugere animi commotiones. 125. iis nocet vita sedentaria. 112. prodest venæ sectio tempestiva. 205  
*Gustus ejus organon lingua.* 126. in papillulis nervis residet. 170. quomodo fiat. ib. seq.

## H

- Harveus in quo medicinæ profuerit.* 12  
*Hæmopisis ex disruptis vasis pulmonalibus.* 63  
*Hæmorrhagia narium salutaris.* 177  
*Hæmorrhagia uteri cum mensibus non debet confundi.* 111. seq.  
*Hæmorrhoidalis fluxus.* 62. excretio salutaris. 176. tuppresa nocet. ib.  
*Hæmorrhoidum fluxus cauſe.* 103. commoda. 104. est naturalis & præternaturalis. ib.  
*Heisterus laudatus.* 110  
*Helmonius.* 715  
*Helveti unde proceri.* 155  
*Hepatis vasa sanguinea.* 60  
*Heucherus laudatus.* 97  
*Heurnius.* 1116  
*Hieme studendum liberæ transpirationi.* 203. viatum duriorum facile toleramus. ib. vini & cerevisiæ generosioris potus commendabilis. ib.  
*Hightmori antra.* 93

*Hippocrates medicinæ rationalis parens.* 6. anatomen coluit. 10. chirurgiæ navavit operam. 11. circulum sanguinis au cognoverit. ib. corporum & naturarum diversitatem considerare jussit. 10. ignem fecit primum motorem. 36. mechaniciis rationibus studuit. 11. morum & decori doctrinam non neglexit. ib. in morbis dijudicandis excelluit. ib. motus prudenter dijudicavit. ib. observationes condidit. 10. physicam coluit. ib. præservationem a morbis commendavit. ib. regulas ex observationibus formavit. ib. tonum partium indigitavit. 26. qua ratione imitandus. 11. ad ipsius lectionem subsidia. ib. quid ex eo capienda eclectic. 14. ipso non sat satis patuit natura humanæ corporis. 24. iphius successores a more ejus desciverunt. 11

*Hollerius.*

11. 15

*Hominis definitio.* 23. ortus ex ovo. 196.

*Homini tria distincta insunt principia.* 137

*Hygiene quid.* 2. debet niti principiis certis. 143. proximum a physiologia locum tenet. 2. 142. qualis scientia. 143. quid supponat. ib.

*Hygrometra commendata.* 155

*Hypochondriacum malum testatur consensu partium membranosalium.* 27

*Hypochondriaci flatulentia vexantur.* 152. in melancholiam proni. 91

*Hypothesum medicarum lapis lydius.* 3.

*Hystericæ flatulentis vexantur.* 91

*Humores boni si nimii evanquandi.* 173. superflui ubi excernantur. 173. utilles quinam. 65

## II

*Jacotinus.* 16

*Jacobus Berengarius Carpensis.* 15

*Imbecilliora corpora quænam.* 193

*Imbecillis quomodo succurrendum.* ib. seq. stricta diæta opus. ib.

*Impregnatarum incommoda.* 109

*Incubi ratio.* 190

*Inedia fracti non subito sunt repleendi.* 171. quæ iis noceant. ib. seq. quibus conveniat. 170. sæpe nocet. ib.

*Inedia longioris noxæ.* ib.

*Infantei calore non sunt nimis sovendi.* 200

<i>Lancisus.</i>	9
<i>Laxantia</i> juvant gravidas.	205
<i>Lien</i> juvat sanguificationem, 64. mere va- sculosum, 61. facile læditur.	62
<i>Lienis</i> structura a quibus exposita, 13. ex- cisi effectus.	62
<i>Lingua</i> gustus organon, 133. ejus structu- ra.	ib.
<i>Liquida</i> in corruptionem proniora solidis, 26. vitæ necessaria.	162
<i>Liquidum nervosum</i> tenuitatem succo nu- tritio conciliat.	74
<i>Litterati</i> plerumque imbecilles. 194. quo- vitæ regimine egeant.	ib.
<i>Litteris</i> quo tempore opera sit danda.	195
<i>Loverus.</i>	183
<i>Lucubrationes</i> nocent.	187
<i>Ludovici.</i>	16
<i>Lympha</i> cur sanguini reaffundatur,	76
quid sit. 75. ubi sanguini reaffundatur.	76.
<i>Lympha</i> cursum quid adjuvet, 76. sper- maticæ in sanguinem reflux utilita- tes.	106
<i>Lymphatica vasa</i> ubi se exonerent.	75
<i>Lymphasicorum vasorum</i> origo duplex.	ibid.
M	
<i>Machina</i> quid sit, 28. est compositum, ib. seq. Papiniana illustrat effectum calo- ris in concoctione.	78
<i>Maienti</i> ac debiles motui minus fun- tapti.	183
<i>Majus</i> ac September menses saluberrimi.	150
<i>Malpighius.</i>	9. 12. 15
<i>Mammæ lactis</i> colatorium.	114
<i>Martianus</i> (Propter.)	11
<i>Masticationis</i> neglectus nocet.	168
<i>Materia</i> an in se & sua natura sit passiva, 9. seq. corruptibilis, quæ dicatur.	24
<i>Mares</i> pregnantes diætam probe obser- vent.	209
<i>Mechanica</i> scientia medico opus, 2. et adit doctrinam de motu.	
<i>Mechanices</i> notio evoluta.	29
<i>Mechanici</i> medici non turbant disciplinam med. 29. qui fuerint.	9
<i>Mechanismus</i> quid sit, 24. etiam in ani- mum jus habet.	24
<i>Mechanicus</i> mensurat vires morticorū.	ibid.

- porum. 10  
*Medicina* est scientia, 1. nominalis & realis, 7. theoretica & practica, quo differant. 2. in theoreticis & practicis innititur mechanismo. 140  
*Medicina elastica*, quid ex omnium extatuum & sectarum auctoribus boni capiat. 14  
*Medicinae definitio*, 1. duo subsidia, ratio & experientia, 3. existentiam quid probet, 2. finis, 17. fundamenta, 3. incrementa ab observationibus, anatome & physica expectari debent, 12. partes, 2. potissima cura sit præservare, 210. quid fuerit detrimento, 11. subjectum est corpus humanum vivum. 23  
*Medici officium*, 3. potestas. 186  
*Medicus* quid sit, 1. acquiescat in causis proximis & adæquatis, 20. auxilio & consilio juvet, 17. electricus sit. 14. inniti debet certis principiis, 18. naturæ minister, 18. nocere non debet, ibid. pernoscat naturam humani corporis, 39. philosophus per cultrum & ignem, 2. ejus functio pure mechanica. 140  
*Medicorum & medicamenta fugere qui debent*. 209  
*Mediocritas* commendanda juvenili ætati. 186  
*Medulla oblongata* nervorum radix, 127. pars a corde princeps, 119. ejus lœsio lethalis. ib.  
*Melancholicorum* natura, & diæta, 196. temperamentum. 53  
*Membrane* nervose sensuum instrumentum, 126. tensæ acutius, ib. laxæ remissius sentiunt, ib. ad sensum fluido animandæ. ib.  
*Mens* quid sit, 125. considerationem medicam poscit, ib. est spiritus ad imaginem Dei conditus, 137. & natura non debent confundi, 137. 125. in corpus agit. 10. utitur ministerio corporis & animæ. 138  
*Menses* Majus ac September saluberrimi, 150. October vero & November cur morbos multos generent. 153  
*Mensum* negotium turbant animi affectus. 204  
*Menstrua purgatio* cur prodeat ab utero. 191. est salutaris. 176  
*Menstrua purgatio* lœsa, quid efficiat. 13 pertinet ad actus naturales. 99. post coitum secundum cessat, 109. quibut dam gravidis durat, 111. quibus partius fluat. 100  
*Menstrua purgationis finis*, 103. tempus ordinarium. ib.  
*Menstruum purgationem* que turbent. 176  
*Menstrus* sanguis non est corruptus. 102.  
*Mercurialis* [ Hieronymus, ] 16  
*Mercurius vivus* in iliaca passione cum fructu datur. 87  
*Methodici* quales fuerint, 7. in quo defeccerint. ib.  
*Methodicorum disciplina* quid electrico suggerat. 14  
*Methodus geometrarum* optima 19 geometrica est syllogistica. 4  
*Misso sanguinis* præservat ab abortu. 111  
*Mixtio corporis nostri*, 24. facile potest destrui. ib.  
*Modicus cibus* modicus medicus. 167  
*Mororis effectus* in corpore noxii, 147. ejus noxas quid avertat. 149  
*Montanus*. 16  
*Morbi acuti* curantur potius naturæ, quam artis beneficio, 142. animi mutant actiones. 139  
— chronici tentandi prius motu quam medicamentis. 208  
— chronici expugnantur usu fontium salutarium, 210. quando optime carentur. 151  
— oculorum unde derivandi. 129  
*Morborum* multorum caussæ ex aere. 150  
*Morbos* incurruunt edaces. 167. præcavere facilius quam curare, 18  
*Mores & inclinations* sequuntur animi temperamentum. 138  
*Morgagni*. 12  
*Morriendi necessitas* magis in fluidis quam solidis part. querenda. 36  
*Mortis causa* non semper est corruptio, 32. definitio, ib. præfigium a noctuis physice explicatur. 37  
*Motionis & laborum* fructus. 124  
*Motus* quid sit? 21. causa mutationum in rebus corporis, 9. præservat a corruptione 26; ejus species systole & diastole. 21. ipsius causæ corporeæ sunt, 33. in arteriis & nervis quarti debent. ib.  
— *animalis* quis. 122  
— *corporis* a cibo noxious 185. ante cibum lau-

- Iaudatur, *ib.* alvum siccatur, *ib.* a morbis præservat, 178. augendo circulum sanguinis excretiones promovet. 187. medicina universalis, *ib.* sanitatem præstat 147. multa præstat beneficia, 178. seq. ordine suscipiens 182. salubri loco adornandus. 184. qua cautione intermittens, 185. quando suscipiens, 196. quousque intendens. 185  
*—elasticus* quid & ubi 38  
*—mechanicus* quis. 122  
*—peristalticus* quis dicatur & ubi sit, 86. placidus, *ib.* & successivus *ib.* in una intetisti parte austus universum canalem afficit. 87. indiget fluidi nervi affluxu, 88. est præcipua caula secretionis chyli, ejus integritas conservanda, 90. tria principia 87  
*—tonicus* intensor impedit transpiracionem 92  
*—vitales* & animales inter se communicaunt, 28. eorum causæ. 33  
*—voluntarii* organa 106  
*Motum* antecedat alvi depositio, 184. fortiori cibus non statim excipere debet, 185. peristalticum quæ turbent, 90. quæ excitent, 174. ad. motum & mobile respirationem. 9  
*Motu* corpora leviora sunt, 178. fatigatis qualis convenientia cibus. 185  
*Motuum* & exercitationum prudens sit moderatio, 182. cuivis eligendum motus conveniens genus *ib.* varia genera 179. leges ex staticis, 13. *mechanicorum* organa 122. quantitate debet ingestorum mobilis respondere, 183. est communicatio in corpore. 24  
*Mucus* 98. ejus colatoria, *ib.* intestinalis, 99. unde spissescat. 98. ejus emunctoria conspirant. 99. excretio copiosior unde obtingat, *ib.* separatio diversis temporibus varia *ib.*  
*Musculi* sunt organa motus voluntarii, 122. eorum structura a quibus investigata 12. qualis 122. color iubicundus, ipsius non est naturalis. 73  
*Musculorum fibrarum* vis motrix unde. 223  
*Muratio* quævis lento procedat gradu 208 subita sanitatem laedit. *ib.*

- N.  
*Nahoth* ovarii novi inventor. 168  
*Nares* olfactus organon, 132. earum structura, *ib.* seq.  
*Natura* quid sit 27. 125. & anima sunt res distinctæ 137. 125. studet eliminandis noxiis 176. hunc in finem extraordinarios motus concitat, *ib.* assuicit medicamentis 207  
*Natura* definitio Aristotelica 33  
*Naturarum* est differentia 192  
*Narcoticorum* operandi ratio, 59. noxae 38  
*Nebulatur.* 9  
*Nervi* quid sint, 119. an cavi, *ib.* an materialis nutritionis advehant, 122. faciunt ad cordis motum 51. ad sensum, motum & nutritionem, *ib.* omnis generis glandulas intrant, 121. in paralysi non tam obstruntur, quam comprimitur *ib.* poros sunt pervii, 119. in nulla corporis parte adeo aperti ac in naribus 134. non sunt sensus sedes, 126. aurium 131. lingue 134. orarium 133. pulmonum & dia phragmatis 54. seq. oculorum 129. optici unde procedant. 118  
*Nervorum* paria novem ex cerebro prodeunt, *ib.* eorum cognitio a quibus petenda, 13. datur continuitas 122. cum progressu fluidorum magnus consensus 28. continuitas facit consensum partium. 122  
*Nervorum fluidum* facit ad motum. 123  
 Vide fluidum, liquidum nervorum.  
*Neurologiam* explicavit Vieussens 13. 121. ejus ad pathologus. *ib.*  
*Nuckius.* 9  
*Nutritio* quid sit, 71. solidis & que ac fluidis necessaria. *ib.*  
*Nutritione* cum sit opus, 26. ad eam plura debent concurrere, 73. quiete opus est. 74  
*Nutrix* quæ optima 115. cum cura danda, *ib.* quomodo lac possit corrigere. 198  
 O.  
*Obesa corpora* quæ sint 194. non sunt in ruto collocata, *ib.* quid tenere debeant. *ib.*  
*Oculus* visus organon 127. refert camoram obcuram. 128. ejus anatomica confidatio *ib.* a quibus exposita 23  
*Oenorum* morbi unde deducendi. 129  
 Olio.

<i>Odoris sedes &amp; objectum</i>	133	<i>Pharmaceuticæ studium utile.</i>	14
<i>Odorifera cur prompte agant in cerebrum,</i> ejus membranas & nervos	134	<i>Phlegmaticorum natura 196, diæta, ib. alvus</i> <i>laxa.</i>	90
<i>Olera dant humidum alimentum.</i>	157	<i>Phlegmaticum temperamentum quale</i>	53
<i>Olfactus ubi perficiatur, 133. ejus organon</i> nares 132. quomodo fiat, <i>ib.</i> cum gustu cur conspiret.	ib.	<i>Phthisici in iram proni.</i>	149
<i>Omentum cur difficulter sanguinem trans-</i> mittat,	62	<i>Physica cur opus sit s. qualis esse debeat</i>	2
<i>Opata quomodo agant, 60. infantibus no-</i> cent 199. Persis cur non noceant.	207	<i>Physica &amp; anatomæ neglectus peperit se-</i> cias in medicina 6.	
<i>Ova probum dant alimentum, 156. senibus</i> & debilitatis convenient, <i>ib.</i> quibus no-		<i>Physiologia prima Medicinæ pars</i>	2
ceant.	ib.	<i>Pietatis studium facit ad vitam longam</i>	
<i>Ovarium vulgare an sit verum, 108. re-</i> ctius intra uterum quer.	ib.	<i>Pilæ parvæ lusus vehementior motus</i>	179
<i>Ovulum semini describitur 107. qua ratio-</i> ne masculum producat.	ib.	<i>Pilulæ balsamice ad præservandum utiles</i>	210
P			
<i>Panis alimentum universale 155. quis opti-</i> mus, <i>ib.</i> calidus nocet 159. turbat nego-		<i>Pinguedines quæ praviores</i>	158
tium menstruum.	ib.	<i>Pinguendo unde &amp; quid</i>	73
<i>Papaveraceorum operandi ratio.</i>	60	<i>Pinguia affligunt ventriculos acido gra-</i> vatos 150. non facile in ventriculo sub- jugantur.	158
<i>Paracelsus etiisque nova dogmata</i>	7. seq.	<i>Pisces dant alimentum humid. 157. febri</i> laborantibus concedendi.	ib.
an multum profuerit medicinæ	ib.	<i>Pisol Carolus.</i>	16
<i>Partes corporis fluidæ &amp; solidæ</i>	40	<i>Pitcaenius.</i>	9
-genitales a Graafio de scriptæ.	13	<i>Placenta uterina 111. ejus officium, ib. sup-</i> plet defectum respirationis in embryo	
<i>Partium consensus conspicuus.</i>	27	one.	55
--diversitas variat circulum sanguinis.	59	<i>Placenta noxiæ.</i>	167
<i>Partus legitimum tempus 112. quid fiat</i> post eum	ib.	<i>Plethora gravidarum facit cacochemiam</i>	
<i>Pathologia altera Medicinæ pars 2. non</i> potest carere nevrologia.	121	205	
<i>Pauli.</i>	9	<i>Poloni insignem spiritus vini copiam leviter ferunt.</i>	207
<i>Pediluvia quem habeant effectum 212. æ-</i> stivo tempore profundit, <i>ib.</i> eorum tempus commodissimum.	ib.	<i>Polypus cur necare possit</i>	31
<i>Pedum frictions utiles</i>	212	<i>Potentia generandi in feminis, quo tem-</i> pore ordinatio circumscribatur.	109
<i>Perceptione quid ratione animæ 126. &amp; cor-</i> poris, <i>ib.</i> non in nervis sed membranis neurosis fit.	ib.	<i>Potus copia nocet.</i> 171. minus laedit quam ciborum.	162
<i>Peregrinatio quando sanitatis causa insti-</i> tuenda 228. quibus commoda	180	<i>Potus copiosus alvum laxat.</i> 174. ejus defec-	
<i>Peristalticus motus, vide motus.</i>		tuus nocet, 172. præsertim feminis.	ib.
<i>Persæ opio assueti ab illo non laeduntur.</i>	207	<i>-frigidus quibus cavendus</i>	207
<i>Pespiratio libera prodest 66. infusis calidis</i> promovetur 210. nocturna non est subi- to repellenda.	189	<i>-incongruus, qualis</i>	152
<i>Phantasia in actiones naturales operatur,</i>		<i>-parcius quas ferat noxas.</i>	ib.
39. non agit sine causis mechanicis 21. e-		<i>Prægnantes diætam peculiarem postulant</i>	
jus effectuum exempla	140	205 <i>vide gravidae.</i>	
		<i>Præservare a morbis in medici potestate</i>	
		<i>situm magis quam curare.</i>	142
		<i>Præservatio in quo potissimum sita sit.</i>	29
		<i>Principia hominis tria sunt conjuncta, 137</i>	
		<i>Principium medicinæ quale esse debeat.</i> 18	
		<i>causa proxima sit sanitatis, morborum,</i>	
		<i>vitæ &amp; mortis. 19. clarum esse debet, ib. in</i>	
		<i>corpo nostro existere debet, ib. non po-</i>	
		<i>test esse res spirit. 20. aur sensitiva.</i> ib.	
		<i>Prostrete mucide lymphæ secretorium.</i> 99	
		<i>Pubertatis tempore corpora mutantur.</i> 106	
		<i>Pne.</i>	

<i>Pueri</i> s̄ape, sed paucum cibum assument .		
199. qui ipsi noceant cibi.	ib.	
<i>Pulsus</i> quid sit, 50. quid indicet. ib. in utraque manu explorandus.	ib. seq.	
<i>Pulsum</i> celeritas mensuranda horologio,		
50. differentiae, ib. exploratio utilis.	ib.	
<i>Pulsum</i> multa variant.	52	
<i>Pulmones</i> juvent sanguificationem, 64. eorum fabrica, 54. officium & usus.	55	
<i>Pulvinar</i> moribundis subtractum, quid efficiat.	60	
<i>Purgatio menstrua</i> quibus offendatur , 204. v. mensis & menstrua purg.		
<i>Purgatio vernalis</i> non est repudianda.	209.	
<i>Purgantia</i> fortiora fugienda, 209. laedunt gravidas , 206. sensibus nocent, 203. valida infantibus nocent.	199	
<i>Putredo</i> extinctum circulum sanguinis sequitur. 37. in quo consistat. ib. vites motrices destruit . ib. causa mortis .		
ibid.		

## Q

<i>Quies</i> disponit liquida ad putredinem, 26.		
nimia quas noxas ferat, 186. nutritionem promovet, 185. post cibum laudatur , ib. quibus maxime conveniat .	ib.	
--animi liberam reddit transpirationem .	148	
<i>Quieta</i> corpus habet opus .	185	
<i>Quietis</i> & laborum sit justa proportio. ib. seq.		

## R

<i>Ramazzinus</i>	9	
<i>Ratio</i> quid in medicina denotet	4	
<i>Rationalium</i> lecta vetus 6. quid eorum conatibus obfuerit .	ib.	
<i>Raymundus Lullus</i>	15	
<i>Recentiores</i> ubi præfer. veteribus .	17	
<i>Regius</i> Cartesianus .	8	
<i>Renes</i> tono suo instructi sunt, 96. eorum atonia quid efficiat, 97. structura & usus.	96.	
<i>Res non naturales</i> sanitatem dispensant .		
143. 146.		
<i>Respiratio</i> quid sit, 53. auctior anget circumulum sanguinis, 58. sang. calorem affert ,		
57. promovet chyli progres. 88. ejus usus secundarii, 58. impeditæ pravi effectus .		
56.		
<i>Riverius.</i>	17	

<i>Roborantia</i> in calculo prosunt .	95	
<i>Robusti</i> se nulli dietæ mancipent, 194. quid cavere debeant.	ib.	
<i>Robustum</i> corpus cum animi robore pari passu ambulat .	192	
<i>Robustus</i> quisnam dicatur.	ib.	
<i>Robur</i> fibrarum multum pendet ab assumtis . 193. à solidarum partium textura .		
ibid.		
<i>Reudbeckius</i>	12	
<i>Ruyfchius</i> .	13	

## S

<i>Sachsis</i> laudatus .	31	
<i>Sal commune</i> corpori amicum. 94. sed ejus mixtionem non subit, ib. in corpore generatur.	ib.	
<i>Salita</i> alimenta nutritioni incongrua . 113		
<i>Saliva</i> distingui debet a muco faecium. 77 est liquor subtilissimus, ib. fermentabilis , ib. est fermentum, 78. facit ad saporem, 80. habet vim medicamentam, 77. dirigit appetitiam liquidorum ib. menstruum microcosmi, 99. sale est imbuta ib. ex quibus glandulis veniat .	78	
<i>Salatio</i> vehementior motus .	179	
<i>Sanctorius.</i>	17.93	
<i>Sanguificatione</i> non perficitur peculiariter spiritu vitali. 64. non est unius visceris opus.		
65. eam juvat calor. 63. lien. 62. pulmones		
72. arteriæ & venæ .	63	
<i>Sanguificationis</i> ratio ,	ib.	
<i>Sanguine</i> recte constituto viget sanitas .	145	
<i>Sanguinem</i> quæ alterant, in animum jus habent .	139	
<i>Sanguineo-cholerici</i> quinam	52	
<i>Sanguineo-melancholici.</i>	ib.	
<i>Sanguineorum</i> natura & diæta	196	
<i>Sanguineum</i> temperamentum .	52	
<i>Sanguinis</i> boni copia præstat robur, 34. calor a sulphurea parte pendet , 42. circulationem Harvæus in lucem proposuit 45. circulatio est indubia veritatis .	ib.	
<i>Sanguinis circulus</i> animam cum corpore connectit , 7. est causa vitæ , 21. nutritionis , 62. conservat corpus , 68. est principium , ex quo medicinæ omnes partes fluunt . 22. fit ad leges motus . 46. per pulmones , 57. in embryone abest , 53. turbatus & sublatus morborum & mortis caussa , 22. vigorem &		
	10-	

- robur dat animo*, 67. ejus apud Hippocratem indicia, 45. vid. *circulus sanguinis*.
- Sanguinis color*, purpureus unde, 43. in minimis ductibus evanescit, 47. -- *conditio animae actiones alterat*, 138. -- *constitutio justa eget proportiones & qualitate*, 145.
- Sanguinis consistentia* ab intestino motu laeditur, 45. *copia animum afficit*, 68. de finito, 41. *differentia est quoad individua*, 43. differentias medicus perspicere debet, 44. *humiditas facile evaporatur*, 41. *fere tertia pars cerebrum petit*, 118.
- Sanguinis inspectio sola* an medicum de hominis statu edoccat, 45. malla quam cito corpus totum pervadat, 50. menstrui fluxus periodicus causas habet mechanicas, 102. vid. *menstrua purgatio*, motus ordinatus sanitati presidet, 144. pars subtilior motum tribuit cordi & arteriis, 35. portio diaphana nutrit, 72. producio non æque copiosa in omnibus corporibus, 34. quantitas diversa, 145. *justa quænam*, ib. *reditus ex pedibus difficilis*, 62. *regressus per venas quibus adjuvetur*, 49. seq. *resolutio chymica*, 42. *temperiem quomodo veteres intellexerint*, 145. *testeitatis cum sulphurea parte indolem acquirit abstergivam*, 43. *transitus difficilior ex colo sinistri lateris ad mesentericum sinistrum*, 62.
- Sanguis ad caput difficilius movetur*, 59. aqua specie gravior, 41. continuo eget supplemento, 146. cur cibo putrefeat, 43.
- Sanguis est mixtus liquor*, 41. *gelatina purpurea*, 42. habet innatantes partes solidas, 41. harum mutua proportio, ib. *partes sulphureas*, 42. idem an semper in corpore sit, 45. *menstruus ex uteri pariter & vagine vasis profluit*, 102. an ex arteriis vel venis exsilliter, ib. *motu consumitur & alteratur*, 133. *microscopio conspectus* 44. per renes celerrime fertur, 63. *qualis optimus*, 44. *respiratione incalescit*, 6. *siccatus inflammabilis est*, 42. *temperatus qualis*, 145. *tenuis & parcus facit timidos*, 68. *thesaurus vita*, 36. *velocius movetur per vasa angustissima*, 49. *vilipenditur quia est res obvia*, 36. un. de suppleatur, 146.
- Sanitas quid sit*, 143. ejus causa a Medico investigandæ; ib. indicia, 144. proxima causa *circulus sanguinis*, ib. *semina*
- rum pendet a menstruis recte fluentibus, 176.
- Sanus quisnam*, 144. a medicamentis absineto, 209.
- Sapor ubi percipiatur*, 133. sit in lingua 132. ejus objectum sal, 134. ratio 133. cur dif-ferat, 134.
- Scabies excretio salutaris*, 177.
- Schaperus*, 9.
- Scheuerzrus*, ib.
- Scorbusicorum urina salibus saturata*, 94.
- Scorbutus* septentrionalium cerevisiae ex parte debetur, 82.
- Secresio liquidorum sit*, vel per glandulas, vel sine illarum ope, 70.
- Secresiones alterantur atonia & spasmo*, ib.
- Secretionis ratio*, ib.
- Secatio morbis defunctorum est utilis*, 5.
- Secundina quid sit*, 110. succum alibilem ex matre attrahit, ib.
- Sedimentum urine unde*, 95.
- Semen continet totum corpus organicum*. 106. in eo per microscopium viva animalcula apparent, ib. vide *sperma*.
- Semina farinacea dant multum chylum*, 84. quæ nutritant, 155.
- Seminis immoderata profusio nocet*, 175. nimia copia nocet, ib.
- Semistica a quo pertineat*, 2.
- Senectutis ratio*, 29.
- Senem laudent affectus graves* 203. *parcius oportet vesci*, 74.
- Senibus non temere discedendum a consuetis*, circ. sang. tardus, ib.
- senibus commendata mediocritas*, 203. cur familiaris cœcitas, 127. vitandum vinum quale, 203. quæ diæta cooveniat, ib.
- Sennersus primus eclecticus*, 8.
- Sensatio duplex*, 125. intensior, vel remissior unde, 126. non in nervis, ib. in partibus tantum nervosis, ib.
- Sensus quinque numerantur*, 127. menti ideas exhibent, 126. eorum organa varia, 127.
- Sermo intensior motus species*, 181. circumfum sang. accelerat, ib. hypochondriacæ & literatis utilis, ib.
- Singultus a convulsione diaphragmatis*, 55.
- Sinus ossium capitis muci emunctorium*, 98. dura matris, 60.
- Sisis ratio*, 80. eam facit defectus humidus in fauibus & œsophago, ib. levant somnus & anodyna, ib.

<i>Solidorum motus</i> pendet a fluido nerveo.	derando, 24. est maxime hydraulic.
39. & influxu sanguinis arteriosi. <i>ibid.</i>	25. cuius scopus primarius est duratio corporis humani. <i>ibid.</i>
<i>Somni ratio</i> , 135. parati arte estimatio,	<i>Subiectum sanitatis</i> quodnam. 142
191. quæ commoda, 188. quis modus,	<i>Submersus</i> quomodo subveniendum. 31
188. largiori quibus sit opus, <i>ibid.</i> ei	<i>Substantiae</i> sunt virtibus activis praeditæ. 9
nox convenit, 189. salubri loco indul-	<i>Succorū nimia copia</i> nocet. 167
gendum, 15. sub eo perspiratio educit	<i>Suctio</i> proprie non datur. 166
crassiores & mucidas particulas, 189.	<i>Sucus pancreaticus</i> ad elaborationem chy-
quædam excretiones melius procedunt.	li facit. 80
136.	<i>Sucus</i> qualis esse debeat corpori nutrien-
<i>Somnus ac vigilia</i> sanitatem dispensant,	do. 73
ante mediam noctem melior, 188. cur	<i>Sudor</i> nimius vires consumit, 93. in eo e-
fibras relaxet, 40. seq. infantum sit lon-	liciendo cautela. <i>ib.</i>
gior. 199. immoderatus unde 191. in-	<i>Sudores</i> quibusdam statu tempore copio-
quietus quid denotet. 92. meridianus	sus fluunt. 177
nocet, 190. qua conditio tolerari	<i>Suffocatis</i> laqueo vel undis, quomodo suc-
possit, <i>ibid.</i> quibus in terris minus no-	curre possit. 31
ceat & quibus æstatibus, <i>ibid.</i> nimius	<i>Suffusionis</i> species unde. 129
eavendus. 191. pendet a circulo san-	<i>Surditas</i> unde. 132
guinis, 136. perspirationi favet. 189.	<i>Sydenham.</i> 16
post diurnas vigilias impeditior, 191	<i>Sylvias.</i> 846
qua commoda afferat, 187. qualis pro-	<i>Syncope</i> unde. 30
fit, 189 seq. quando protrahendus, <i>ib.</i>	<i>Sincopici</i> quomodo exercitandi. 31
quibus arceatur, 189. quibus profun-	<i>Systole</i> cordis & arteriarum. 30. & diastro-
dior. 191. quibus turberat, 188. quid	le quomodo fiant. 36
sit. 135. quietus qualis. 188	
<i>Somnus</i> sitim sedat, 80. statim a cibo non	
laudatur, 190 turbatur ab affectibus 147	
capiendus, 188. vires instaurat, 136. viscer-	
ra roborat, 187. vitæ necessarius. 135	
<i>Sonus</i> quid, 130. auditu percipitur. <i>ibid.</i>	
<i>Sperma</i> dilutius & debile, 107. masculi-	
nun quid, 105. unde elaboretur, 107.	
Vide <i>semen</i> .	
<i>Spermatis</i> consideratio, 105. maturitas,	
106. seq. quælibet portio est organica,	
<i>ib.</i> virilis in utero feminæ effectus. 109	
<i>Sphacelatio</i> visceris nobilitatis sit mortis	
causa. 37. seq.	
<i>Sphacelus</i> quomodo nocet. <i>ibid.</i>	
<i>Sphincteres</i> sunt instrumenta motus me-	
chanici, 122. eorum & valvularum ma-	
gna sensibilitas, <i>ibid.</i> structura. <i>ib.</i>	
<i>Spinozismi</i> fundamentum. 9	
<i>Spiritus vini</i> quando vitare deceat. 161	
<i>Spiritus</i> a indoli sanguinis repugnat. 84.	
157	
<i>Sphalias usum</i> motus tonici ostendit. 41	
<i>Statio</i> diurna morbos gigni. 186	
<i>Steno.</i> 13	
<i>Sternutatio</i> quomodo sucedat. 132	
<i>Sternutatoria</i> cur in morbis capitisi profi-	
ciant. <i>ibid.</i>	
<i>Strepitus ossium</i> in scob. unde 99	
<i>Structura corporis</i> humani maxime consi-	

<i>Tinea capiti</i> , salutaris excretio.	177	vant sanguificationem,	64
<i>Tinnitus aurium</i> unde	132	<i>Vene</i> <i>seccio</i> abortum præcavet, 205. juvenibus prodest, 201. quando tempestive instituatur, 209. senes juvat.	202
<i>Tiraquellus</i> illustris hydropota.	163	<i>Ventriculi</i> actio systematica, 79. cordis 49. expansio bitem exprimit, 28. sinistrorubor, ib. vasa.	60
<i>Tonus</i> est partium fibrosarum elasticitas.	38.	<i>Ventriculus</i> cur non ipse a calore fermento salivali consumatur.	79
in cute modifcat transpirationem.	38.	<i>Venus</i> immodica debilitat.	106. moderata sit, 176. estate vitanda, 204. qualis optima.
partium requiritur ad bonam nutritionem.	92.	<i>Vere</i> cibis detrahendum, potus augendus, 203. est aer temperatior.	176
<i>Tophi</i> arthriticorum ubi nascantur.	100	150. febres generantur aliique morbi, 203. oporet corpus munire aduersus vicissitudines aeris, ibid. transpiratio impedita maxime nocet.	ib.
<i>Tranquillitas</i> animi sanitati confert.	148	<i>du Verley</i> .	13
<i>Transpiratio</i> auctior etiam crassiora excertit.	93.	<i>du Verney</i> .	ibid.
conservanda, ibid. impedita valde nocet.	92.	<i>Vesca urinariae</i> strukt. & funct.	97
in senibus procuranda.	202.	<i>Vesiculae</i> fellis situs, 83. structura.	ibid.
libera infantibus servanda.	200.	<i>Veteres</i> cum recentioribus jungendi, quid probi habeant,	17
plus quam reliquæ omnes excretiones evacuat.	93.	<i>Victus</i> moderatus sanitati confert, mutat ingenia, 139. simplicissimus semper juvat,	202.
prohibita vero maxime nocet, 203.	93.	<i>Vieuffens</i> .	13
ubi copiosior succedit.	92.	<i>Vigilia</i> quid sit & unde.	136
quibus cohibeat, ib. promoveatur.	92.	<i>Vigilia</i> diurnæ cur corpori noceant, emaciant, 188. absument vires 187. carum noxae, 188. quibus inducantur.	137
<i>Tristis</i> effectus.	40	<i>Villanova</i> (Arnoldus).	15
<i>Tunica</i> intestinorum villosa quid.	85	<i>Villi</i> intestinorum gaudent tono, 85. eorum obstructionem quid impedit, 86. quibus obstruantur.	ib.
-- pituitaria narium.	98	<i>Vina</i> dulcia plethora inducunt, 166. <i>Mofellana</i> , & <i>Rhenana</i> alvum laxant.	ibid.
<i>Tussis</i> auger circuitum sanguinis.	107.	nutritioni non sunt apta, 165. quenam optima, ibid. senibus quæ noceant 202. sunt potius medicamenta quam alimenta.	155.
salutaris quandoque excretio.	177	<i>Vini spiritus</i> moderatus usus probatur.	166.
		<i>Vino</i> nivem aut glaciem miscere pernicisum.	ibid.
<i>Valeudinari</i> lœduntur a cibo nimio.	170	<i>Vinum acidus</i> spirituof. quibus conveniat.	165.
<i>Valsalva</i>	13	aqua temperare bonum, 166. concoctionem juvat.	165.
<i>Valvula coli</i> .	123	-- <i>Hungaricum</i> quibus proficit, 166. quibus noceat.	ibid.
<i>Valvula</i> venarum cuius usus.	49	<i>Viribus</i> deficientibus decubitus corporis est utilis.	60
<i>Valvula</i> vasorum lymphaticorum.	75	<i>Virili</i> atasi commendanda mediocritas.	201
<i>Valvularum</i> magna sensibilitas.	122	<i>Virtutes</i> vere sanitatem stabilient.	148
<i>Vaporoform</i> effectus.	136	<i>Virtus</i> multiplicativa in quo sita sit.	104
<i>Varicum</i> iatio.	63		Vix.
<i>Vasa</i> fetus & secundinae vasis uteri non sunt continua.	110		
<i>Vasa</i> lattea quenam recipient.	86		
<i>Vasa</i> sanguinea minima cur inter membranas decurrant, 48. cur inter musculos, & membr. sita sint.	40		
<i>Vasorum</i> ventriculi & intestinorum reptatus & anastomosis.	60		
<i>Vestura</i> quibus conveniat.	180		
<i>Vegetabilia</i> alimenta seni proba, 202. crudæ ægre concoquuntur, 152. flatulentiam excitant.	152.		
ibid. non habent sexum.	110		
<i>Vena</i> porta.	61. causa est multorum aff.		
Etuum chronicorum.	ibid.		
<i>Vena</i> umbilicalis fabrica,	110		
<i>Vena</i> porta cum cava in hepate concursus.	82.		
evoluta quoad structuram in pathologicis utilis	13		
<i>Vena</i> arteria sunt ductus continui.	47.		
habent tunicam musculariem, 49. ju-			

Vitæ elasticæ succum nutritum apposit. 73	Urina quid 93, acida non datur, 94. cur facile putrefaciat, 95. quænam optima 95
Visceribus læsis turbatur sanguificatio. 64	sæpe muco infecta redditur, 95. habet sal tarareum & ammoniacale fixum. 94
Viscerum structuram qui declarant. 12	Urinam moventia, 95. quæ reddant copiosorem, 95. subeunt particulæ sulphureæ pingues. ibid.
Viscidum non causa morborum universalis 8	Urine color unde, 95. examen, 93. seq. largior fluxus quandoque salutaris, 96. largior fluxus menstruus a Sanctorio observatus, ib. se limpidae unde, 96. necessaria est inspectio, 97. retentæ noxæ. ibid.
Visus organon oculus. 127. ejus sedes retina, 128. quomodo fiat. ib.	Uromantis reprobata. 98
Vita est in ipso sanguine, 36. & mors mechanice fiunt, 33. plantis impropræ tribuitur. 30	Uteri vasorum structura. 101. ejus notitia anatomica in pathologicis utilis. 13
— sedentaria ad quos morbos disponat. 134. 186.	Uterus mutationes ab imprægnatione subit. 109
Vite causa cordis motus, 30. definitio, ibid. desidis incommoda. 186	Vulnerati facile syncopen patiuntur, 34
Vitam quæ prolongent. 33	VV
Ungues cur & quid sint. 133	VVarconi merita. 12
Vocabula nihil significantia non possunt esse principium medicinæ. 19. & seq.	VWillisius. 16
Vociferatio auget circulationem. 58	Z
Vocis exercititia sanitatem conservant, 181	Zuvingerus (Theodor.)
ventriculum juvant 180. quibus commendanda, ibid. intensio nimis noet. ibid. quibus maxime cavenda. 182	
Vomitus gracilibus non convenit, 195	
Voracitas quibus familiaris, 168. facit masticationis neglectum. ibid.	
Uretheres motu peristaltico prædicti. 97	
Urethra tunica glandulosa. 99	

